.11.1.2.
LVII
E
14.-20.
BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
LVII
E
14-20
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google




Digitized by Google

HISTORIA ZARINGO BADENSIS

AUCTOR

IO. DANIEL SCHOEPFLINUS
HISTORIOGRAPHUS FRANCIAE

TOMUS PRIMUS



B. R. NAPOLI

CAROLSRUHAE
EX OFFICINA MACKLOTIANA
MDCCLXIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

CAROLO
FRIDERICO
ZARINGICI SANGUINIS
MARCHIONI BADENSI
TERRARUM ZARINGICARUM
EX PARTE
VIRTUTUM
EX ASSE HEREDI
DOMUS SUAE
MARCHIAEQUE STATORI
AULAE CIVIUM ET MUSARUM
DELICIO
AMORIS SUI
IN OPTIMUM PRINCIPEM
CARITATIS IN PATRIAM
MONUMENTUM PERENNE
CONSECRAT

AUCTOR.

Digitized by Google

Digitized by Google

CONSPECTUS
TOMI I.

BADENSIUM RERUM SCRIPTORES NON EDITI.

I.

LIBER I. PRAEVIUS.

Introitus Cap. I. - - - - pag. 1.

Syſtema Italicum circa Origines Badenſes.
Cap. II. - - - - pag. 9.

Syſtema Badenſe Helvetico - Zaringicum
Guillimanni & Piſtorii Cap. III. - pag. 16.

Syſtema Alſaticum Vignierii, Herrgotti &
Auctoris Cap. IV. - - - pag. 25.

II.

LIBER II. ZARINGICUS.

I. DUCES IPSI.

BERTOLDUS I. CAP. I. - - - pag. 41.

BERTOLDUS II. CAP. II. - - pag. 67.

BERTOLDUS III. CAP. III. - - pag. 87.

CONRADUS CAP. IV. - - - pag. 97.

BERTOLDUS IV. CAP. V. - - pag. 123.

BERTOLDUS V. CAP. VI. - - pag. 149.

II. JURA DUCUM CAP. VII. - - pag. 179.

III. ZARINGICARUM TERRARUM

DIVISIO CAP. VIII. - - - pag. 199.

IV. ORTI EX ZARINGIS

DUCES TECCENSES CAP. IX. - - pag. 205.

COMITES FRIBURGENSES CAP. X. - pag. 221.

III.

Digitized by Google

III.

LIBER III. BADENSIS.

I. PERIODUS HERMANNIANA.

Hermannus I. Cap. I. - - pag. 276.

Hermannus II. Cap. II. - - pag. 281.

Hermannus III. Cap. III. - - pag. 291.

Hermannus IV. Cap. IV. - - pag. 299.

Hermannus V. Cap. V. - - pag. 305.

Hermannus VI. Cap. VI. - - pag. 321.

II. PERIODUS HACHBERGICA, ubi

1.) Marchiones

1.) Hachberga-Hachbergici Cap. I. - pag. 333.

Henricus I. - - - - pag. 336.

Henricus II. - - - - pag. 339.

Henricus III. Cap. II. - - - pag. 351.

Henricus IV. - - - - pag. 358.

Otto I. - - - - - - pag. 362.

Johannes. - - - - - pag. 365.

Hesso - - - - - - pag. 366.

Otto II. - - - - - pag. 373.

2.) Hachberga-Sausenbergici. Cap. III. pag. 377.

Rudolphus I. - - - - pag. 377.

Henricus I. - - - - - pag. 380.

Rudolphus II. et Otto. - - pag. 383.

Rudolphus III. - - - - pag. 390.

Wilhelmus. - - - - pag. 398.

Rudolphus IV. - - - - pag. 404.

Philippus. - - - - - pag. 412.

II.) Landgravii Brisgoviae. - pag. 423.

III.) Dynastae Roetelani. - - pag. 453.

IV.) Dynastae Usenbergici. - pag. 463.

ORDO

Digitized by Google

ORDO TABULARUM GENEALOGICARUM.

TAB. I. Familiæ Badenſis cum Habsburgica & Lotharingica nexus. - - - - - - pag. 8.

TAB. II. Stemma Zaringo-Badenſe Guillimanni. - pag. 17.

TAB. III. Stemma Ducum Zaringiæ. - - - pag. 41.

TAB. IV. Genealogia Ducum Teccenſium. - pag. 205.

TAB. V. Comites Friburgenſes. - - - - pag. 221.

TAB. VI. Stemma Hermannidum Badenſium. - pag. 267.

TAB. VII. Stemma Marchionum Hachbergenſium. pag. 333.

TAB. VIII. Tranſitus Novi Caſtri ad Comites Friburgenſes & per hos ad Marchiones Hachberga-Sauſenbergenſes. - - - - - pag. 406.

TAB. IX. Stemma Dynaſtarum Rœtelenſium. - pag. 453.

TAB. X. Stemma Dynaſtarum in Uſenberg. - pag. 463.

ORDO

Digitized by Google

ORDO TABULARUM AERI INCISARUM.

Tab. I. Frontiſpicium.

Tab. II. Situs Caſtri Zaringiæ. - - - - pag. 43.

Tab. III. Caſtrum Zaringiæ. - - - - - pag. 43.

Tab. IV. Porta Briſacenſis. - - - - - pag. 127.

Tab. V. Bertoldi V. Statua. - - - - pag. 160.

BADEN-

Digitized by Google

BADENSIUM RERUM
SCRIPTORES NON EDITI.

Perpetuam & juſtam Badenſem Hiſtoriam ab origine Gentis nemo conſcripſit, nec conſcribere auſus eſt. Abſterruit pleroſque monumentorum defectus, quæ vel incognita, vel nimis diſperſa, vel nimis arcte cuſtodita fuerunt. Abſterruit alios profunda caligo, in qua primordia ſtirpis per tot ſecula jacuerunt.

Tenebras has, in quibus & ego cum aliis verſatus ſum, Mellicenſis primum apud Auſtrios Codex, a me viſus, diſpellere cœpit; San-Petrinæ apud Brisgovios Chartæ diſpulerunt omnino. (a) Per has enim edoctus ſum, Zaringiæ Ducibus & Marchionibus Badæ commune eſſe ſanguinis vinculum & parentem communem.

)(

(a) Vid. infra Lib. III. Cap. I. §. III. pag. 270.

Digitized by Google

Tum vero de ſcribenda Domus tam antiquæ, tam incorruptæ, Hiſtoria cogitare incepi. Vix ingreſſus ſum Chartophylacia Domus, quum Scriptorum quorundam de Badenſibus Rebus mihi oblati ſunt Codices; non eo compoſiti fine, ut in orbem prodirent. Ex hac claſſe Junglerus, Foerſterus, Gamanſius ſeculo ſuperiore vixerunt, de quibus reddenda eſt lectoribus ratio, teſtes eos quod ſubinde produco. Præceſſit Piſtorius, Genealogicum Badenſe qui promiſerat opus, ſed nunquam exegit. Ab eo tamen recenſionis noſtræ faciemus initium.

JO. PISTORIUS.

Nidda-Wetteravus A. 1546. lucem adſpexit. Vir ardentis ingenii, multifariæ doctrinæ, ſpeciatim Hiſtoricæ; (*b*) trium Caroli II. Marchionis filiorum Conſiliarius; nunc Medicus, nunc Jureconſultus, Theologus; religione primum Lutheranus, dein Calvinianus & Romano-Catholicus; qui A. 1583. eosdem tres fratres Marchiones induxit, commune Durlaci ut inſtituerent Gymnaſium, & ab iisdem lautam penſionem accepit, (*c*) ut in origines Domus Badenſis inquireret.

(*b*) A. 1582. Rerum Polonicarum; A. 1583. 1584. & 1607. Rerum Germanicarum Volumina edidit.

(*c*) BESOLDUS in *Theſ. Pract.* Tom. I. voce *Baden.*

Digitized by Google

Inquiſivit, at nihil præter duas Genealogicas Tabulas hac ſuper re in lucem emiſit; ille, qui A. 1591. annuntiaverat opus, ut paratum ad prelum. (*d*) Enimvero Piſtorius poſt obitum Jacobi Marchionis ad Eduardum Fortunatum, Marchionem Bada-Badenſem, & ad Auſtrios ſe convertit Archiduces. Inter alias dignitates Vicariatum Eccleſiæ Conſtantienſis quum gereret, *Chronicon Conſtantienſe Manlianum* (*e*) cum aliis Rerum Germanicarum Scriptoribus A. 1607. edidit, degens Friburgi Briſgoviæ, ubi anno ſequenti vivere deſiit. Chronico huic Tabulas memoratas inſeruit, ex quibus Zaringo-Badenſe ejus cognoſcimus ſchema: quod adoptavit Guillimannus, ſed neuter adſtruxit. Ex Collectaneis Piſtorii GAMANSIUS (*f*) nonnulla produxit, quæ Tabulis his lucem affundunt. Refert enim, Piſtorium aſſerere, ſe in Chartis antiquis Ann. 1093. 1109. 1111. & 1113. reperiſſe ea, quæ de Hermanno, Bertoldi II. & III. Zaringiæ Ducum, *fratruele* & *patruele* perſcribit; locum autem, ubi Chartæ cuſtodiuntur, non

)(2

(*d*) In *Orat.* de *vita Jacobi March.* pag. 79. & 80.

(*e*) MANLIUS, aliis MENLIUS, Maximiliani I. Cæſaris Hiſtoricus, Profeſſor Hiſtoriarum Friburgi.

(*f*) De quo paulo poſt diſſero.

aperit. (*g*) Ex membranis San-Petrinis Piſtorium hauſiſſe hæc, certo jam ſcimus. Schedas ejus fruſtra quæſivi, ut & eas, quas OSWALDUS GABELCOFER, Rerum Wirtenbergenſium perdiligens Scriptor, (*h*) de Badenſium rebus ex Chartophylaciis Sueviæ Piſtorio transmiſit, ut Wirtenbergenſis Tabularii me Notitia docet.

JO. FRIDERICUS JUNGLERUS.

Juris Doctorandus, Georgii Friderici Marchionis Conſiliarius Aulicus & itinerum comes, Breviarium Rerum Badenſium ſub rubro: *Vera & genuina origo Marchionum Badenſium ac Hachbergenſium*, A. 1623. latine compoſuit. Guillimanni ſyſtema ſecutus, vitas Marchionum nonniſi obiter exponit, nulla Chartarum nec Scriptorum auctoritate ſuffultus.

GABRIEL FOERSTERUS.

Tabulario Hachbergenſi Præfectus Epitomen Hachbergenſium Rerum(*i*) A. 1636. conſcripſit, cui Chartas nonnullas,

(*g*) Conf. infra Lib. III. Cap. I. §. IV. pag. 273.

(*h*) Hiſtoria ejus Genealogica & Civilis Wirtenbergicæ Domus, Germanice ſcripta, in ſcriniis Ducalibus adhuc ſervatur. Annales ab A. 1250. usque ad 1524. progrediuntur. CRUSIUS in *Annalibus* ſuis *Suevicis* eum ſæpius allegat. Patris opus filius, Jo. Jacobus, continuare decreverat ad A. 1608. uſque, at morte fuit præventus. Cel. SATTLERUS eam ad A. 1550. uſque continuavit.

(*i*) Rubrum ejus eſt: *Relatio Genealogica & Hiſtorica von den Marggraven von Hachberg* &c.

quæ perierunt, inſeruit. Claſſicus auctor, publica ubi deficiunt acta. Et tamen hinc inde eum dormitaſſe invenio.

JO. GAMANSIUS.

Juliacenſis, natus A. 1606. Societatem Jeſu ingreſſus Treviris, profeſſionem quatuor votorum A. 1641. emiſit Antverpiæ. (l) Ex latebris Bibliothecarum & Codicibus Msst. eruit multa, quæ Bollandus atque Henſchenius, amici ejus, *Sanctorum Actis* inſeruerunt. (m) Ex Belgio in Rheni ſuperioris Provinciam translatus eſt; (n) ubi *Moguntinam Metropolin* SERARII multis acceſſionibus auxit, quæ nullibi comparent. (o) Cum Boineburgio (p) atque Leibnitio (q) amice & familiariter vixit. Leibnitius dignum eum judicavit, cui edendorum

(l) ALEGAMBE in *Bibliotheca Scriptorum Soc. Jeſu*, Antverp. 1643. pag. 243. & ex eo KOENIG. in *Bibliotheca vet. & nova* pag. 330.

(m) Tom. I. pag. 834. ubi vita S. Godefridi Cappenbergenſis Comitis; item Tom. II. pag. 1154. ubi vita S. Thiadildis, Abbatiſſæ Freckenhorſti. Comitatus ille & Monaſterium in Weſtphalia ſita ſunt.

(n) SOTWELLUS in *Bibliotheca Scriptor. Soc. Jeſu recognita* Rom. 1676.

(o) GEORG. CHRISTIANUS JOANNIS in Præf. ad *Nic. Serarii Res Mogunt.* pag. 2. ubi Gamanſii ſchedas fugitivas partim ad PP. Antverpienſes, partim ad P. Joannem Sigfridum, Soc. Jeſu, perveniſſe, partim in flumine Mœno periiſſe ſcribit.

(p) Vid. BOINEBURGI Epiſt. XXIII. A. 1655. Braubachii ad Dieterichium ſcripta.

(q) LEIBNITII *Cod. Jur. Gent. diplom.* in præfat. ad Mantiſſ. pag. 7.

Digitized by Google

Germaniæ Conciliorum cura committeretur. (*r*) Guilielmus Marchio, Cameræ Imperialis Judex, literarum protector, Gamanſium induxit, Genealogiam ut Badenſem perſcriberet. Scripſit eam Badæ in Societatis Collegio, & ad Rudolphum Longum usque, ſeculi XIV. Marchionem, perduxit, Piſtorianis Collectaneis uſus, uti ſupra oſtendi. Hæc ergo ſi non alicubi latent, in Badenſi incendio A. 1689. perierunt.

Gamanſius Librum ſuum, Guilielmo Marchione annum ætatis 74. agente, adeoque Æræ vulgaris A. 1667. compoſuit, eumque filio Guilielmi Hermanno dicavit. Rubrum eſt: *Marchionum Badenſium & Hochbergenſium Progenitores.* Nomen Auctoris reticet Codex. *Anonymum Badenſem* vocant Scriniorum Præfecti. At Gamanſium eſſe ejus auctorem, Collegii Badenſis me docuerunt Sodales.

Noſtro hoc ſeculo majora moliti ſunt Drollingerus atque Sahlerus, ille A. 1742. hic ante biennium, vita defuncti; uterque Aulæ Durlacenſi addictus.

FRIDERICUS THEOBALDUS SAHLERUS.

A Conſiliis ſecretis & feudali Præpoſitus Curiæ, capita quædam Badenſis Hiſtoriæ diligenter examinavit, Geographicæ

(*r*) Idem Leibnit. loc. c.

Digitized by Google

præſertim Pagorum limitumque doctrinæ intentus. Prodromum operis, (*s*) manu exaratum, ante hos decem annos ſuo Principi obtulit; vigore & vita longiore dignus, ut cœpta perficeret.

CAROLUS FRIDERICUS DROLLINGERUS.

Conſiliarius Aulicus, Palatii Bada-Durlacenſis, quod Baſileæ eſt, Cimeliothecæ, Bibliothecæ & Chartophylacio Præfectus: Badenſium Rerum, ſi quis unquam, inſigniter gnarus, concinnavit Specimen Badenſis Hiſtoriæ, (*t*) quod nonniſi ad A. 1288. procedit. Sed & calamo ejus plures Badenſium Rerum debemus Articulos, qui in *Lexico Hiſtorico*, Baſileæ A. 1726. impreſſo, comparent. (*u*) In originibus Domus Guillimanno adhæſit.

Succeſſor ejus in muneribus, dignitate, doctrina, *Jo. Fridericus Herbſterus*, a Conſiliis Aulicis ſecretis, Bada-Durlacen-

(*s*) Titulus Codicis eſt: *Grundlegung zu einer Hiſtorie deſs uralten Hochfurſtl. Hauſses Baden.*

(*t*) *Verſuch einer Hiſtorie des Furſtlichen Hauſses Baden.*

(*u*) Articuli *Baden*, *Badenweiler*, *Hachberg*, *Rœteln*, *Zehringen.* Marchionum quoque Badenſium vitæ a Carolo I. quæ ibidem occurrunt, a Drollingero compoſitæ ſunt. Poëtica ejus ſcripta alius quoqne celebris Poëta, *Jo. Jacobus Spreng*, Græcæ Linguæ apud Baſilienſes nunc Profeſſor, emiſit in lucem; atque funebri Oratione defuncti & ſuas dotes aperuit.

ſes theſauros, per totos jam viginti annos, cuſtodit & ordinat. Hoc duce & comite Scrinia Palatii ſollicite perluſtravi; recognovi ſigilla, examinavi numiſmata, & alia monumenta Marchicæ Domus per aliquot menſes curate inſpexi. Omnia ſuſcepi, peregi ſub auſpiciis CAROLI FRIDERICI, cui conſecratum eſt opus; qui cum SERENISSIMA CONJUGE, CAROLINA LUDOVICA, Haſſiaca Pallade, Gentis ſuæ æternitati magnanimus proſpicit; qui ſublimia Hermannorum, Carolorum, Fridericorum, Ludovicorum memoriæ immortalis exempla Principibus filiis, CAROLO LUDOVICO & FRIDERICO, (x) futuris propagatoribus Stirpis, quotidie oſtentat; ipſe auguſtalium virtutum amabile exemplar.

(x) Tertius his filius, LUDOVICUS WILHELMUS AUGUSTUS, dum hæc ſcribo, novum cœli munus acceſſit.

HISTORIAE



HISTORIAE ZARINGO - BADENSIS
LIBER PRIMUS PRAEVIUS.

CAPUT I.
INTROITUS OPERIS.

§. I.

INCLYTA MARCHIONUM BADENSIUM Domus cum auguſtis Lotharingiæ & Auſtriæ Domibus communes ex Alſatia origines derivat. ETICHO Alemanniæ veteris potens Dynaſta ſub Merovingis Auſtraſiæ Regibus, primus, quem novimus, ſeculi VII. Alſatiæ Dux, trium Gentis ſuæ Familiarum conditor Trium Domuum nexus.

A

Digitized by Google

extitiſſe cenſetur. ADELBERTUS, ſenior filiorum Etichonis, per nepotes ſuos, Bertilones Zaringo-Badenſis; per Luitfridos Habsburgo-Auſtriacæ Familiarum eſt ſator.

Natu junior, Eticho per Eberhardos, ex ſuo ſanguine natos, Lotharingiæ Ducum ſtemma produxit. Triplex hæc Gentis florentiſſimæ colonia ex fœcundo genitricis Alſatiæ ſinu trans Rhenum, trans Juram, trans Vogeſum, per longa temporum intervalla migravit.

§. II.

Zaringo-Badenſis.

Prima migratio à Bertilonidis ſuſcepta trans Rhenum; qui Carolingorum ævo fortunarum ſuarum ſedem in Brisgovia poſuerunt; avitarum iſtius oræ terrarum heredes; ex quibus Comites illi Provinciales prodiere Brisgovici, quos inſequens ætas appellavit Landgravios. Ex his natus eſt Bertoldus ille, quem Henricus IV. Imp. Carinthiæ Ducem & Marchiæ Veronenſis Marchionem creavit.

Ab hoc tempore Ducis & Marchionis honores ita adhæſerunt Zaringicæ Genti, ut in ejus linea ſeniore, quæ fuit Zaringica, Ducis character, in juniore, quæ Marchionum Badenſium eſt, titulus Marchionis ſubſiſteret.

§. III.

Habsburgo-Auſtriaca.

Secunda Gentis Etichoneæ colonia ex Adelbertina quoque linea prodiens, iisdem Carolingorum temporibus ex

Digitized by Google

Alſatia Juraſſum tranſivit, ut avitas ibi quoque Burgundo-Helveticas Argoviæ regiones occuparet. Habsburgicus hic Alſatiæ palmes eſt, qui Landgraviatum ejus ſuperiorem jam ante tranſitum poſſedit; qui deinceps migrationibus ſuis ex Helvetia in Auſtriam; (a) ex Auſtria in Hiſpaniam; (b) utrobique novas ſibi coronas, nova regna comparavit. Ex palmite hoc ſupereſt Auguſtiſſima Romanorum Imperatrix, MARIA THERESIA, Hungariæ Bohemiæque Regina, hujus lineæ ultima; heroicis virtutibus prima.

§. IV.

Poſt Luitfridigenas ex EtichoneaEberhardigenûm propagine, ſub Imperatoribus Salicis, GERHARDUS ille Alſata prodiit; cui Lotharingiam Moſellanicam Henricus III. Imp. regendam commiſit. (c) Lotharingica.

Hic ex Alſatia trans Vogeſum migrans, immenſo ſeptingentorum annorum intervallo, per certos XXIII. generationum gradus Lotharingiæ Moſellanicæ Ducatum in ſuis poſteris rexit; donec Auguſtiſſimus Germaniæ Cæſar, FRANCISCUS, MARIAE THERESIAE Conjux, ex patriis quoque Lotharingiæ terris in Hetruriam primum, inde traductus in Auſtriam, Eberhardigenûm

A 2

(a) Anno MCCLXXXII.

(b) Anno MDIV.

(c) Anno MXLVIII.

Digitized by Google

palmitem, a Luitfridigenûm palmite per tot ſecula diſtractum in Archiducibus, ex Lotharingico & Habsburgico ſanguine natis, vinculo novo noſtra ætate conjunxit.

§. V.

Nexus hujus vindices.

Conſanguinitas hæc Habsburgicos inter Lotharingos atque Badenſes obſcuritate ſeculorum omnem hominum effugerat memoriam; donec ſeculi ſuperioris medio HIERONYMUS VIGNIERIUS (*d*) eam ex tenebris in lucem protraxit; in linearum & graduum diſtributione ab ECCARDO & HERRGOTTO hinc inde correctus; quibus correctionibus & noſtras nos obſervationes haud ita pridem adjecimus.(*e*) Nexum hunc Tabula peculiaris oſtendit.(*f*)

§. VI.

Zaringicæ Familiæ ſplendor.

Proſapia Zaringo-Badenſis undecimo jam ſeculo Carinthiæ Sueviæque Ducatus & Marchiam Veronæ aliquandiu; Landgraviatum Brisgoviæ ſemper; Turicenſem Comitivam a Bertoldi II. ævo; Rectoratum Burgundici & Arelatenſis Regnorum a Conradi temporibus ad extinctam usque lineam Zaringo - Zaringicam conſtanter poſſedit; magnarum urbium reſtauratrix & conditrix; in turbis illis inter Imperium & Sacerdotium Cæſari Romæque formidabilis; quin & imponenda Imperii ſolio, ſi Bertoldus V. minus diffidens & liberalior fuiſſet.

(*d*) Vid. infra Lib. I. Cap. IV.

(*e*) Alſatiæ Illuſtratæ Tom. I. pag. 753. ſqq. & Tom. II. pag. 455. 474. ſqq.

(*f*) In fine hujus Cap. I.

Digitized by Google

§. VII.

Zaringicus hic Bertoldorum ſanguis in Marchionum Badenſium ſtirpe adhuc viget & regnat. Ex his AUGUSTUM GEORGIUM Bada - Badensem & CAROLUM FRIDERICUM Bada - Durlacensem, Marchiones, lineæ utriusque Regentes, noſtra ætas veneratur. Sanguis ejus in Badenſibus ſuperſtes.

Hi a Bertoldo I. Zaringiæ Duce, Hermanni Marchionis, qui Beatis annumeratus eſt, patre, per XXIV. generationum gradus ad noſtrum uſque tempus evidentibus chartarum & hiſtoricorum idoneorum teſtimoniis indubitanter deſcendunt.

§. VIII.

Eberhardo - Lotharingicam Domum Augustinus Calmetus, Habsburgo - Auſtriacam, Marquardus Hergottus vaſtis & doctis voluminibus expoſuere. Zaringo-Badenſem brevius ego exponendam ſuſcipio; origines & fata Sereniſſimæ Domus orbi literato tandem ut certius conſtent. Alſaticæ hiſtoriæ ſcriptor, qui Habsburgicos & Lotharingos trans Juram & trans Vogeſum comitatus eſt, (g) verſo nunc ad orientem itinere, Luitfrido-Zaringos quoque & Zaringo - Badenſes, ex eadem Alſatia trans Rhenum proſequitur in amœnam Brisgoviam, Alſatiæ æmulam; in quam Zaringorum tranſiverunt majores, poſſeſſores Hachbergæ; in quo Marchionatu hujus operis auctor primam lucem âſpexit. Operis ſuſcepti ratio.

(g) In Alſatiæ Illuſtratæ voluminibus.

§. IX.

Epochæ Badenſes.

Memorabiliores autem eventus ab origine Domus ad noſtrum uſque ævum brevi ut repræſentemus tabella, Zaringo-Badenſem hiſtoriam omnem in ſeptem diſtinctas dividimus Periodos.

PRIMA ab Etichone, ſeculi VII. Alſatiæ Duce, ad Bertoldum I. Zaringiæ Ducum & Badenſium Marchionum indubitatum ſatorem. Periodus hæc ALSATO-BRISGOVICA eſt.

SECUNDA a Bertoldo I. ad Bertoldum V. qui ſeculo XIII. fuit Zaringorum poſtremus. Periodum hanc nominamus ZARINGICAM

TERTIA ab Hermannis VI. Marchionibus Badæ ſibi ordine ſuccedentibus, HERMANNIANA vocatur.

QUARTA eſt BADA-HACHBERGICA a ſatore HENRICIANA, quæ deinceps in HACHBERGA - HACHBERGENSEM & HACHBERGA-SAUSENBERGENSEM diviſa.

QUINTA Badenſis eſt ſenior, ab auctore ſuo RUDOLPHINA, quæ uſque ad Bernhardum I. procedit, ſub quo Hachbergicus Marchionatus ad lineam Badenſium rediit; Hachbergica cum Ottone extincta; quod A. 1418. evenit.

SEXTA BERNHARDIANA eſt, a Bernhardo I. ad Chriſtophorum usque ſe extendens, ſub quo Sauſenbergicæ quoquie terræ A. 1503. ad Badenſem lineam redierunt, Sauſenbergenſi extincta.

SEPTIMA Periodus, quæ CHRISTOPHORIANA a Marchione Chriſtophoro, ad noſtrum usque tempus decurrit, Badenſis eſt junior; in BADA-BADENSEM iterum & BADA-DURLACENSEM partita.

Digitized by Google

Per gradus hos ſeptem progredietur narratio. Singuli hiſtoriæ Zaringo-Badenſis lectoribus novum referant theatrum.

Ex Epochis his Primam Conjecturalem appello, quod Zaringorum majores nonniſi conjectando aſſequimur; ſed conjectura, quæ hiſtoricam veriſimilitudinem parit.

Epocha hæc, diuturnitate temporis omnium maxima, obſcuritate rerum eſt brevior ceteris.

§. X.

Antequam autem noſtrum Epochæ Primæ proponamus ſyſtema, antiquiora ſyſtemata, ſuperioribus recepta ſeculis, quoque exponenda ſunt breviter; quæ nempe longo temporum decurſu in literario & politico orbe, quin & in ipſa Marchionum Badenſium Domo, regnarunt. Syſtemata varia.

Mirabuntur multi, quam credula fuerit medii ævi antiquitas; quam temerarii in conjectando ſæpe fuerint juniores.

Multiplicia hæc ſtemmata in Tres Claſſes opportune dividimus.

Prima eorum Claſſis eſt, Italica Badenſium quibus placet origo.

Secunda ex Helvetia Burgundica, & quidem ex fictis Vindoniſſæ & Altenburgi Comitibus, Badenſes deducit.

Tertia ex Alsatiae Ducibus eos derivat; quæ veriſimilior ceteris & poſtrema hypotheſis eſt. Italica Claſſis antiquitate & numero ſcriptorum reliquas omnes exſuperat. Helveticae, quæ multos quoque aſſeclas habuit, Guillimannus eſt auctor; Alsatica Viguierium, ut dixi, inventorem agnoſcit.

Digitized by Google

§. X.

Cautela.

In hac varietate ſyſtematum monendus eſt Lector, communes Lotharingiæ & Auſtriæ Domuum cum Badenſi origines, ab Etichone derivatas, inter veriſimillima poni; at ſanguinis nexus Zaringos inter atque Badenſes hiſtoricis veritatibus adſcribendus eſt certis. Unde perpetuo eos vinculo ZARINGO-BADENSES appello.

Diverſos hiſtoricæ veritatis gradus qui non probe diſtinguunt, atque adeo fabuloſa cum veris, veriſimilia cum certis, certa cum dubiis indiſcriminatim conjungunt, illi profecto in ſcribenda Gentium & Familiarum hiſtoria non rite procedunt.

TAB. I.

Digitized by Google

E N S I S

R I N G I C A N E X U M
D E N S.

m 690.

ETICHO II. Dux.

LBERICUS Comes circa A. 760.

RHARDUS I. Comes † circa A. 800.

BERHARDUS II. Comes † A. 864.

RHARDUS III. Comes † circa A. 900.

GO I. Comes Nordgov. circa A. 940.

RHARDUS IV. Comes † ante A. 966.

TUS I. Marchio Lotharingiae † poſt A. 1037.

GERHARDUS Comes † A. 1047.

s Comes de Alſatia, Dux Lotharingiae A. 1048.
b. Ducum LOTHARINGIAE Auctor.

ae et Marchio
GENSIUM et

1074.

NAPOLI

Digitized by Google

CAPUT II.

SYSTEMA ITALICUM.

§. I.

Apud Germanos medii aevi conſuetudo invaluit, illuſtrium Familiarum origines ut ex Italia derivarent, majoris gloriae eſſe arbitrantes, ab extera natione, veteris orbis domina, genus deducere, quam ſuae Germaniae ſe profiteri indigenas. Originis Italicae affectatio Germ.

Nauſea indigenatus veteres quoque vexaverat Romanos, qui a Trojanis victis, fugitivis et advenis, ſua repetere primordia, quam Aborigenes Latii ſui ſe haberi maluerunt. Francicam nationem a Priamo et Hectore, Trojanis principibus, illuſtris ille Turonenſium ſeculi VI. Antiſtes jam deduxit GREGORIUS *(a)*.

(a) *Hiſtoria Francor.* Lib. I. Cap. I. Item FREDEGARIUS ejus Continuator.

Digitized by Google

Primum Britanniae ſuae Regem Aeneae pronepotem, Aſcanii nepotem, Silvii filium, Brutum omni antiquitati incognitum Rerum Anglicarum ſcriptores medii aevi conſtituunt. (*b*)

Antiqua illa Aſcaniorum Germaniae borealis proſapia, quae veteri Saxoniae Duces, Brandeburgo Marchiones produxit, ex qua hodierni Principes Anhaltini proveniunt, ad Urſinos, Roma in Germaniam appulſos, ſuum ſanguinem referunt.

Tempus erat, quo Hohenloica Gens à Flaminiis, Zollerana à Columnenſibus (*c*) ſuum genus ducebant. ULRICUS KRIEGIUS, Rudolphi I. Habsburgici, Germaniae Regis, comes bellorum, ex Turico Nobilis, vel quisquis ejus nomine Chronicon ſcripſit, Habsburgicis Anicios et Perleonios aſſignavit majores; receptam tum temporis ſententiam ſecutus; (*d*) quam

(*b*) Unde *Brutanniæ* primum, dein *Britanniæ* nomen volunt exortum. NENNII *Hiſtoria Britonum* apud THOM. GALE *Scriptores* XV. pag. 94. HENRICUS HUNTINGDON. Lib. I. pag. 300. *in Scriptorib. Henr. Savilii.*

(*c*) REUSNERUS in *Opere Genealogico* pag. 373. LEQUILE *de Domo Auſtriaca* Part. I. p. 141. Invertit rem RITTERSHUSIUS in *Genealogico Opere* p. 140. et 141. Urſinos ex Germania in Italiam perveniſſe afferens.

(*d*) *Chronicon* ejus Ms. in publica Turicenſium Bibliotheca vidi. Continuatum eſt usque ad A. 1420. De antiquitate ejus veroque auctore diſputat TURICENSIS ANONYMUS in *Bibliotheca Helvetica*, germanice edita, Tom. I. pag. 129.

Jo. SEIFRIDUS ante hos centum et quinquaginta annos recoxit. (*e*)

§. II.

Affectationis hujus cauſſae.

Brunſvico - Luneburgica Domus, ab Eſtenſibus Italiae Ducibus haud dubie prodiens ſuoque flore, ſub Guelphis ſuperba, alias induxiſſe videtur Germaniae Familias, ut Italico ſanguine ſe quoque ortas jactarent. Enimvero frequentes Germaniae Caeſarum expeditiones trans Alpes occaſionem dederunt, ut Duces, Comites et Dynaſtae Germani, Italicis praeficerentur Provinciis; unde nepotes inducti ſunt, ut Praefectos illos Italici ſanguinis fuiſſe exiſtimarent. Inter Marchiones Badenſes duo Hermanni, Tertius hujus nominis et Quartus, Friderici I. Imp. deſtinatione ſeculo XII. Marchiam gubernarunt Veronae. Seculo praecedente ſub Henrico IV. Imp. Bertoldus I. Zaringenſium et Badenſium ſator, non modo Carinthiae Dux fuerat, ſed et Veronenſium Marchio. Confuſa harum rerum apud veteres notitia originis Veronenſis credendae fuit proxima occaſio.

(*e*) SEIFRIDUS, Abbas Zuethalenſis in Auſtria A. 1612. *Arborem Aniciam* edidit. TENGNAGELIUS et P. LAMBECIUS, Bibliothecarii, hoc ſyſtema probarunt, ſed Perleonios non ab Aniciis, verum à Judaeo exortos, noſtrum aevum aperuit.

Conf. *Alſatiae Illuſtr.* Tom. II. pag. 460.

§. III.

Italicae Badenſ. originis Auctores

Veterem hanc Domus Badenſis traditionem PETRUS DE ANDLO, ex Alſatica Andlavienſium Familia natus, inter primos cum circumſtantiis exponit. (f) Narrat enim, quod Fridericus I. poſt primam expeditionem Italicam (g) in Germaniam rediens, liberum Italiae ut aditum haberet, unum ex filiis Marchionis Veronenſis, ex Romana Urſinorum propagine orti, cujus reticet nomen, obſidem ſecum in Germaniam duxerit, quodque Dynaſtiam Hachbergae ei dederit cum Caſtro. (h)

Quum autem novus hic Marchio obiiſſet improlis, addit Andlavius, Hachbergicos Nobiles legationem miſiſſe Veronam; ut unus ex defuncti nepotibus adduceretur ſucceſſor. Advenienti Hachbergenſem tractum fuiſſe commiſſum, et ab eo Marchiones proveniſſe Badenſes, qui deinceps Marchionatus axioma Comitatui Badenſi impreſſerint. Haec Petrus de Andlo. FRANCISCUS IRENICUS, Ettlingae, adeoque in terris Badenſium, circa A.

(f) In Tractatu ſuo de *Imperio Romano* Lib. 1. Cap. 15. Petrus hic, Decretorum Doctor, in Academia Baſil. Jus Canonicum publice expoſuit circa medium ſeculi XV.

(g) A. 1155. Italicam expeditionem primam Fridericus ſuſcepit.

(h) Dynaſtiam hanc Conrado Zaringenſi ereptam, Hermanno Marchioni Veron. Fridericum I. Imp. in feudum contuliſſe, tradit CRUSIUS *Annal. Suev.* Part. II. L. X. p. 422.

Digitized by Google

1495. natus, Philippo, Chriſtophori, Marchionis Badenſis, filio carus, quem in ſtirpis ejus deſcriptione alloquitur, ait: (i) „ Vidimus literas multa antiquitate praeditas, eam (Italicam) „ originem Marchionibus pollicentes. Sed et ad alias Johannis cujusdam Marchionis provocat literas, in quibus Italicae gentis ab Urſino quodam Romano, ad Marchiae Veronenſis Rectoratum per Fridericum I. Imp. promoto, referatur origo. Epochae huic Annum 1153. aſſignat Irenicus, ſubjungens, ſe quoque noſſe Scriptores, qui Hermannum quendam, Marchionem Badenſem, jam A. 1120. commemorent; ipſeque in hac ſententia acquieſcit.

§. IV.

Stemmatis fautores.

Petri Andlavienſis et Irenici tradita Munsterus, (l) Lazius, (m) Crusius, (n) Henninges, (o) Reusnerus, (p) Albizius, (q) Lehmannus, (r) Limnaeus, (s)

(i) *Exegeſis Germ.* Lib. III. cap. 97. 99.

(l) *Coſmograph.* Lib. 3. Cap. 254. 260. 273.

(m) De *Migrat. Gentium* Lib. VIII. pag. 500. 510.

(n) *Annal. Suevicor.* Lib. IX. Part. II. Cap. 18. Lib. X. Part. II. Cap. 11.

(o) *Theatr. genealog.* Tom. III. p. 239.

(p) *Oper. Genealog.* pag. 511.

(q) *Stemmat. Princip.* fol. 41.

(r) *Chron. Spir.* Lib. IV. Cap. 7. p. 255.

(s) *Jur. Publ.* Lib. V. cap. 5.

Digitized by Google

MYLERUS AB EHRENBACH, (t) SPEIDELIUS, (u) aliique magno numero ſecuti ſunt, Veronenſes Badenſium origines uno omnes ore profeſſi, in circumſtantiis inter ſe licet diverſi. (x)

Nec ſilentio tranſeundum, quod Erneſto et Georgio Fridericis, Marchionibus fratribus, varia doctrina ornatis, illuſtris ſuo tempore Genealogus, ELIAS REUSNERUS (y) Tabulam Marchionum Hachberga-Badenſium, operi Genealogico, quod BASILICA inſcripſerat, inſertam, A. 1592. dedicaverit, in qua Hermannum Comitem Veronenſem et Paduanum, quem Friderico I. Imp. ſanguine junctum fuiſſe ait, ab eodem in Marchionem Principemque Imperii, poſtquam Juditham Hachbergae Comitiſſam duxerit uxorem, A. 1153. promotum fuiſſe, confidenter perſcribat.

§. V.

Syſtemata alia ejusdem originis.

Septennio poſt GEORGIUS, HOHENZOLLERAE COMES, (z) indolis erectae juvenis, de Badenſium originibus ingens Volumen,

(t) *Archolog. ordinum Imp.* Cap. 10. p. 90.

(u) In *Speculo Jur.* Voce BADEN.

(x) MUNSTERUS Annum 1153. LAZIUS Annum 1151. quibus Fridericus I. Imp. Italiam nondum intraverat, CRUSIUS Annum 1155. rei geſtae affigunt.

(y) Rubrum Libri eſt: *Opus Genealogicum Catholicum*, Francofurti 1592. fol. Genealogia Badenſis exponitur pag. 511.

(z) Joachimi Zollerenſis et Annae Badenſis Marchioniſſae filius. Anna haec ſoror fuerat Georgii Friderici, adeoque filia Caroli II. Marchionis, neptis Erneſti. Codex Autographus extat in Chartophylacio Bada Durlac. ab ipſo Auctore Marchioni oblatus.

Digitized by Google

manu exaratum, ſoli Georgio Friderico, Avunculo ſuo, dedicavit, in quo Badenſes a Regibus Gothorum, per Scaligeros, Veronae Dominos, nova conjectura derivat, et ab illis ad Receſvindum, Oſtro-Gothorum Italiae ſeculi VI. Regem, aſcendit; pleraque ex Pſeudo-Hunibaldo aliisque impuris fontibus hauriens.

Poſtremus Italici ſyſtematis hic fuerat conatus, cujus tam manifeſta eſt falſitas, ut nemo non miretur, per quadringentos illud annos potuiſſe ſubſiſtere, quum evidens hodie ſit hiſtorica veritas, Henrici IV. Imp. temporibus Zaringo-Badenſes jam floruiſſe Marchiones, adeoque centum per annos, antequam Fridericus I. Imp. Hermannum III. Marchiae Veronenſi praefecit; quae Praefectura ei forte commiſſa eſt, quod Proavus ejus, Bertoldus I. cum Carinthiae Ducatu Marchiam quoque poſſederat Veronae.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT III.

SYSTEMA BADENSE HELVETICO-ZARINGICUM GUILLIMANNI ET PISTORII.

§. I.

Guillimanni ſyſtema.

Primus ab Italico ſyſtemate ſeculi ſuperioris initio recedere viſus eſt FRANCISCUS GUILLIMANNUS, Friburgo-Helvetius, qui Friburgi Brisgoviae Cathedram exornavit Hiſtoricam. Novum hic genealogicum Badenſe ſyſtema in HABSBURGIACIS ſuis (*a*) produxit, quod Habsburgo-Auſtriacis Zaringos atque Badenſes innectit; utrosque à Burgundicis Vindoniſſae Helveticae Comitibus deducit.

Syſtema hoc appello HELVETICUM. Majorem ille his Domibus gloriam ſe conciliaturum arbitratus eſt, ſi excluſa Italia ab

(*a*) *Habsburgica* ſua Mediolani A. 1605. primum edidit GUILLIMANNUS.

Digitized by Google

S T E M M | S E
F R A

THEODIBA

Ottobertus I. Comes Altenbu

Amprinctus † c. A.

Hettobertus.

Rampertus Comes Altenburgi | ugiæ, inde
† 780.

Guotramus I. Comes Altenb

Luitfridus I. Comes Altenburg | s, Archiep.
Landgravius † 855.

Luitfridus II. Comes Altenburg | is Comitis,
egis.

Hundfridus I. Comes Altenburg

Guotramus II. Comes Altenbur

Lanzelinus I. vel Landolus | improlis.

Ratbodus, Habsburgensium fat | imanno, qui

ım fator.

ab Helvetico - Burgundicis Comitibus origines earum derivaret communes.

JOH. PISTORIUS, eodem tempore vivens Friburgi, ex Abbatiae San-Petrinae Chartis didicit, Marchiones Badenſes à Bertoldis, Zaringiae Ducibus, certo deſcendere. Guillimannus, haec à Piſtorio edoctus, Zaringica vera cum Vindoniſſenſibus falſis, ab eo effictis, in unum corpus compegit. Bertilonem enim, Bertoldorum Zaringenſium qui veriſimilis ſator eſt, Guntramniano Habsburgenſium ſtemmati, ex Actis Murenſibus condito, inſerere ſtudens, Kanzelinum II. Actis illis ignotum, ex ingenio ſuperaddidit; atque adeo ſtemmati Murenſi Habsburgico, quod à Genealogis probatur, monſtroſum ſuperſtruxit aedificium, ut ad ignotum usque Theodibaldum quendam aſcenderet, quem ex mutilo aevi incerti fragmento lapideo, Vindoniſſae Helveticae invento, Comitem illius tractus ſub Dagoberto M. Franciae Rege conſtituit. (*b*)

Stemma Guillimanni exhibet adjecta hic Tab. II.

(*b*) *Habsburgiac.* Lib. II. Cap. 3. Vindoniſſae et Altenburgi Comites pro iisdem habet Guillimannus; ab utrisque Habsburgenſes deducens. Acta Murenſia Kanzelinum Guntramni Divitis filium vocant Comitem de Altenburg. Sed Comitatus hic ab Habsburgenſi plane fuit diverſus, ut Chronici Gottvicenſis Auctor demonſtrat.

Digitized by Google

§. II.

Examen Syſtematis.

Suprema hujus ſtemmatis pars usque ad Guntramnum II. adeoque à ſeculo VII. usque ad X. merum figmentum eſt, haud ſimile vero. Media pars, ſi Genealogiae Actorum Murenſium foret conformis, fide hiſtorica niteretur. Infima San-Petrinorum Actorum auctoritate conſtans, hiſtorice certa eſt.

In parte ſuprema Theodebaldum, Amprinctum, Hettobertum, Guntramnum primum aliosque, Guillimannus, nullis probationibus ſuffultus, in ſcenam producit; quorum plerique genuinis monumentis ne quidem nomine noti, ſola Jacobi Manlii ſtant fide. (*c*)

Kanzelinum ſecundum ex Murenſibus Actis Guillimannus ſe producere ſcribit, quae tamen nonniſi unum hujus nominis agnoſcunt. Infima Guillimanniani ſtemmatis pars, quae Bertoldos duos et Hermannum I. reſpicit, ſana eſt. Illi ergo, qui HELVETICA ejus et ARGENTINENSIA cum fructu legerunt, HABSBURGIACA ejus curate legentes, non ſemel Guillimannum

(*c*) JAC. MENLIUS vel MANLIUS, qui *Chronicon Conſtantienſe*, à PISTORIO in *Scriptor. Rer. Germ.* Vol. III. editum, ſcripſit, compilavit quoque *Chronicon de Origine Maximiliani I. Imp.* quod Guillimannus L. III. Cap. I. p. 68. allegat. Hiſtoricus fuit Maximiliano carus; Friburgi Brisgov. natus. *Collectanea* ejus Mſs. in Bibliotheca Caeſarea Vindobonae ſervantur.

Digitized by Google

in ipſo ſunt quaeſituri Guillimanno; qui abſurda aliorum confutans in abſurdiora prolapſus eſt. Habsburgica Genealogia ei praeſertim curae fuit, Badenſem curavit Piſtorius; ille lubricis et ab ipſo interpolatis; hic indubiis San-Petrini Monaſterii documentis innixus; quae neſcio quo conſilio allegare neglexit. En Schema, quod Manlii Chronico Conſtantienſi adjecit Piſtorius: (d)

Ex Vindoniſſae Comitibus, ex quibus
et Habsburgici

Pirtilo fundator Coenobii Sulzburg 1008. cum fratre.	Gebhardus.
	Bezzelinus.
	Bertoldus I. Zaringiae Dux.
Bertoldus II. Zaringiae Dux.	Hermannus Marchio, Cluniaci mortuus.

(d) In illo *Rerum Germanicarum* Volumine, quo Scriptores ſex edidit PISTORIUS pag. 742. novae Edit. et veteris a. 1607. p. 666. Cum Piſtoriano hoc ſtemmate conſpirat fere illud, quod PETRUS GREMMELSPACHIUS San-Petrinus Abbas, qui illi Monaſterio ab A. 1496. ad A. 1512. praefuit, in *Genealogica Synopſi* a. 1507. concinnavit, quae in CRUSII *Annal. Suev.* T. I. L. VII. P. 2. p. 219. comparet.

Digitized by Google

§. III.

Confutatio.

Prima hujus Tabulae verba ex Guillimanno deſumpta ſunt. At ubi Bertoldo I. Zaringiae Duci, Kanzelinum II. pro patre, et Kanzelinum I. pro avo Guillimannus aſſignat, à Piſtorio deſeritur. Falſus enim ejus eſt nexus, quem Habsburgicos inter atque Badenſes conſtituit.

Kanzelino, Guntramni filio, Murenſia Acta Radebotonem, Wernerum et Rudolphum filios, aſſignant. Kanzelinum II. his adjecit Guillimannus, (e) Bertoldi I. quem conſtituit patrem; quemque pro lubitu nunc Lancelinum, nunc Landolum vocat; in Murenſibus Actis eum reperiſſe ſe jactans. (f) Actis his, in

(e) JAC. MANLIUS Lancelinum quoque Habsburgenſium et Badenſium ſatorem conſtituit, ſed Lancelinum Guntramni Divitis filium: alium enim praeter hunc ignorat. En Schema MANLII apud GUILLIMANNUM *Habsburg.* L. IV. C. II. et III.

Guntramnus Dives
|
Lancellinus

Radebodo	Bertoldus I.
Habsburg. ſator.	Zaringenſium ſator.

(f) Ita enim L. IV. p. 123. ſcribit Guillimannus: „ Mihi ex Monumentis „ Murenſibus compertum, filios (Lancelinum) ſuſcepiſſe quatuor, „ Rathbodum, Vernerum, Rudolphum et Landolinum Juniorem. „ P. 149. ait: „ Defunctus eſt Landolus A. 1036. . . . Reliquit Berchtholdum I. Is „ eſt Berchtholdus, cui Barbato cognomentum, qui primus arcem „ Zeringam condidit etc.

Digitized by Google

lucem tum nondum emiſſis, falſa cur interpolaverit, non equidem divino.

§. IV.

Tſchudii querela.

Nec primus ego Murenſium Actorum interpolationem Guillimanno objicio. Dominicus Tschudius, (ff) Coenobii Murenſis venerabilis Abbas, ante hos centum annos de eo jam acriter queſtus eſt. Ait enim: „ Guillimannum praeſtaret, aut „ Monaſterii noſtri Murenſis Archivum nunquam luſtraſſe, aut „ ea, quae inde hauſerat, majori ſtudio, cura et fide tractaſſe. „ Malae fidei eum Abbas accuſat, quod Genealogiam, Murenſibus actis praefixam; nos accuſamus eum, quod Acta ipſa corruperit.

Verum enimvero Guillimanni temeritas non ad Murenſia modo Acta, ſed ad Sulzbergenſia quoque ſe Monumenta extendit. Aſſerit enim, Lancelinum, Guntramni filium, cum Birctilone, fratre ſuo, Monaſterium in Sulzberg condidiſſe. (g) At Birtelo ſolus fuit Monaſterii inſtitutor, ut Charta fundationis A. 996. aperte nos docet. Alia (h) donationis Charta, quam

C 3

(ff) In Libello erudito cui titulus: *Origo Comitum de Habsburg.* p. 97.

(g) *Habsburg.* L. IV. pag. 121.

(h) Verba ejus haec ſunt: „ Ego Pirrtelo nomine, omnem hereditariam „ partem, quae me contingebat, tradidi cum manu fratris mei Gebhardi „ ad Caſam Dei, quae eſt constructa in loco, qui dicitur mons ſalſuginis.

Digitized by Google

A. 1008. idem Birtelo fecit, nos docet, Gebhardum, non Kanzelinum, fuiſſe fratrem Birtelonis. Addit Guillimannus, (*i*) Lancelinum et Bertilonem fratres in Sulzbergenſis Monaſterii Aede Capitulari ſimul fuiſſe ſepultos, ibique imaginem tabula antiqua reperiri depictam, cui BETZELINI (*l*) adſcriptum ſit nomen. Equidem omnes Monaſterii, ſeculo addicti, partes avide et diligenter perluſtrans, Tabulam hanc fruſtra quaeſivi. Imaginum variarum picturae fugientes in muro conclavis, quod ille Capitulare appellat, hinc inde comparent, ex quibus tamen nihil didici, quod ad Bertilonem, aut ad Lancelinum ſpectaret. Sed certo didici, picturas illas non ſatis antiquitatis habere, ut in Bertilonidum rebus ullam faciant fidem. Quanta Sulzbergenſis hujus Parthenonis, inter mediocres ſane reputandi, gloria fuiſſet, ſi Auſtriacae et Badenſis Domuum ille cuſtodiviſſet ſatores.

(i) *Habsburg.* L. IV. p. 164. et 166. ſeq.

(l) GEBVILERUS in *Epitome Archiducum Auſtriae* L. 2. C. 17. Bezelinum Habsburgicum Sulzibergenſe Coenobium condidiſſe vult, inibique ſepultum. Bertilonem fundatorem cum Gebhardo fratre ſepulturam ibi habuiſſe, veriſimilius eſt.

Digitized by Google

§. V.

Inane ergo cum ſit Guillimannianum de Badenſibus et Habsburgicis originibus ſyſtema, non pauci mecum mirabuntur, quod tot Viri, doctrina illuſtres, BESOLDUS, (m) RITTERSHUSIUS, (n) SCIOPPIUS, (o) ZEILERUS (p) CHIFLETIUS, (q) SPENERUS; (r) ut et inediti Rerum Badenſium ſcriptores, FOERSTERUS, JUNGLERUS, aliique certatim illud ſecuti ſunt. Guillimanni auctoritas, quam prioribus acquiſiverat ſcriptis, tam ſecuros reddidit ejus lectores, ut absque ulteriore examine et poſtrema ejus probarent. Affeclae Guillimanni.

§. VI.

Tria momenta ſunt, ad quae in HABSBURGIACIS ejus Lector animum advertat. Concluſio.

(m) *Theſaur. Pract.* voce BADEN.

(n) *Exeg. Genealogico-hiſtorica* p. 140.

(o) *Stemma Domus Auſtriae*, ſubjunctum *Conſilio Regio* Ticini edito A. 1619.

(p) *Itinerarium German.* Cap. 9. p. 222. adde *Continuat.* I. Cap. 9. p. 122.

(q) *Lumina nova praerogativa ad Vindicias Hiſpanicas* p. 314.

(r) *Sylloge Genealogico-Hiſtorica* p. 605. ſeq.

Digitized by Google

Primo ad Domus Badenſis cum Zaringica nexum. Secundo ad Zaringiae Ducum cum Habsburgo-Auſtriacis vinculum. Tertio ad primas origines, quas Zaringo-Badenſibus et Habsburgo-Auſtriacis ille tribuit communes.

Badenſes inter atque Zaringos nexum ille recte conſtituit, qualem ei nempe ſuggeſſerat Piſtorius; ſed nexus probationes Piſtorius non revelavit Guillimanno; qui Zaringorum cum Habsburgicis vinculum temere diſpoſuit, et utrosque ex Vindoniſſæ Burgundo-Helveticae Comitibus novo et falſo auſu derivavit. Supereſt, ut a reprobato ſyſtemate Helvetico tandem ad Alſaticum progrediamur.

CAP.

Digitized by Google

CAPUT IV.

SYSTEMA ALSATICUM VIGNIERII, HERRGOTTI ET NOSTRUM.

§. I.

Syſtematis tertii, quod expoſiturus ſum, auctor eſt, quem ſupra indicavi, HIERONYMUS VIGNIERIUS, Gallo-Bleſenſis, qui A. MDCXLIX. illud publicavit Lutetiæ.(a) Hic à Guntramno. Divite, Habsburgicæ Domus certo ſatore, qui ſeculi X. medio vixit, per Alſaticos Egishemii Comites ad Etichonem uſque, Alſatiæ Ducem, circa A. 693. mortuum, per continuas generationes aſcendit, unde ALSATICUM appellamus SYSTEMA. Syſtema Vignierii

Syſtema hoc Zaringos inter atque Habsburgicos nexum à Guntramno quoque Divite derivat; ſed non per Landelinum II

(a) Libri Rubrum eſt: *„Origine des Maiſons d'Alſace, de Lorraine, d'Autriche „& de Bade.* fol.

Digitized by Google

à Guillimanno effictum Guntramni nepotem, ſed per Birtilonem, quem Guntramni filium, Landelini I. vel potius Kancelini fratrem, natu juniorem, conſtituit; illum nempe, qui Monaſterium Sulzbergenſe A. 993. inſtituit. Bertilonem hunc Kanzelino fratrem quoque aſſignat Guillimannus, ſed fratrem improlem. Vignierius contra Zaringorum proſapiam ab eo hunc in modum derivat:

Guntramnus Dives

Birctilo	Kanzelinus
Bezzelinus	Radeboto
Bertoldus I. Dux Zaring.	Wernharius Comes Habsb.

Syſtema hoc Birctilonem Guntramno, Bezzelinum Birctiloni filios, ſine ulla auctoritate adſcribit. Ne nomen quidem Bezzelini chartis antiquis proditum eſt.

§. II.

Sectatores Syſtemat. Vignier.

Chifletius, qui *Lumina nova* A. 1647. conſcripſit, biennio ante, quam Vignierii comparuerat liber, hypotheſi Guillimannianæ adhærens; triennio poſt in *Auſtriaco Stemmate* ſecutus eſt

(b) *Præfat. Apologet. ad Genealogiam Franc.* num. XXIX. 4.

Vignierium, quod & ipſe Chiſletii hoſtis fecit Blondellus (*b*) aliique, qui ab eo tempore Auſtriaca, Badenſia (*c*) & Lotharingica fuſius tractarunt.

Ipſi ex Habsburgo-Auſtriaca Domo prognati Germaniæ Cæſares Badenſium cum Habsburgicis nexum per Bertilonidas & Bertoldos Zaringenſes probarunt.

Rudolphus II. ſub cujus auſpiciis ſcripſit Guillimannus, vinculum iſtud admiſit. Leopoldus, in Diplomate, quod A. 1664. Friderico VI. Marchioni Badenſi, aurea bulla munitum, Ratisbonæ conceſſit, in Principis hujus laudes excurrens, diſerte perſcribit, Marchiones Badenſes, ex Regio, & quidem Auſtriacis & Badenſibus communi Habsburgico atque Zaringico ſanguine fuiſſe progenitos, (*d*) quin & omnibus pene Regiis, Electoralibus ac Principum Domibus cognatione & affinitate conjungi.

(*c*) Huc pertinet Johannes Gamansius, *Hiſtoriæ Badenſis* ineditus ſcriptor, Vignierio coætaneus.

(*d*) His verbis: „Wan wir gnediglich angeſehen, wahrgenommen und „betrachtet der Hochgebohrnen Wilhelmen und Friderichen beeder „regierender Marggraven zu Baden und Hochberg &c. Baden-„Badiſch, und Baden-Durlachiſcher Linien unſerer lieben Vettern „und Fürſten nit allein aus Kœniglichem und zugleich mit unſerm „Erzhauſs aus dem uhralten Habsburg- und Zeringiſchem Stamm

Vignierianum Syſtema Carolo VI. Imp. placuiſſe, ipſe ex ſacro ejus ore intellexi.

Sed & ab Auguſta Lotharingiæ Domo hoc ſyſtema probatum eſt; quæ in Alſaticis originibus magnos providentiæ divinæ ductus veneratur; quod illa poſt tot ſeculorum ſpatia cum Habsburgo-Auſtriacis, agnatis ſuis, in unum denique redierit corpus.

§. III.

Correctores Vignier. Syſtem.

Hæc de Vignieriano Syſtemate generatim. Partes autem ejus ſigillatim ſi ſpectes, in ordinatione linearum & graduum illud a ſucceſſoribus Genealogis haud leviter correctum eſt; ita tamen, ut ipſa ædificii forma, cum præcipuis ejus partibus, ſalva perſtaret.

Enimvero in Etichone, Alſatiæ Duce, ſubſiſtere quum debuiſſet Vignierius, ab eo ad Francicos Palatii Præfectos,

---

„entſproſſenen Herkommens, ſondern auch ſeithero œffters mit „demſelben, und vaſt allen kœniglichen Europæ Chur- und Fürſten „des Reichs wiederhohlter heürathsverwantnus und Sippſchafft &c. Communem hanc Habsburgicorum & Badenſium originem multis perſuaſit Dominicanus ille Chronici Colmar. Auctor anonymus, qui de Rudolpho Habsburg. ita ſcribit: „natus eſt Rudolphus de progenie „Ducis Zaringiæ.„ Verum nonniſi cognatio per feminas hic intelligitur. Mater enim Rudolphi fuit Heilwigis Kiburgica, quæ ex Anna Zaringica prodiit.

Leudeſium & Erchinoaldum (*e*) aſcendit. Aſcenſus hic ei excitavit Cenſores.

Prodiit nimirum ante octo hæc luſtra GEORGIUS ECCARDUS (*f*) qui ex ſyſtemate hoc Merovingicos illos Domus Majores rejecit, illique Leutharios, Alemanniæ Merovingicæ Duces, ſubſtituit, ut eos Etichoni aſſignaret majores. Ab Eccardo correctum.

Vignierius ergo in deſcriptione majorum Guntramni correxit Guillimannum. Vignierium in majoribus Etichonis correxit Eccardus.

§. IV.

Sed & Eccardo alius Vignierii corrector ſucceſſit HERRGOTTUS, nuper fatis defunctus, qui Eccardianis emendationibus novas adjecit, uti Eccardianis & Herrgottianis nos quasdam adjecimus; (*g*) ſervata tamen præcipua ædificii forma. Noſtræ correctiones.

Enimvero Bertoldum ego Ducem Actorum Einſidlenſium, (*h*) quæ Vignierius nondum viderat, auctoritate inductus, conſtitui

D 3

(*e*) Unde Syſtema hoc *Erchinoaldinum* quoque appellatur.

(*f*) Liber ECCARDI hoc titulo prodiit: „*Origines Familiæ Habsburgo-Auſtriacæ*, Lipſiæ 1721. fol.

(*g*) *Alſatiæ Illuſtr.* Tom. II. pag. 464. ſqq.

(*h*) Apud HERRG. *Genealog. Habsb.* Tom. III. pag. 833. ubi: „Comes Lantoldus

Lantoldi nepotem, qui Lantoldus cum Kanzelino, Guntramni filio idem fuiſſe exiſtimatur. (*i*) At ſupplendus erat mihi hiatus Actorum, quae patrem Bertoldi Ducis non produnt. Patrem ergo ei aſſignavi Bertoldum, Provincialem illum Brisgoviae Comitem, quem Chartae noſtrae A. 999. & 1004. memorant; eo minus ſuſpectum, quod filius eodem nomine, eadem dignitate, antequam Dux fieret, in eadem provincia, iisdemque poſſeſſionibus, ut infra patebit, conſpicuus fuit.

Nec ſententiam circa patrem nunc muto. De avo autem Lantoldo nunc aliquantum ſubdubito, an ſatis antiqua ſit Actorum Einſidlenſium, quam produxi, auctoritas, ut avus Bertoldi I. Ducis conſtituatur.

„de Zaringen, avus Berchtoldi Ducis Carinthiae dedit cum uxore ſua „Luitgarda duas huobas in Melis. „ *Necrologium Einſidl.* ad Januar. haec habet: „Ob. Landolphus Comes de Zeringen avus Bertholdi Comitis „de Zeringen, qui cum uxore ſua Luitgarda dedit duas huobas in Melis.

(*i*) Lantoldum Guillimannus, Viguierius & hujus aſſeclae eundem cum Murenſium Actorum Kanzelino, Guntramni filio, conſtituunt, non diſſentientibus Eccardo atque Herrgotto, quibus & nos haud inviti acceſſimus.

§. V.

Certitudo hiſtorica rerum Zaringo Badenſium à Bertoldo hoc incipit, qui A. 1077. mortuus eſt ſenex, adeoque circa ſeculi XI. initia natus. Nativitas patris ergo in adulta ſeculi X. ætate inter Bertoldos & Bertilones quærenda. Zaringenſium majores.

Opus ergo, ut omnes temporum ſuperiorum Dynaſtas hujus nominis & Comites inquiramus, in quibus profecto latent Zaringorum majores.

Bertilo, Piratilo, Pirtilo, vulgari germanorum ſermone *Bertel*, *Bertold*, *Berchtold*, unum idemque nomen enunciatione modo variat; re ipſa non diſcrepat. In Brisgovicis octavi, (*l*) noni, decimique ſeculorum Chartis ubi Comitum Brisgoviæ mentio, nomina frequenter occurrunt.

Chronologicam eorum ſeriem repræſentamus Lectoribus, ut & ea, quæ jam dicta ſunt, & quæ porro expoſituri ſumus, rectius intelligantur.

(*l*) Ruthardum, qui A. 749. Arnolfsaugiæ Monaſterium in Alſatia Inferiore condidit; WIMPHELINGIUS de *Epiſc. Argent.* pag. 23. Zaringiæ Comitem vocat, deſtitutus fundamento.

Add. HERZOGIUS in *Chron. Alſat.* Lib. 3. pag. 71. Monaſterium ſub Ludovico Pio Imp. in Ortenaviam translatum *Schwarzach* vocatur. At *Comitis* Zaringiæ nomen monumentis ignotum eſt. *Duces* Zaringiæ non niſi ſeculo XI. comparere incipiunt.

Digitized by Google

§. VI.

Birtilones & Bertoldi Comites a ſeculo VIII.

Anno 770. Monaſterio S. Galli traditio in villa *Agineſheim* Pirahtilone Comite facta eſt. (*m*)

A. 786. Ekino quidam bona in *Pago Piritiloni* in villis *Reothaim* & *Amalpertiwilari* ſub Carolo Rege & *Piritilone Comite* eidem S. Galli Cœnobio donavit.

Eodem anno Chartam traditionis prædii in Pago *Bertoldesbara* ſiti; teſtes ſignarunt *Birtilonus* & *Bertoldus Comites.*

Sed & alia hoc anno Abbatiæ S. Galli donatio in *Paco Pirihteloni* in *locis Althaim* & *Hootzhaim* ſub Carolo Rege & *Pirihteloni Comite* facta.

A. 794. *Perctoldus Comes* ampliſſimam in pluribus Brisgoviæ villis donationem S. Gallo feciſſe ſcribitur.

A. 800. Chadaloh, *filius Perahtoldi Comitis*, hereditatem ſuum in villa *Wanga*, ad Pagum Bertoldesbara ſpectante, San-Gallenſibus dono dedit.

Biennio poſt Wago & Chadaloh, *filii Perahtoldi Comitis* novum Monachis iſtis donum contulerunt. Altum inde in Chartis ſeculi IX. de Bertilonibus & Bertoldis ſilentium. At ſeculo X. Brisgoviæ Comites denuo comparent frequentes.

§. VII.

(*m*) Apud HERRG. *Genealog. Habsb.* Tom. II. n. XI. ſeq. Chartas ſingulas ſuis annis invenies.

Digitized by Google

§. VII.

Anno 968. *Pirihtilone Comite* concambium bonorum in Kachinhova & in Perchuſa inter S. Trutperti & S. Galli Monachos factum eſt. Berghuſum prope Friburgum Brisgoviæ ſitum eſt. Iidem Sec. X. Brisgoviæ Comites.

A. 990. Otto III. Imp. Wormatienſi Eccleſiæ prædium Scaleja, (*n*) in Pago Briſiggovæ & in *Comitatu Birthilonis Comitis* ſitum donavit. (*o*)

A. 993. Otto III. ob petitionem *Birchtilonis Comitis* ad eccleſiam S. Cyriaci in villa Sulziberg dedit, quicquid in iſta villa habuit in Pago *Briſchouve* & in Comitatu *ſuperius jam ſcripti Birchtilonis* Comitis ſitum. (*p*)

Eodem tempore vel paulo ante *Birtilo* Monaſterio Sulzberg a ſe conſtructo, prædia quædam donavit.

A. 994. Otto III. Monaſterio *Waldkiricha*, Benedictinæ Regulæ Monialium, in Pago *Briſiggowe* & in Comitatu *Birthilonis Comitis* ſito, libertatem Augeæ & Corbejæ Monaſteriorum dedit. (*q*)

(*n*) Per Scalejam vicus *Schelingen* prope Burckheim & Limpurg intelligitur, non *Schliengen*, ut plerisque eſt viſum.

(*o*) Ex autographo. Vid. *Cod. Dipl. noſtrum.*

(*p*) Vid. *Codex Diplom.*

(*q*) Ex autographo Collegiatæ Waldkirch, quæ tum fuit Parthenium, S. Margarethæ dedicatum.

Digitized by Google

A. 995. IV. Kal. Jan. idem Otto Imp. eidem Monaſterio Waldkirch quinque manſos cum area una in dominicata villa (*r*) *Schaſhuſon*, in Pago *Briſigowe* dicto, in Comitatu *Birthilonis Comitis* ſitos, nec non locum *Hard* inter villam *Uuila* & *Scaſhuſon* donavit. Actum Ereſtehim. (*s*)

Eodem Anno 995. Cæſar inter Epiſcopum Wormat. & Abbatem S. Galli concambium confirmat, quo prædium Scaleja in *Ducatu Alamannico*, in Pago *Briſachgowe*, in *Comitatu Birichtilonis Comitis* ſitum, Abbatiæ S. Galli traditum eſt.

A. 999. IV. Kal. Apr. Otto III. Imp. rogante Hermanno, Sueviæ Duce, *B. Comiti* ſuo jus conceſſit, in quodam ſuo loco *Villingen* publicum faciendi mercatum cum moneta, telonio ac bonan. Villinga bonum Zaringicum fuit, ut patebit inferius; quare B. hic Comes haud dubie ad Zaringiæ Ducum referendus majores.

§. VIII.

Seculo XI. Anno 1004. Henricus II. Imp. Sulzbergenſi Monaſterio facultatem dedit faciendi mercatum in loco *Rincka*, in Pago *Brisgove*, *in Comitatu Bertholdi.*

(*r*) Villa dominica fuit Villa Regia vel Imperialis. Villæ hæ ſtilo juniore *domaniales* vocantur.

(*s*) Ex autographo ejusdem Collegiatæ. Erſtein Inferioris Alſatiæ vicus eſt.

Digitized by Google

A. 1008. Pirrtelo omnem ſuam hereditariam partem cum manu fratris ſui *Gebehardi* ad Caſam Dei in Sulzberg, in Pago *Priſicheuue*, *in Comitatu Adalberoni Comitis*, tradidit. Subſcripſit Chartæ *Peretholt Comes.*

Ipſum D. Margarethæ Monaſterium in Waldkirch in Nigra Silva, quod in Collegium Canonicorum deinceps converſum, idem Birctilo inſtituiſſe perhibetur. (*t*)

Supereſt adhuc Parochialis Eccleſia vetus, Munzingam inter & Mengam, Inferioris Brisgoviæ vicos, quæ vocatur Birtelonis Eccleſia. (*u*) A quonam Birtilone ſuum ea traxerit nomen non liquet.

A. 1016. Henricus II. Imp. Schutterano Monaſterio manſum in villa Frieſenheim, in *Comitatu Bertoldi in Pago Mortinauue* conceſſit. (*x*)

A. 1028. Conradus II. Imp. Eccleſiæ Baſil. quasdam venas & foſſiones argenti in *Comitatu Bertholdi* & in Pago *Briſichgowe* tradidit.

A. 1047. Henricus III. Imp. Megingodo cuidam regalem manſum in villa Waltchirichun, in Pago *Alpegouue*, (*y*) *in Comitatu Berechtoldi Comitis* ſitum;

(*t*) GUILLIMAN. *Habsburg.* Lib. IV. Cap. I. p. 155. & Cap. II. p. 168.

(*u*) *Birtelskirch.*

(*x*) SCHANNAT *Vindem. Liter.* Collect. I. pag. 19.

(*y*) Waldkircha. Heic non Collegiata, nec oppidulum in Nigra Silva, ſed vicus

A. 1048. Henricus idem Imp. Eccleſiæ Baſil. confirmat bona in Pago *Bryſichegowe*, in villis Mulinheim & Ougheim, in Comitatu *Berchtoldi Comitis*, nec non in villa Pictenſole in Comitatu *ſupradicti Berchtoldi Comitis.*

A. 1049. idem Imp. Monaſterio Rhinau, in Pago Turgovienſi Alemanniæ Ducatus, in Comitatu *Bertoldi* Comitis, poſſeſſiones confirmat, & inter has in Albgowe Cellam, quæ dicitur *Alba*, (*z*) Aloſſa, (*a*) Waldkircha.

A. 1052. Heſſo quidam *Duce Bertoldo*, *Comite Herimanno* Capellam S. Nicolai in Eyſtat, Briſgoviæ vico, inſtituit. (*b*)

§. IX.

Epicriſis. Antiquiſſima harum Chartarum Birtilonem, ut Superioris Alſatiæ Comitem refert. *Aginesheim*, *Egesheim*, Anno. 770. memoratum, oppidulum Alſatiæ eſt, ex quo Comites Egisheimenſes ſuum nomen ceperunt. Unde Pirahtilonem illum Comitem Comitibus Provincialibus Alſatiæ annumeravi. (*c*)

---

hujus nominis intelligitur prope Waldshut, qui triborio à S. Blaſii Monaſterio diſtat; quique ſitus fuit in Alpegovia. Altera Waldkircha, ubi Collegium Canonicorum eſt, ad Briſgoviam refertur.

(*z*) Monaſterium S. Blaſii.

(*a*) Hodie *Aiphen*, vicus duplex inter Waldshutum & S. Blaſii Abbatiam.

(*b*) Charta inter Documenta Badenſ.

(*c*) *Alſatia Illuſtr.* Tom. II. p. 497.

Digitized by Google

In ejusdem ſeculi VIII. progreſſu Bertilones in Brisgovia reperis; qui ſeculo ſequenti intermortui quaſi, majore cum ſplendore ſeculo X. in Brisgovia rurſus comparent. Undecimo autem ſub Bertoldorum nominibus in vicinis quoque & circumjacentibus Ortenaviæ, Nigræ Silvæ, Sueviæ, & Franciæ Orientalis regionibus divites eos atque terrarum potentes reperimus Dynaſtas; quibus & Landgraviatus totius Brisgoviæ commiſſus; uti Comitatus Provincialis Superioris Alſatiæ Comitibus Habsburgicis, Zaringorum agnatis, a Cæſaribus quoque concreditus fuit.

§. X.

Bertilones Zaringor. majores.

Brisgovicæ autem Chartæ, ſub Ottonibus, Henrico Sancto, Conrado Salico & Henrico III. quum Birtilones, Bertoldos, Comites Brisgoviæ memorent, cur non in his quoque Bertoldi I. majores quæramus? Omnes certe in eadem provincia ejusdem nominis atque dignitatis participes, ejusdemque muneris ac officii adminiſtratores, per ſucceſſiones ætatum, ita ſeſe exceperunt, ut alter alterius filius vel agnatus eſſe potuerit.

An autem nexus in illo Bertilone, qui Anno. 1008 Sulzbergenſe Cœnobium condidit, quod Vignierius facit, quod Chifletius, Blondellus, eorumque ſequaces admittunt, vel in fratre ejus Gebhardo, quod facit Piſtorius, vel in alio Pirtilone,

qui jam A. 968. Comes Briſgoviæ fuit, vel in Kanzelino, Guntramni Divitis filio, quem eundem cum Lantoldo Einſidlenſi faciunt, quærendus ſit, conjectura veriſimili ſuſpicari quidem, at hiſtorica certitudine determinare non auſim. Unde ſepoſitis conjecturis ad certiora progredimur, atque in Bertoldi I. Ducis ſubſiſtimus patre, nempe in Bertoldo illo Comite, quem A. 999. Villingam, bonum haud dubie Zaringicum, poſſediſſe oſtendimus. (*d*) Reliqui Bertilones in majorum ejus cenſendi ſunt claſſe, Habsburgenſium agnati; licet graduum agnationis ratio probari non poſſit.

§. XI.

Stemmatis præſtantia.

Ita ad ſeculi X. tempora certis hiſtoriæ documentis Zaringo-Badenſis Domus aſſurgit, atque inter antiquiſſimos Alſatiæ Briſgoviæque Dynaſtas & Comites ſuas figit origines.

Bertoldus I. Dux Badenſium ſator ex nobiliſſimis Optimatibus Germaniæ regni prognatus; (*e*) ex Dynaſta potente & Provinciali Briſgoviæ Comite ad ſolium Ducale Carinthiæ ſeculo XI. promotus eſt.

Tantam antiquitatem dignitatis Ducalis, a majoribus Badenſium ſuæ Domui illatæ, vel in Regiis Gentibus, Francicam & Lotharingicam ſi excipias, fruſtra hoc ævo requires.

(*d*) Vid. §. X. & XI.

(*e*) Verba hæc ſunt *Fragmenti Hiſtorici* ad A. 1125. apud URSTIS. Part. II.

Digitized by Google

§. XII.

Io. Aventini & Chronici Carionis celebritas facit, ut appendicis loco eorum quoque de Zaringicis originibus traditiones apponamus.

Ab Erneſto I. Sueviæ Duce, eas repetit AVENTINUS. (*f*) Putat enim Erneſtum hunc, ducta in matrimonium Giſela, Hermanni II. Sueviæ Ducis, & Gerbergæ Burgundicæ filia, Suevorum Ducatum ab Imperatore Henrico obtinuiſſe, duosque progenuiſſe filios, Erneſtum & Hermannum, a quibus Zaringenſes originem traxerint. CARIO (*g*) autem ab Hugeberto, fratre Teutbergæ, uxoris Lotharii II. Zaringenſes derivat. Sed neuter ſententiam ſuam argumentis probavit. Gerberga, Giſelae mater, filia cum fuerit Conradi, Burgundiae Regis, Nicolaus Vignierius(*h*) Aventinianæ hypotheſeos fautor, cauſam hanc allegavit, ob quam ex regia Burgundionum ſtirpe ortos ſe praedicarint Zaringi.(*i*)

Aventini & Carionis opinio.

(*f*) *Annal. Boicor.* Lib. V. Cap. 5. n. 19.

(*g*) *Chronici* Lib. IV. pag. 395. & 423.

(*h*) NICOLAUS VIGNIERIUS in *Chronico Rerum Burgund.* ad A. 1015. pag. 120. quem cum HIERONYMO VIGNIERIO noli confundere.

(*i*) Vignierianae de Marchionum Badenſium origine, ex Burgundiae Regibus ducenda, ſententiae acceſſerat olim CHRISTIANUS KECKIUS, Conſiliarius Bada-Durlacenſis, vir elegantis ingenii. In *Carmine Nuptiali* enim, quod Anno 1670. Friderico Magno obtulit Caroloburgi, ita canit:

„Auguſtoduni genus alto a ſanguine Regum.
„Hinc Hochberga ferox.

Verum in Genealogicis rationibus ſtirpem non conſtituere foeminas, ignorare non potuerat, dum hæc ſcriberet, Vignierius.

§. XIII.

Felicis Fabri.

Ceterum in conſtituenda Domus Badenſis antiquitate impudentior nemo fuit, quam FELIX FABER, Monachus Ulmenſis; (*l*) qui audacter profeſſus eſt, Marchiones Badenſes ab Imp. Veſpaſiano ad bellum Judaicum ex Germania fuiſſe vocatos, ſuoque aevo literas vocationis in Badenſi tabulario adhuc fuiſſe ſuperſtites. Fabula vix condonanda auctori, niſi ejusdem ſeculi Caeſar FRIDERICUS IV. privilegia a Julio Caeſare atque Nerone, Romanis Imperatoribus, Auſtriae data, jactaſſet, firmaſſet. (*m*)

§. XIV.

Tranſitus adLib. II.

Ordo rerum requirit, ut a Periodo CONJECTURALI; quae Primum noſtrum Librum componit, progrediamur ad certas; quae idoneorum monumentorum teſtimoniis nituntur.

Periodos has in duos Libros, ZARINGICUM nempe & BADENSEM dividimus.

Keckium ſequitur Jo. FECHTIUS, Hochberga - Marchicus, in *Hiſt. Colloquii Emmending.* C. I. p. 7.

(*l*) *Hiſtor. Suevor.* Lib. I. Cap. X. Scripſit ſeculo XV.

(*m*) Literas has Julii Caeſaris & Neronis edidit LUNIG *Archiv. Imperii* Part. Spec. Contin. I. ſub rubro *Oeſterreich* pag. 3. Friderici IV. Confirmatio horum Privilegior. data A. 1453. extat ibidem pag. 33.

TAB. III

Digitized by Google

D U C U M   Z

BERTOLDUS, qu

BERTOLDUS I. ex Comite Brisgoviae Dux Carin Comiti
Ann. 1057. contulerat; depoſitus Ann. 1073. titulo omitis
Moncionis † 1092.

BERTOLDUS II. Dux Sueviæ renunciatus a Guelphi , ex
Abbatiam D. Petri in Silva Nigra condit A. 1093. irſaug.
Sueviæ Ducatum amittit A. 1098. † d. 12. Apr. ntienſ.
Caeſaris filia. 10.

BERTOLDUS III. *Dux Zaringiæ* Friburgum C no I.
Brisgoviæ condit Ann. 1120. † 1123. Molshe- In agno-
mii in Alſatia occiſus. Ux. Sophia, filia Henrici dis Gui-
Nigri, Bavariæ Ducis. *D* mpro-
N

BERTOLDUS IV. Dux Zaringiæ & Rector Burgund. Tran vel
nem cum Friderico I. Imp. & Beatrice, Rainaldi fili Zerin-
An. 1156. qua, dimiſſo Regni Arelatenſis Rectoratu & Co Hum-
Burgundiæ cis Juram, Rectoratum in Burgundiam m Comi-
ſeu Helveticam retinet. Friburg. Helvet. condit in Pago audiæ
ticenſi A. 1178. † Id. Sept. 1186. Ux. Heilwigis ſtirpis inc

BERTOLDUS V. Ducum Zaringiæ ultimus; Bernam c Kibur-
ſolio Imperii deſtinatus A. 1198. acceptis a Philippo ccepit
marcis argenti juri ſuo renuntiat. † Kal. Maji 1218.
Clementia, filia Stephani, Auſonæ in Burgundia Comitis

NAPOLI

Digitized by Google



HISTORIAE ZARINGO-BADENSIS

LIBER SECUNDUS.

ZARINGICUS.

CAPUT I.

BERTOLDUS I. AB ANNO 1060. AD ANNUM 1077.

§. I.

Hiſtoria Zaringiæ Ducum, a quibus Badæ Marchiones, non interrupta maſculorum ſerie deſcendunt, illuſtrem Hiſtoriæ Germanicæ centum & quinquaginta annorum conſtituit epocham. In tragico Germaniæ, ſub Salicis & Sueviciis Imperatoribus, theatro Hiſtoriæ Zaring. ambitus.


Digitized by Google

fervida illa Sacerdotium inter atque Imperium cum flagraret diſcordia, Zaringiæ Duces pacifici comparuerunt actores. Memorabilia hujus Gentis fata, non niſi leviter a ſcriptoribus huc uſque tradita, uberius expoſiturus ſum, adjutus monumentis, quæ Helvetia, Brisgovia, Ortenavia & omnis Nigra Silva, Civilis & Sacra, ex ſcriniis ſuis liberaliter mihi ſuppeditarunt, ut novo jam habitu prodire poſſit Zaringorum Hiſtoria; non ſolis Provinciarum, quas enumeravi, incluſa limitibus, ſed & ad Burgundicum ac Arelatenſe Regnum, ad Burgundicam & Alemannicam Helvetiam, quas Zaringi hereditario regebant jure, atque ad veteres Sueviae Carinthiaeque Ducatus, Marchiamque Veronæ, quibus praeerant ad tempus, ſeſe late extendens. In omnibus harum gentium Annalibus vel ut Rectores & Duces; vel ut Marchiones, Dynaſtæ, Comitesue Provinciæ, comparent Zaringo-Badenſes.

§. II.

Zaringorum nomen.


Bertoldi nomen Zaringiæ Ducibus nativum fere atque proprium fuit. Orthographia ejus in ſcriptoribus & Chartis variavit, in quibus *Berhtold*, *Berthold*, *Berchtold*, *Bertolf*, *Bertulf*, *Pertold*, *Bertold*, promiſcue legimus. Tertius inter Bertoldos cum axiomate *Zaringiæ Ducis* primum comparet. Uſus tamen & conſuetudo patrem quoque ejus & avum Zaringiæ Duces anticipando appellat; patrimoniales Zaringiæ terras quod & ipſi



Weis sc. Aug

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

Digitized by Google



Digitized by Google

poſſederant; quodque temporibus eorum nondum invaluerat uſus, Domus Illuſtres gentilitium à Caſtro ut ſibi ſumerent nomen.

§. III.

Zaringiæ caſtrum in promontanis Nigræ Silvæ Brisgovicis, quæ Rhenum aſpiciunt, ſupra vicum *Zeringen* ſitum eſt. Friburgo duobus millibus paſſuum ad aquilonem diſtat. Ad latus ſunt Ferina, Ferentia & Gloteria valles. (*a*) Bertoldus II. amiſſo Sueviæ Ducatu domicilium ſuum ex Neckergovicis in Sueviæ meditullio terris, in Brisgovicas ſuas transtuliſſe, arcemque hanc extruxiſſe videtur, quum pater ejus Teccenſes vel Weilheimenſes in Neckergovia, ut mox oſtendemus, prætulerit. A vico ſubjacente vicino, qui antiquior eſt Caſtro, (*b*) caſtrum nomen accepit. (*c*) Unde evidens illorum error, qui ex Caſtrum Zaringen

F 2

(*a*) *Wildthal, Ferenthal & Gloterthal.*

(*b*) Mentio vici *Zeringen* ſit jam A. 1008. in diplomate Henrici II. Imp. quo bannum ferarum Brisgoviæ dedit Eccleſiæ Baſil.

(*c*) Caſtrum ſatis mediocre, in cujus medio fuit turris rotunda, pinnata, in tres cameras diviſa. Duæ aperturæ verſus occaſum, quarum una porta fuit, altera pinnis propior, duplex ſed arcta feneſtra, quæ fertiles illos Brisgoviæ & Alſatiæ campos aperuit. Circa turrim habitacula à longo jam tempore deſtructa ſunt. Rectoratus Burgundiæ, mox Zaringis conceſſus, caſtri hujus impedivit augmenta. Maximam enim vitæ ſuæ partem poſteriores Bertoldi apud Helvetios tranſegerunt Burgundos.

Digitized by Google

Carinthiæ nomine nomen *Zaringiæ* derivant, hocque ex illo prognatum & ore vulgi corruptum fuiſſe arbitrantur. *(d)*

§. IV.

Titulus Ducalis.

Brisgovicæ chartæ, quæ annum 1052. præcedunt, Bertoldum I. modo *Comitem* appellant.

Hoc Anno Henricus III. Imperator Sueviæ Ducatum ei regendum promiſerat, ſi Otto de Schweinfurt, Dux ſenex, moreretur; annulum ei ſuum in promiſſi fidem ſervandum porrigens; *(e)* unde nudo axiomate *Ducis* in monumentis ornari tum cœpit. In Charta ſane A. 1052. qua S. Nicolai Capella in Eiſtett, Brisgoviæ vico, inſtituitur, *Bertoldus Dux* cum *Comite Herimanno* occurrit. Zaringica & Lotharingica Domus Henricum III. benefactorem expertæ ſunt. Favit Familiis ex Alſatia ortis. Utrique quadriennii ſpatio Ducatum conceſſit. Lotharingiam Gerhardus A. 1048. accepit. Suevici Ducatus ſpes certa A. 1052. conceſſa Bertoldo, qui ab eo tempore titulo *Ducis* eſt uſus.

Cum autem Caeſar Anno 1056. & ſequenti Otto Dux Suevorum obiiſſent, Bertoldus noſter ab Agnete, impuberis

---

(d) ERASMUS FROELICH, in *Archontologia Carinthiæ* pag. 26. & Part. 2. Cap. 2. pag. 22. & 24. Zaringiam cum Carinthia confundit, omnes Bertoldos vanum Ducis Carinthiæ nomen accepiſſe ſcribens.

(e) ANNALISTA SAXO, CONRADUS URSPERGENSIS ad A. 1057. pag. 168.

Henrici IV. tutrice & matre, Sueviae Ducatum requirens, tulit repulſam. Illa enim, neglectis mariti defuncti promiſſis, filiam ſuam Mathildam Rudolpho, Rheinfeldae Comiti, in matrimonium dedit, generoque huic ſuo Ducatum Sueviae, praeterito Bertoldo, A. 1057. commiſit, (*f*) atque triennio poſt, ut repararet injuriam, Ducatum Carinthiae Bertoldo conceſſit. (*g*)

§. V.

Carinthia veteris Norici pars, ut & Marchia Veronae, Bavarici Ducatus provinciae ſeculo X. cenſebantur. Carinthia Ducatus & Marchiæ Veronæ.

Otto I. Germaniae Rex, Regnum Italiæ A. 952. Germanico jungens, Marcam hanc ab Italiae regno avulſit, (*h*) Bavariaeque

(*f*) Hermannus Contr. Annalista Saxo, Chronica S. Pantaleonis ad A. 1057.

(*g*) Hermannus Contr. ad A. 1060. „Conradus, qui Carentanis ſolo nomine „Ducis praefuit, moriens locum dedit: cujus Ducatum Bertholdus „Suevigena accepit.„ Joh. Christophor. Peslerus, in *ſerie Ducum Carinthiae*, Hermanno male opponit Lambertum Schafnab. qui ad A. 1058. Conradi Ducis mortem refert.

(*h*) Continuator Reginonis ad A. 952. & ex eo Annalista Saxo apud Eccard. *Scriptor. Germ.* Tom. I. col. 281. ſeq. ubi: „Berengarius „Italiam iterum dono & gratia Regis accepit regendam. Marca tantum „Veronenſis & Aquilejenſis excipitur, quae Henrico fratri Regis „(Bavariae Duci) committitur.

adjecit. Avulſione hac vetera illa duo contra Germanos propugnacula Italiae, Veronenſis & Aquilejenſis Marcae, inverſo jam ordine, Germanica contra Italos propugnacula evaſerunt. At circa A. 976. Carinthia cum Marcis his, a Bavariae Ducatu diſtracta, Duces peculiares accepit; (*i*) atque a Caeſaribus Germanico Principi ſemper fuit commiſſa.

Anno 996. Otto Conradi, Ducis Franciae Orientalis, & Luitgardae Ottonis I. Imp. filiæ filius, Gregorii V. Papae pater, Marcam Veronenſem ſervavit, ut Annales Hildesheimenſes (*l*) loquntur. Otto *Carentanorum Dux* & *Veronenſium Comes*, ab Henrico II. Rege Rom. ut Germanis auxilium ferret, A. 1002. in Italiam miſſus eſt. (*m*)

Anno 1017. Adelpeyro (Adalbero) *Dux Marchiæ Carentanorum* in Judicio ſedit. (*n*)

A. 1047. *Marchiam Veronenſem* ab Henrico III. Imp. accepit Guelphus III. Cunigundae, quae Azoni Eſtenſi nupſerat,

(*i*) Prima ſane Karentanorum Ducis A. 977. memoria occurrit in Ottonis II. Imp. diplomate, Aquilejae Patriarchae dato, ap. UGHELL. *Ital. ſacr.* Tom. V. col. 46.

(*l*) LEIBNITII *Script. Brunſv.* Tom. I. p. 721.

(*m*) DITMARUS Lib. V. ap. LEIBNIT. loc. alleg. p. 370.

(*n*) MURATORII *Antiquit. Ital.* Tom. I. p. 170.

Digitized by Google

frater. (*o*) Obiit Guelfus hic A. 1055. improlis (*p*) ſucceſſorem nactus Conradum, qui circa A. 1058. mortuus eſt, cui Bertoldus noſter in Ducatu & Marchia A. 1060. Henrici IV. Imp. deſtinatione ſucceſſit. (*q*)

§. VI.

Sed Bertoldina Carinthiae Ducatus & Marchiae Veronenſis epocha vix tredecim per annos duravit. Zaringis ablatus.

Seniori quidem Bertoldi I. filio, Bertoldo, non modo ſuccedendi ſpem fecerat, ſed & patre petente Ducatum adminiſtrandum jam conceſſerat Imperator; & tamen fidem patri filioque datam deinceps fefellit.

Quum enim diſcordia ejus cum Saxoniae proceribus A. 1073. erupiſſet in bellum, animus ejus a Bertoldo noſtro alienari viſus eſt. Caeſar cum ſororio ſuo, Rudolpho, Duce

(*o*) Abbas Ursperg. *Chron.* pag. 210. & Monachus Weingart. in Leibnit. *Scriptor.* Tom. I. pag. 784. Ceterum in Veronenſi Marchia comprehenſus quoque fuerat Tarviſinus Comitatus, ab oppido Tarviſio nomen qui traxit; unde Marchia Veronenſis quoque ſubinde *Taviſia* nuncupatur. Murator. *Scriptor. Rer. Ital.* Tom. X. pag. 70. Ducatus Carinthiae, uti Bavaricus, Saxonicus, Lotharingicus, ſinguli ſuam Marchiam, quandoque plures habuerunt.

(*p*) *Origines Guelficae* Leibnitii &c. Tom. II. pag. 233.

(*q*) Herm. Contract. ad A. 1060. apud Pistor. Tom. I. pag. 299.

Digitized by Google

Suevorum, per aliquod tempus diſcordiam aluerat, quam Agnes mater, inter filium generumque media, utcunque ſopivit; donec nimia Henrici IV. in leviſſimum quemque hominem propenſio plerorumque Procerum animos ab eo alienaſſet. (r)

Tum vero & aemulatio vetus, quam Sueviae Ducatus, Bertoldo ereptus, inter Rudolphum & Bertoldum excitaverat, imminui coepit. Utrique factus eſt Caeſar exoſus. Hic ſuſpicionum & diffidentiae plenus Marchiam Veronae, Italiae clavem, una cum juncto ei Carinthiae Ducatu, turbis cum Gregorio VII. Pontifice ortis, Marchioni ſibi addicto, committendam eſſe, conſilio politico arbitratus eſt. Abſtulit ergo Bertoldis Ducatum cum Marchia, (s) eosque Marquardo Eppenſteinio, Adelberonis Ducis filio, (t) conſanguineo ſuo, commiſit, quod A. 1073. factum eſſe comperimus.

§. VII.

(r) BERTOLDUS CONSTANT. ad A. 1073. „Rudolſus Dux Alemanniae & „Bertolſus Dux Carinthiorum & Welph. Dux Bajoariae, a Rege Henrico „diſceſſerunt: quia aliis ſubeuntibus conſiliariis, ſuum conſilium apud „Regem non valere perſpexerunt.

(s) LAMBERTUS SCHAFFNABURG. ad A. 1073. FROELICH *Archontolog.* Cap. II. pag. 24.

(t) ANNALISTA SAXO ad A. 1057. & qui eum ſequitur, CONRADUS URSPERG. ad A. 1074. novum Carinthiae Ducem Ludolphum vocant conſanguineum Caeſaris;

§. VII.

Idem fatum jam triennio ante expertus eſt illuſtris Dux Otto, ex Comitibus de Northeim, cui Bavariæ Ducatum Imperator ademit. Otto Ducatu privatus, titulum tamen Ducis ſervavit. (*u*) Eodem modo Bertoldus pater, & filius ejus Bertoldus, *Ducis* titulum, amiſſo quoque Ducatu cum Marchia, retinuerunt. (*x*)

Manente eis Ducum Titulo.

Caeſaris; ſed Luitolfum huuc, Marquardi filium, A. 1077. demum patri in Cariuthiæ ſucceſſiſſe Ducatu, docuit FROELICH in *Archontologia Carinthiæ* pag. 24. Ulricus, Marquardi quoque filius, a Mouachis Sangallenſibus A. 1077. electus eſt Abbas & ab Henrico IV. confirmatus. Conf. BRUSCHII *Chronologia Monaſterior. Germ.* pag. 419. VALVASOR in *Topographia Carinthiæ* pag. 2. periodum hanc Præfecturæ Cariuthiacæ *octavam & Zaringicam* vocat.

(u) LAMBERT. SCHAFFNABURG. ad A. 1070. ſqq. BRUNO in *Hiſtor. Belli Saxon.* pag. 106. CHRON. MONASTERII MELLICENSIS Anno 1071. in HIER. PETZII *Scriptorib. Rer. Auſtriac.* Tom. I.

(x) Fallitur OTTO FRISING. Lib. I. c. 9. & poſt eum ANONYMUS *fragmenti hiſtorici* apud URSTISIUM auctor, pag. 84. ſcribeutes, Bertoldos Duces fuiſſe dictos, nullum licet unquam habuerint Ducatum, „niſi quis „ Ducatum eſſe dicat Comitatum inter Juram & montem Jovis: vel a „ Ducatu Careutano, quem nunquam habuerunt, Ducis eos nomine „ honorandos contendat.„

Carentanum Ducatum per totos 13. anuos rexere Bertoldi, quod ignoravit Otto Friſing. &, qui eum ſecutus eſt, Albertus Arg. Omnes

Scriptores & Chartæ titulo hoc eos ornarunt; niſi quod Burckhardus ineunte ſec. XIII. S. Galli Monachus, (y) quod Abbatiæ huic arma intulerant, Bertoldis infenſus, eos appellat *Marchiones*.

Titulus hic in Marchiæ Veronenſis, à Bertoldo I. adminiſtratæ, memoriam filio ejus natu minori, Hermanno I. adhæſit; qui BERTHOLDO CONSTANTIENSI (z) teſte, Cluniaci Anno 1074. deceſſit. Enimvero quid uſitatius, quam ut pater, Ducatus & Marchionatus poſſeſſor, dignitatum ſuarum nomina inter filios dividat? Quid frequentius, quam ut principes viri, dignitatibus amiſſis nomina tamen earum ſibi ſemper conſervent?

Lambertus Schaffnaburgenſis, qui hæc omnia exponit & vidit, Bertoldum, amiſſo Ducatu, vel ſimpliciter *Ducem*, vel *Ducem Carentinorum* conſtanter appellat. Altorfienſibus in Suevia Guelphis, Zaringorum amicis, qui ſolium Imperii deinceps affectarunt, axioma Ducale ab adminiſtrato quoque aliquandiu Carinthiæ Ducatu adhæſit; quum ante in Dynaſtarum modo & Comitum claſſe cenſerentur.

illas terras inter Juram & montem Jovis, quas Conradus Dux Zaringiæ ejusque filius Bertoldus IV. & nepos Bertoldus V. tenuerunt, Comitatum appellat, quæ ſplendidum Ducatum magnamque Transjurani Burgundiæ Regni partem compoſuerunt. Add. FROELICH *Archontologia Carinthiæ* pag. 3.

(y) *De Caſibus Monaſterii S. Galli*, Cap. VII. in *Scriptoribus Rer. Alem.* GOLDASTI Part. I.

(z) *Chron.* ad A. 1074.

§. VIII.

Atrocitatem injuriæ, Bertoldo illatæ, denique ſenſerat Cæſar, atque hinc Hartesburgi apud Saxones, ubi Bertoldus eum adiit, variis ſermonibus animum ejus demulcens, perſuadere ei ſtuduit, Marquardum, quem ineptiſſimum hominem vocavit, ſe inſcio, Principibus inſciis, invaſiſſe Carinthiam, nihilque adeo de jure ſuo amiſiſſe Bertoldum. Petit ergo ab eo Cæſar, ut cum Epiſcopis Citicenſi & Oſnabrugenſi ſe ad Saxones conferat, illosque ad pacem inducat. Bertoldus ad hoc negotium præ aliis idoneus fuit; vir ſummæ prudentiæ & popularis eloquentiæ, ut LAMBERTUS teſtatur. (a) Bertoldi I. Acta A. 1073.

Ille Cæſaris aſtutiam licet optime noſſet, ejus tamen ſatis fecit petito. Saxones ad omnia erant proclives, ſi arces, in Saxonia exſtructas deſtrueret Cæſar; qui petitum pertinaciter recuſavit; unde omnis pacificatio facta eſt irrita. Ab eo tempore communia cum Rudolpho, Sueviæ Duce, Cæſaris affine & adverſario, conſilia agitavit Bertoldus.

Amicitiæ vinculum matrimonio roboratum. Filius Bertoldi filiam Rudolphi Agnetem duxit uxorem. Inter hæc Regengerus

(a) LAMBERT. SCHAFFNAB. ad A. 1073.

Digitized by Google

quidam, Cæſaris familiaris, Rudolpho & Bertoldo Ducibus detulit, à Cæſare vitæ eorum inſidias ſtrui. Delatio, ſeu vera, ſeu ficta, movit eos, ut de Cæſare deponendo agitarent conſilia, quæ tamen obteſtationibus atque promiſſis Henricus aliquamdiu avertit. Eventus hi ſunt Anni 1073. quo Ducatus Carinthiæ Bertoldo ereptus. Neque tamen Bertoldus atque Rudolphus conſilia hæc agitaverant ſoli. Moguntinus, Colonienſis, Argentinenſis & Wormatienſis Præſules; Bavariæ, Lotharingiæ & alii Duces junxerant ſua. (*b*)

§. IX.

Acta A. 1075. **A**nno 1075. Gregorius VII. Rudolpho Sueviæ Duci, & Bertoldo noſtro literas ſcripſit, quibus eos, ne ſimoniæ reos recipiant, hortatur. (*c*) In literis his *cariſſimum D. Petri filium* appellat Rudolphum. Tum vero novi quoque in Saxonia motus quum fuiſſent exorti, Saxones denuo legatos ad Rudolphum &

(*b*) LAMBERT. SCHAFFNAB. ad A. 1074.

(*c*) Lib. II. *Epiſtolarum Gregorii* VII. n. 45. in ACTIS CONCIL. Tom. X. & PAULUS BERNRIEDENSIS in *Vita Gregorii VII.* Cap. 39. apud MABILLON *Vitæ Sanctor. Ord. S. Benedict.* Sec. VI. Part. II. pag. 422. & MURATOR. *Scriptor. Rer. Italicar.* Tom. III. pag. 326. HUGO FLAVINIACENSIS Part. II. *Chron. Virid.* apud LABBEUM *Bibl. nova Mſct.* Tom. I. pag. 211.

Digitized by Google

Bertoldum Duces, opem eorum contra Cæſarem imploraturos miſerunt. Sed quum paulo ante cum Cæſare in gratiam rediiſſent, arma ſua cum eo contra Saxones junxerunt.

Hi victi & ad Unſtrutum proſtrati ſunt. Sed neſcio qui factum, ut Rudolphus atque Bertoldus ex prœliis reverſi, animum mutarint; contra Saxones non amplius ſe pugnaturos profeſſi.(*d*) Novæ ergo Henrici Cæſaris expeditioni, quam menſe Octobri ejusdem anni in Saxoniam ſuſceperat, neuter acceſſit; ſed habito cum Saxonibus conſilio, denique perfecerunt, ut hi diſcedentes à bello, Henrici Regis poteſtati ſe permitterent; Rex vero copiis dimiſſis, Saxones in gratiam reciperet. Multos ex illis tum per Germaniam diſtributos, & Principibus hinc inde in cuſtodiam traditos vixiſſe, retulit Bruno. (*e*) Unde in Charta donationis, Monaſterio S. Blaſii eo tempore factæ, quam Henricus V. Imp. Anno 1125. Argentinæ confirmavit, (*f*) plures Saxoniæ Principes cum *Rudolpho Duce de Rinvelden, & Bertoldo* noſtro *Duce* occurrunt.

(*d*) Bruno *de Bello Saxonico* apud Freher. Tom. I. pag. 194. Annalista Saxo ad A. 1075.

(*e*) Loc. alleg.

(*f*) Herrg. Tom. II. pag. 138.

Digitized by Google

§. X.

Deficit ab Henrico IV. Imp.

Anno 1076. in Procerum Conventu, (*g*) de pace concilianda deliberantium, primo iterum loco Rudolphus, Dux Suevorum, Welfus, Dux Bajoariorum, & Bertoldus, Dux Carentinorum, nominantur, qui haud diu poſt Ulmæ ejusdem rei cauſſa convenerunt, de publica quiete ſemper ſolliciti; nondum tamen Cæſaris hoſtes aperti. (*h*) Eodem hoc anno Cæſar Rudolpho & Bertoldo Ducibus, quos præ cæteris habebat contrarios, graves inſidias ſtruxit; (*i*) unde hi Anno 1077. non tantum Regi petenti denegarunt auxilia, (*l*) ſed & in Italiam profecturo aditus omnes clauſerunt, ut ab introitu eum prohiberent. Via tamen per Burgundiam Transjuranam ſumta in Italiam pervenit Cæſar, ibique cum Gregorio VII. reconciliatus; brevi poſt denuo ejus factus eſt hoſtis. Germani ergo à Pontifice inſtigati, Rudolphum, Sueviæ Ducem, Anti-Cæſarem elegerunt; (*m*) Bertoldo noſtro electionem promovente; qui Rudolpho conſtanter adhæſit. Rudolphus in Regem electus, ſolennem Gregorio VII. Pont.

(*g*) BERTHOLD. CONSTANT. A. 1076.

(*h*) LAMBERTUS loc. alleg.

(*i*) BRUNO de *Bello Saxonico* pag. 196.

(*l*) CHRON. CITIZENSE apud PISTOR. Tom. I. pag. 1144.

(*m*) BERTHOLDUS CONSTANT. & ANNALISTA SAXO. ad A. 1077.

Digitized by Google

nuntium deſtinavit, plura ei promittens, quorum in fidem filium ipſe ſuum Rudolphum, ut & Ducis Bertoldi filium, obſides Gregorio obtulit. (*n*)

§. XI.

Cæſar, plenus irarum, Bertoldi noſtri terras invaſit, & Comitatum Provincialem Brisgoviæ, (*o*) ab eo huc uſque poſſeſſum, Wernhero II. Epiſcopo Argentinenſi, ſtrenuo aſſeclæ ſuo, qui Monaſterium Hirſaugienſe, refractarium Cæſari, evertere voluerat, donavit. (*p*) Cæſaris vindicta.

(*n*) Conf. Oratio Gregorii VII. in Concilio Romano habita Anno 1080. in ACTIS CONCIL. Tom. X. pag. 383. & PAULUS BERNRIED. Cap. 107. apud MABILLON *Vitæ Sanctor.* Sec. VII. Part. II. pag. 346. ut & HUGONEM FLAVIN. *Chron. Virid.* Part. II. apud LABBEUM *Bibl. nova Mſcta* Tom. I. pag. 223. Idem poſtea repetitum eſt in Concilio Würzburgenſi, eodem hoc anno a Legatis Gregorii VII. Pont. habito. ACTA CONCIL. loc. alleg. pag. 385.

(*o*) Comitatus hic in Brisgovicis ſeptem Chartis ſeculi XI. apud HERRG. occurrit.

(*p*) Autographum donationis, Anno 1077. factæ, aurea bulla munitum in Epiſcopali Tabulario extat Tabernis Alſaticis. Vid. infra in Landgraviatu Brisgoviæ.

Fallitur PESLERUS in *Serie Ducum Carinthiæ* §. 9. exiſtimans Bertoldum I. avitis quoque & patrimonialibus terris fuiſſe ſpoliatum, quum Comitatus ille, quo eum Imperator exuerat, ipſe Comitatus Provincialis Brisgoviæ fuerit.

Digitized by Google

Ita Bertoldus, Ducatu Carinthiæ & Marchionatu Veronæ, Anno 1073. & Landgraviatu Brisgoviæ Anno 1077. privatus, in poſſeſſione Dominiorum & Dynaſtiarum permanſit, quas avito & patrimoniali, adeoque hereditario jure poſſederat; quibus Cæſar eum privare non auſus eſt. Infelix hic annus vitæ ejus quoque fuit fatalis.

§. XII.

Bellum S. Galli.

Tum temporis quoque bellum geſſit cum Udalrico III. S. Galli Abbate, Marquardi illius, cui Carinthiæ Ducatum, Bertoldo ablatum, Cæſar commiſerat, filio, qui Henrici IV. partibus contra Rudolphum Suevum & Bertoldum noſtrum adhæſit. In bello hoc expugnatis Zimbre & Wisneck Caſtris, bona S. Galli per Brisgoviam & Silvam Nigram univerſa Bertoldus occupavit. (q)

Cœnob. Weilheim.

Neque tamen tot inter turbas civiles Bertoldus oblitus fuit rerum ſacrarum. Weilhemii enim apud Suevos, in Tractu Teccenſi

(q) BURCKHARDUS de *Caſibus Monaſterii S. Galli* Cap. VII. apud GOLDASTUM *Scriptor. Rerum Aleman.* Tom. I. pag. 68. & GALLUS OEHEMIUS in *Chron. Mſct. Augiæ Divitis* ad A. 1077. Uterque Scriptor Bertoldum I. Carinthiæ Ducem & filium ejus Bertoldum II. *Marchiones*, non Duces, adpellat. Burcardus vixit ſub Frid. I. Imp.

Digitized by Google

Teccenſi Monaſterium Ordinis S. Benedicti condidit, in quod ſocios ex Hirſaugienſi Cœnobio recepit. Donatio a Bertoldo *apud villam Neckergaugiæ Wilheim* facta. (*r*)

§. XIII.

Bertoldus I. deceſſit Anno 1077. in Caſtro Lyntberg, (*s*) ſepultus Hirſaugiæ. (*t*) Multi eum appellant *Barbatum*; (*u*) ſed quo auctore, ignoro. Mors Bertoldi.

(*r*) Vid. *Cod. Dipl.* A. 1112.

(*s*) Trithemius *in Chron. Hirſaug.* A. 1077. ait, eum in quodam ſuo Caſtro *Lyntberg*, naturaliter munito, obiiſſe. Caſtrum hoc in Tractu Teccenſi, ubi plures arces Bertoldinæ, ſitum fuiſſe videtur. Herzogius in *Chron. Alſat.* aliique plures Limpurgum Brisgoviæ ad Rhenum huc trahunt. Addè Conradum Ursperg. A. 1077. Chron. Constant. apud Pistor. pag. 666.

(*t*) Chronographus Saxo, Chronicon S. Pantaleonis & Conradus Urspergensis ad A. 1077. Bertoldum ex dolore diem obiiſſe dicunt, delirio correptum, quum late omnia vaſtari ab Henrico Imp. videret. Tempus mortis ejus plerique Scriptores, Annaliſta & Chronographus Saxo, Conradus Urſperg. Fragmentum hiſtoricum Alberti Arg. & Joh. Trithemius in A. 1077. rejiciunt. Solus Bertoldus Conſtantienſis ad Annum 1078. refert.

(*u*) Guilliman. *Habsb.* Lib. IV. Cap. III. pag. 203. Chron. Friburg. pag. 4. Crusius in *Annal. Suev.* Lib. VII. Part. II. Cap. III. pag. 219.

Digitized by Google

Charaćter.

Morte ejus Germania Principem magnæ auctoritatis amiſit; qui, amiſſo quoque Carinthiæ Ducatu, primores inter ubique comparuit; formidabilis Cæſari. In magna conſtitutus fortuna dignus ſane fuit majore, quam tamen ſemper adverſam expertus eſt. Enimvero inter ardentes illas Imperii & ſacerdotii lites quid ſperaret Bertoldus, vir pacificus, nec infenſus Aulæ Rom. quam deteſtatus eſt Cæſar, bonam cauſam male defendens, & inter corruptos aulicos ac aſſentatores munera ac dignitates partitus, quas indignis frequentius, quam dignis, contulerat.

§. XIV.

Uxores.

Bertoldo I. duæ tribuuntur uxores, Richwara & Beatrix. „ Dux Bertholdus primus cum thori ſui conſorte Domina „ Richwara „ in Charta Anno 1112. legitur, qua nepotes eorum Bertoldus III. & Conradus Duces, parentum & avorum ſuorum donationes, Monaſterio S. Petri, in Burgundia, Briſgaugia & Neckergaugia factas, denuo confirmarunt. (x) Richwaram ſtirpis incertæ GUILLIMANNUS, (y) ſed PISTORIUS (z) Marchioniſſam Carinthiæ, ſine idoneo teſte, appellat. Beatricis

(x) *Codex Dipl.* A. 1112.

(y) *Habsburg.* Lib. V. Cap. I. pag. 223.

(z) *Tab. Genealog. Zaringiæ Ducum*, quam MANLII *Chron. Conſtant.* adjecit, quod extat Tom. III. *Scriptor. Rer. German.* PISTORII ad pag. 742.

Digitized by Google

ſtirps perantiqua & nobiliſſima eſt. Fridericus II. Lotharingiæ Moſellanicæ Dux, Theodorici Ducis filius, Anno 1033. defunctus, ex conjuge Mathilda filias habuit *Beatricem & Sophiam.* (*a*) *Beatrix* nupſit Bonifacio Ateſtino, Tuſciæ Marchioni, mater facta Mathildis, Tuſciæ Comitiſſæ. Sophia vero, Comitiſſa Barri, uxor fuit Ludovici, Comitis Moncionis & Montisbeliardæ, ex quo matrimonio præter Theodericum, Montisbeliardæ & Phirreti Comitum ſatorem, (*b*) Fridericus Comes Barri & Moncionis, atque Beatrix, Bertoldi noſtri uxor, prodierunt. Exponit hoc BERTHOLDUS CONSTANT. ad Annum 1093. quo Sophia deceſſit: „ Nobiliſſima, inquit, Comitiſſa Sophia, vidua Ludovici Comitis, „ mater piæ memoriæ Beatricis Ducis & Friderici Marchionis, „ in ſenectute bona, cum jam multos filiorum videret, diem „ clauſit extremum. „ Ne vero de Beatrice Duciſſa remaneat dubium, adde eundem Bertholdum Conſtantienſem ad Annum 1092. ubi obitum Beatricis refert; quam vocat ſororem Friderici Marchionis, & uxorem quondam Bertoldi Ducis. Reſtat, ut probemus hanc Sophiam eam ipſam eſſe, de qua GENEALOGUS S. ARNULPHI loquitur. Bertholdus Conſtant. de Adelheidæ,

(*a*) *Genealogia S. Arnulphi* apud DU CHESNE *Script. Rer. Fran.* Tom. II. pag. 643.

(*b*) Vid. *Alſat. Illuſtr.* Tom. II. *Tab. genealog.* ad pag, 609. & pag. 617.

Taurinenſis Comitiſſæ, hereditate ſcribens, memorat, eam pertinuiſſe ad filium Friderici Marchionis, ex nepte Dominæ Adelheidæ ſuſceptum. Fridericus autem Marchio filius erat Dominæ Sophiæ & Ludovici Comitis; quæ matertera erat Comitiſſæ Mathildis, cujus Dominum id eſt, maritum vocat Ducem Guelphonem.

EN STEMMA:

Fridericus I. Lotharingiæ Moſellanicæ Dux, conditor Caſtri Barr. SIGEBERT. GEMBL, ad A. 945.

|

Theodericus Lotharing. Moſell. Dux.

|

Theodericus II. Dux † 1033. WIPPO. Ux. Mathildis Sueva

Beatrix, ux. Bonifacii Ateſt. Marchionis Tuſciæ.

|

Mathildis Tuſciæ Comitiſſa † 1115. Uxor Welphi, Ducis Bavariæ.

Sophia, Comitiſſa Barri, ux. Ludovici Comitis Moncionis & Montisbeliardæ.

|

Beatrix uxor Bertoldi I. Ducis Zaring.

Fridericus Marchio, Comes Moncionis † 1091.

§. XV

Digitized by Google

§. XV.

Plures Bertoldo I. liberos Tabula Genealogica, Chronico Conſtantienſi apud Piſtorium inſerta, aſſignat; ex quibus nos Bertoldum II. Ducem, Hermannum Marchionem & Gebhardum, Epiſcopum Conſtant. notamus. Filii.

ANNALISTA SAXO & ABBAS URSPERG. (c) Bertoldo, Carinthiæ Duci, filium ejusdem nominis tribuunt. Hermannum autem, qui Cluniaci obiit, ſatorem Badæ Marchionum, BERTHOLDUS CONSTANT. filium quoque Bertoldi Ducis appellat. (d) Tituli cum opibus patris inter Bertoldum & Hermannum diviſi ſunt. Senior *Ducis*, junior *Marchionis* elogio inclaruerunt. Uterque lineam ſuam propagavit, atque opes extendit. Linea Ducalis per Burgundiam & Arelatenſe Regnum, ſed breviter duratura, ſe diffudit. Marchica durat hodieque, & ad Orientem latius ſe extendiſſet, niſi Carolus Andegavenſis florentiſſimum Juvenem, Fridericum, pium & innocentem, A. 1268. neçi dediſſet. De Duce, qui filius ſenior Bertoldi I. fuit, acturus ſum, poſtquam de Gebhardo, natu minore, nonnulla diſſeruero.

(c) *Chron.* ad Annum 1057.

(d) Anno 1074.

Digitized by Google

§. XVI.

Gebhardus Epiſcopus Conſtant.

Gebhardus, Epiſcopus Conſtantienſis, appellatur *Bertoldi Ducis filius* à BERTHOLDO CONSTANT. Hermanni Contracti Continuatore. (*e*)

Bertoldum noſtrum heic intelligi, adeoque Gebhardum fratrem fuiſſe Bertoldi II. & Hermanni Marchionis, idem Auctor teſtatur; (*f*) fratrem eum vocans Bertoldi illius, qui A. 1092. a Suevis, Henrico IV. Imp. contrariis, creatus eſt Dux. In Charta quoque Bertoldi IV. de A. 1152. (*g*) *Gebhardus Epiſcopus* avi ejus, id eſt, Bertoldi II. frater memoratur. Gebhardus hic doctrina & moribus celebris A. 1083. Monachus Hirſaugienſis, (*h*) ſub celebri illo Abbate Guilielmo, atque anno ſequenti ex Monacho in Epiſcopum Conſtantienſem electus, & a fratre ſuo, nec non a Guelſone Bavaro, cum magnis copiis in urbem Conſtantiam introductus eſt. (*i*)

(*e*) Ad Annum 1084.

(*f*) Ad Annum 1092.

(*g*) Apud SCHANNAT. *Vindem. Liter.* pag 163.

(*h*) CHRON. HIRSAUG. ad A. 1083. edit. Francof. Part. II. pag. 78.

(*i*) BERTHOLD CONSTANT. ad A. 1084. CHRON. CONSTANT. apud PISTOR. p. 742. ponit A. 1085. CONRADUS, San-Blaſ. Monachus, *Chronici Burglenſis* auctor, *Gilbertum* eum vocat. Editum hoc Chronicon à Rev. Patre RUSTENO HEER, & junctum *Anonymo* ejus *denudato*, vid. pag. 368.

Digitized by Google

In Concilio Mogunt. anni ſeq. præſente Henrico IV Imp. Gebhardus hic, ut Epiſcopatus Conſtant. invaſor, cum Hermanno Anti-Cæſare fuit proſcriptus. (*l*)

In magno illo ſchismate Imperii & ſacerdotii Pontificum Roman. partes defendit. Unde A. 1089. ab Ottone, Epiſcopo Oſtienſi, Sedis Apoſtolicæ per Germaniam legato, (*m*) conſecratus fuit Presbyter cum aliis Clericis, quos inter quoque Bertholdus Conſtantienſis, Chronographus ille, toties a nobis teſtis productus. Baſileenſis vero, Argentinenſis, aliique ad Rhenum Epiſcopi Cæſareas partes tum fuerant ſecuti. Decretalis Urbani II. Epiſtola in Concilio Romano Anno 1089. in *Actis Conciliorum* (*n*) hoc docet. Unde à Baronio vir apoſtolicus nominatur A. 1100. quo Apoſtolicam legationem Paſchalis II. confirmavit Gebhardo. Hic A. 1092. electionem fratris ſui, Bertoldi II. in Ducem Sueviæ promovit; quæ a *Principibus Alemanniæ*, ut BERTHOLDUS CONSTANT. (*o*) ſcribit, inſcio & invito Imperatore eſt facta.

(*l*) GALLI OEHEMII *Chron. Monaſterii Augiæ Div.* Mſct.

(*m*) Qui dein factus Pontifex Rom. Urbanus II.

(*n*) Tom. X. Labb. pag. 444.

(*o*) *Append. ad Herm. Contract.* A. 1092. *Fragmentum Urſtiſ.* ad h. A. ſcribit: „ Principes Alemanniæ ad defenſionem Eccleſiæ unanimiter convenerunt, „ ſibique ad hoc negotium exequendum fratrem Gebehardi, Conſtantienſis

Anno 1093. VI. Kalend. April. Popponem Metenſem Epiſcopum; Kalendis Auguſti vero Monaſterium San-Petrinum Silvæ Nigræ conſecravit.

Eodem anno, Gebhardi conſilio habitus eſt apud Ulmam conventus, quo Welphus & Bertoldus Duces, aliique earum partium principes compactum in duos annos contra Henricum IV. Imp. iniverunt.

Anno 1094. magnam Conſtantiæ Synodum celebravit, pro reformanda diſciplina Eccleſiæ, cujus Acta BERTHOLDUS (p) deſcripſit.

Anno 1108. novam Abbatiæ San-Blaſianæ Eccleſiam, quæ hodieque ſubſiſtit, dedicavit. (q)

Deceſſit Gebhardus Anno 1110. (r) poſtquam per XXVI. annos Eccleſiam Conſtant. varia inter fata rexiſſet; bis ex ea per

„ Epiſcopi, Bertoldum de Zeringen, Ducem totius Sueviæ conſtituerunt, „ qui nondum aliquem Ducatum habuit, etſi jam dudum nomen Ducis „ habere conſuevit.

(p) Anno 1094. *Acta Conciliorum Labbei* Tom. X. pag. 497.

(q) *Chron. S. Blaſii* OTTONIS de S. BLASIO, quod periit; ex quo multa excerpſit CASPAR. I. Abbas S. Blaſii in *Origg. San-Blaſianis* Mſſ. Addatur Cod. Msct. San-Blaſianus, cui Tit. *Ordo Operis Dei.*

(r) In anno mortis Gebhardi & in annis regiminis ejus variant ſcriptores. MANLIUS in *Chron. Epiſcop. Conſtant.* apud PISTOR. & MABILLON *Annal. Benedict.*

Digitized by Google

per Cæſareanos ejectus; (s) quin etiam A. 1107. a Paſchali II. in Concilio Trecenſi ſuſpenſus; quod illis conſenſerat, qui Mindenſi Eccleſiæ Godeſcalcum obtruſerant, quodque Archiepiſcopum Magdeburgenſem ordinaverat Henricum. (t)

§. XVII.

Filias num habuerit Bertoldus, ex Monumentis non liquet. Agnetem ei filiam tribuit PESLERUS, (u) quam Geyſæ, Hungariæ Regi, nupſiſſe exiſtimat. Legimus apud Bertholdum Filia.

Benedict. Tom. V. pag. 464. in A. 1110. conveniunt. CHRON. ELWANG. A. 1109. & BRUSCHIUS Annum 1116. ponunt. Huic aſſenſerat MABILLON *Sec. VI. Benedict.* Part. II. pag. 801. ſed verius in Annalibus rem prodidit.

(s) Temporis hoc intervallo Gebhardus maximam partem in Brisgovia apud Bertoldum Ducem Zaringiæ vixit. Vid. *Gallia Chriſt.* Tom. V. col. 909.

(t) *Concilior.* Tom. X. col. 755. ubi corrupte Guichardus appellatur. Paſchalis II. Papæ Epiſtolas quaſdam ad Gebhardum vid. in *Theſauro Anecdotor.* MARTENII Tom. I. col. 336.

(u) *Hiſtoriſche Nachricht der Herzogen von Zähringen*, in *Hannöver. Anzeige* A. 1751. XIV. Stück pag. 324.

Digitized by Google

Conſtant. quod ſoror Bertoldi Ducis, Hungariæ Regina, A. 1090 deceſſerit. Sed hæc fuit Rudolphi Anti-Cæſaris filia, adeoque ſoror Bertoldi illius Suevi, quem cum Bertoldis Zaringis Peslerus aliique permulti confuderunt; ut infra docebimus. Rudolphina hæc Giſela Ladislai I. Hungariæ Regis, conjux fuiſſe videtur; cui nuptiis ſecundis Adelheidis ſucceſſit.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT II.

BERTOLDUS II.

AB ANNO 1077. USQUE AD ANNUM 1111.

§. I.

Filiorum Bertoldi I. maximus natu fuit Bertoldus II. qui patri in Titulo *Ducis*, (*a*) in Landgravii Brisgoviæ dignitate, in Dynaſtiis Suevicis, Dominiis Brisgovicis & Ortenavicis, uti Hermannus II. in titulo Marchionis & in Uſgovicis, Creichgovicis, aliisque Franciæ Orientalis terris ſucceſſit. (*b*) Heredi-tas.

(*a*) STUMPFIUS Marchionem eum ſemper vocat, non Ducem.

KIEFFERUS in Diſſ. *de Habsburgo-Auſtr. Domo* pag. 144. contendit, Bertholdum II. ob ductam in matrimonium Agnetem, Rudolfi Sueviae Ducis filiam, Ducis Zaringiae nomen Henrici IV. Imp. permiſſu, primum adhibuiſſe; quod omnibus circumſtantiis rerum repugnat.

(*b*) Hermannus I. enim triennio ante patrem jam obierat Cluniaci.

Digitized by Google

Bertoldum II. filium Bertoldi I. fuiſſe, jam ſupra oſtenſum,(c) cui Henricus IV. Imp. vivo & volente patre jam Ducatum Carinthiæ conceſſit; quem deinceps patri & filio abſtulit.

§. II.

Ducatus Sueviae.

Bertoldus hic A. 1077. una cum Bertoldo, Rudolphi Anti-Caeſaris filio, ab eodem Anti-Caeſare Papae Gregorio VII. oblatus eſt obſes; (d) atque circa eadem fere tempora Agnetem, Rudolphi Anti-Caeſaris filiam, duxit uxorem. Matrimonii hujus intuitu Suevicum Ducatum genero ſuo commiſiſſe Rudolphum, auctor eſt Otto, Friſing. Episcopus. (e) „ Occiſo Rudolpho, „ inquit, gener ejus Bertolfus Ducatum Sueviae, tanquam a ſocero „ ſibi conceſſum, uſurpat. „ At Bertholdus Constant. epocham hane praeteriens ſilentio, Bertoldum II. Sueviæ Ducem nonniſi A. 1092. factum eſſe ſcribit. (f)

Ottonem Friſing. cum Conſtantienſi Bertholdo conciliaturus duas Suevici Ducatus, a Bertoldo II. adminiſtrati, epochas conſtituere cogitur; quarum prima ad tempus Rudolphi Anti-Caeſaris, A. 1080. extincti, altera ad A. 1092. quo a Proceribus

(c) In Bertoldo I. §. XV. pag. 61.

(d) Conf. ſupra in Bertoldo I. §. X. pag. 55.

(e) *De geſtis Friderici I.* Lib. I. Cap. VII.

(f) Verba ejus vide ſupra in Bertoldo I. §. XVI. pag. 62.

Digitized by Google

Sueviae in Ducem Bertoldus II. ſolenniter electus eſt, referenda. Duae porro transactiones, a Bertoldo noſtro, cum Friderico Staufenſi, cui Henricus IV. Imp. cum Agnete filia ſua, Sueviae Ducatum contulerat, (g) initae, admitti deberent. Prior ante A. 1092. altera poſt hunc annum figenda. Nova enim electione non opus fuiſſet, niſi Bertoldus jam ante A. 1092. Sueviae Ducatui transactione cum Friderico Staufenſi facta, renuntiaſſet.

Verum enimvero Bertholdus Conſtantienſis, tum temporis vivens, diſerte enunciat, Bertoldum ante Annum 1092. nullum habuiſſe Ducatum, licet Ducis titulo uteretur. Bertholdus hic autem Ottone Friſing. non modo antiquior eſt, (h) ſed & rebus geſtis, ſpeciatim proelio Anni 1086. ipſe interfuit; (i) illisque temporibus Conſtantiae vixit, cum Gebhardus, Bertoldi II. frater, Conſtantienſem Epiſcopum ageret; (l) Suevicarum & Zaringenſium

(g) Epocham Ducatus Sueviae, Friderico Hohenſtaufio collati, definire non licet. Henricus Imp. ipſi Rudolpho Anti-Caeſari, hoſti ſuo, generum videtur oppoſuiſſe Fridericum, quem Bruno *de Bello Saxonico* jam A. 1077. Ducem adpellat, niſi proleptice ſcripſiſſe dixeris Brunonem. Tranquillam vero poſſeſſionem Ducatus diu non obtinuit Fridericus, cui poſt Rudolphi Suevi mortem cum Bertoldo filio ejus, & demum cum Bertoldo Zaringio noſtro plures per annos colluctandum fuit.

(h) Bertholdus Conſtant. obiit A. 1110. Otto Friſing. A. 1158.

(i) Bertholdus Constant. ad A. 1086.

(l) A Gebhardo presbyterum ſe ordinatum dicit ad A. 1084.

rerum quam maxime gnarus; Guelphicis Bertoldi II. & Gebhardi Epiſcopi partibus addictus. Nihil ergo eorum omiſiſſe cenſendus eſt ſcriptor, quæ Bertoldi II. gloriæ inſervire potuiſſent.

§. III.

Ottonis Friſing. errores.

Otto Friſing. autem a Bertoldi II. Ducis temporibus paulo remotior, in ipſa Bertoldi & Zaringenſium hiſtoria non ſemel hallucinatus, interdum dubius hæret. Poſtquam enim Ducatum Sueviæ, quem Bertoldo II. genero Rudolphum Anti-Cæſarem conceſſiſſe vult, ab Henrico IV. Imp. in Fridericum Staufenſem dixiſſet collatum, mox ſubjungit, „ne multis morer, „ (Fridericus) Bertolfum tandem pacem petere coëgit, quod „ tamen quidam ſub filio ſuo Friderico factum tradunt.„ Ignoravit ergo Otto Friſing. novam illam Bertoldi II. electionem, quam A. 1092. contigiſſe indubium eſt. Ignoravit transactionem, quæ poſt Annum 1092. evenit; incertus, an res ſub Friderico I. Duce, an ſub ejus filio Friderico Luſco evenerit.

Idem Otto Friſingenſis Bertoldos Zaringios, nunc Carinthiæ, nunc Sueviæ Ducatuum poſſeſſores, nunc in Rectoratu Burgundiæ ab ipſis Imperatoribus conſtitutos, titulum Ducalem falſo ſibi arrogaſſe, eosque nullum unquam habuiſſe Ducatum, perſcribere auſus eſt. *(m)*

(m) De *Geſtis Friderici* I. Lib. I. Cap. IX. De errore hoc fuſius ſupra in Bertoldo I. §. VII. p. 49. Erravit quoque Cap. VIII. ubi Lemannum Lacum

Digitized by Google

Nec mirandum profecto, ſi Gibellinis partibus addictus Otto Bertoldis, Guelficas plerumque partes ſecutis, fuit iniquus. Fuit enim Conradi III. Imp. frater uterinus, Friderici I. Imp. patruus.

His probe perpenſis, pronuntiare non dubito, Ottonem Frising. virum alias egregie doctum, Bertoldum II. Zaringiæ Ducem, cum Bertoldo, Rudolphi Anti-Cæſaris filio, præcipitanter confudiſſe; quod aliis quoque junioribus non paucis evenit, (n) nominis ſimilitudine deceptis.

§. IV.

Rudolphum Anti-Cæſarem filium habuiſſe Bertoldum, Paullus Bernriedensis (o) aliique ſcriptores (p) diſerte

Bertoldus Rudolphi Anticæſ. filius.

fluvium appellat, imo cum Lemago flumine aperte confundit, quod prope Turegum ex Turicenſi lacu profluit. Sic etiam ignoravit Otto tertium Epiſcopatum, quem A. 1156. Fridericus I. Imp. pro Comitatu Burgundiae Bertoldo IV. conceſſerat. Ipſum Burgundiae Regnum a Rudolpho III. Rege Imperatori Henrico, Conradi filio, teſtamento relictum fuiſſe ſcribit, & Rainaldum, Burgundiae Comitem, Friderici I. Imp. ſocerum, omne hoc regnum tenuiſſe falſo aſſerit Lib. II. *de Geſt. Frid.* I. Cap. XXIX.

(n) Otto Friſing. in errorem induxit Aventinum *Annal.* Lib. V. Vignierium *Chron. Burgund.* ad A. 1077. aliosque.

(o) *Vita Gregorii VII.* apud Mabillon *Acta Sanctor. Benedict.* Sec. VI. Part. II. pag. 453.

(p) Bertholdus Const. ad a. 1090. & plures alii, quos infra ad A. MCXI. quo Bertoldus II. Zaringiae Dux obiit, allegamus.

teſtantur. Hunc pater haud dubie in Alemanniæ Ducatu ſibi ſucceſſorem præ genero deſtinaverat Bertoldo. Sed quum filius firmatæ nondum eſſet ætatis, datus ei forte fuit a patre tutor Bertoldus II. Zaringiæ Dux, qui cum ſorore ejus Agnete in matrimonio vixerat.

In errorem ergo inductus eſt Otto, ut crederet, ipſum Ducatum Sueviæ a ſocero Rudolpho obtinuiſſe generum Bertoldum II.

Imo vero Bertoldus, Rudolphi filius, poſt patris ſui mortem Sueviæ Ducatum adverſus Fridericum Hohenſtaufium ſibi vindicaſſe videtur, quantum ex hiſtoria illorum temporum colligimus. Annotat enim Conſtantienſis Chronographus ad A. 1084. (*q*) eundem Rudolphi Regis filium, a fautoribus Henrici IV. Imp. bello petitum eſſe, atque in Caſtro ſuo oppugnatum, ſed a Suevis ſuarum partium obſidione liberatum.

Biennio

(*q*) BERTHOLDUS CONSTANT. ad A. 1084. ſcribit: „Nihilominus & Suevi ultra „ Rhenum Burgundiam cum expeditione proficiſcuntur, & quoddam „ Caſtellum Bertoldi Ducis, filii Regis Rudolphi, a fautoribus Henrici obſeſſum, viriliter eripuerunt. „ Rheinfeldam, quem Comitatum a patre hereditarium acceperat Bertoldus, vel aliud ex Ducatu Alemanniae in Helvetia caſtrum heic intelligendum videtur.

PESLERUS in *Hannoveriſche gelehrte Anzeigen* A. 1751. pag. 325. male haec Bertoldo II. Zaringenſi tribuit.

Biennio poſt idem Sueviæ Dux Bertoldus cum Guelpho, Bavariæ Duce, in Bavariam cum exercitu profectus, Henricum Imp. Caſtellum quoddam Bavariæ obſidentem, adegit, ut inſtitueretur colloquium, in quo diuturna regni diſcordia amice tandem componeretur. (*r*) Unde Bertoldum, poſt Anti-Cæſaris, patris ſui mortem, non tantum Sueviæ Ducis titulo uſum, ſed & Guelficæ factionis ope eum vel totum, vel ex parte tenuiſſe, colligimus. Idem Bertholdus Conſtantienſis, ejusdem Bertoldi mortem exponens, eum *Alemanniæ Ducem* appellat. Obiit nimirum A. 1090. medias inter turbas Germaniæ, ut veriſimile eſt, cælebs. (*s*)

(*r*) BERTHOLDUS CONSTANT. A. 1086.

(*s*) BERTHOLDUS CONSTANT. ad A. 1090. ubi: „ Heremannus.. Met. Epiſcopus „ & Bertholdus Dux Alemanniae filius Ruodolphi Regis, in fidelitate „ S. Petri, Majo menſe, diem extremum clauſere.... Soror quoque „ praefati Ducis, Regina Ungarorum, eodem menſe obiit. „ URSTISIUS per *filium* intelligi debere *generum*, annotavit in margine, ſed falſam eſſe hanc conjecturam, vel ſolus Auctor apologiae pro Henrico IV. pag. 219. nos docet, de Bertoldi hujus morte ita ſcribens: „ Bertolf „ filius Rudolfi Regis quondam Saxonum in ipſo juventutis ſuae flore „ defunctus eſt „ Adde Chronogr. Sax. Annales Hildesh. Chron. Auguſt. qui omnes Bertoldi hujus obitum ad A. 1090. referunt.

§. V.

Bertoldus Zaring. ſucceſſor ejus.

Tum vero Suevi, ejus partibus addicti, in Bertoldum noſtrum Zaringum, Bertoldi Suevi ſororis maritum, qui etiam in Comitatu Rheinfeld. uxorio jure ſucceſſiſſe traditur, (*t*) fuere proclives. Unde biennio poſt a Principibus Sueviæ ſolenni electione Dux fuit renunciatus; promovente rem inprimis fratre Bertoldi II. Gebhardo, Conſtantienſi Epiſcopo, de quo ſupra. (*u*) Ab hoc jam tempore Bertoldus II. Sueviæ Ducatum plures per annos obtinuit, & contra Henricum IV. Imp. ejusque generum Fridericum Staufenſem armis foederibusque defendit. Iuſtitiam ille maximopere coluit, atque paci & tranquillitati provinciæ ſumma cura proſpexit. (*x*)

(*t*) STUMPF. *Chron. Helvet.* Lib. VII. Cap. 29.

(*u*) In Bertoldo I. §. XVI. pag. 62.

(*x*) BERTHOLDUS CONSTANT. ad A. 1093. haec annotat: „ Gebehardus, „ Conſtantienſis Epiſcopus, & Apoſtolicae Sedis legatus, Welphonem „ Ducem Bajoariae per manus in militem accepit, ſicut & proprium „ fratrem Bertoldum Ducem Allemanniae jam dudum fecit. Cum „ quibus & reliquis Alemanniae Principibus magnum Conventum apud „ Ulmam habuit, in quo Conventu firmiſſime laudatum eſt, ut Conſtantienſi „ Epiſcopo omnimode ſecundum ſtatuta Canonum obediretur, & ut Duci „ Bertoldo & Comitibus ſecundum legem Alemannorum obſecundaretur. Idem Chronographus ad A. 1094. ſcribit: „ Welpho Dux Bajoariae

Digitized by Google

§. VI.

Poſt multa denique Bertoldi II. cum æmulo bella res ita transacta eſt, „ ut Bertolfus Ducatum exfeſtucaret, ſic tamen, quod „ Turegum nobiliſſimum Sueviæ oppidum, a manu Imperatoris „ ei tenendum remaneret. Transactio cum Frid. Staufenſi.

Transactionis hujus annum Scriptores diverſimode ponunt. Otto Frising. hæc narrans (y) dubitavit, num ſub Friderico-Hohenſtaufio patre, an ſub filio res iſtæ evenerint. (z)

Henricus IV. Imp. A. 1097. ex Italia in Germaniam rediit. Transactionis tempus ante reditum ejus conſtitui nequit. Poſt reditum Moguntiæ in fine anni de pacanda Republica habuit

„ firmiſſimam pacem cum Alemannico Duce Bertoldo & reliquis „ Alemanniae Principibus initiavit, usque Bajoariam, imo usque ad „ Ungariam propagavit. Francia quoque Teutonica & Alſatia eandem „ pacem ſuis partibus ſe obſervaturas juramento decreverunt. Haec „ tamen Pax in Alemannia maxime invaluit, eo quod Principes ejus, „ quisque in ſua poteſtate juſtitiam facere non ceſſaverit.... Et praecipue „ Dux Bertoldus ad faciendam juſtitiam in Ducatu Alemanniae adeo „ exarſit, ut in obſervatione juſtitiæ omnes praedeceſſores ſuos pene „ vicerit, & de hoc omnium ora pio rumore compleverit.

(y) De *Geſtis Friderici I. Imp.* Lib. I. Cap. VIII.

(z) Fridericus Staufenſia, gener Henrici IV. Imp. obiit A. 1105. Filius ejus & ſucceſſor in Sueviæ Ducatu, Fridericua Luſcus, A. 1147.

Conventum. Bavariæ Ducatum reſtituit Guelfo, ita quidem, ut patri filius quoque ſuccederet Guelfus ille, cum quo Mathildis Duciſſa divortium fecit. Tum vero Bertoldus II. ſuam quoque cum Cæſare & genero ejus Friderico Hohenſtaufio, transactionem ſuper Sueviæ Ducatu iniviſſe credendus eſt; compoſitis nempe Bavariæ rebus, poſtquam Guelphus, Bertoldi amicus, cum Cæſare quoque reconciliatus fuiſſet. His omnibus probe conſideratis, Bertoldinam transactionem ad A. 1098. reponimus.

Errat ergo CHRONICA AUGUSTENSIS, (*a*) quod ad A. 1094. multo magis TSCHUDIUS, (*b*) URSTISIUS, (*c*) GUILLIMANNUS, (*d*) OBRECHTUS, (*e*) qui ad Annum 1081. transactionem hanc figunt. HOTTINGERUS (*f*) omnium optime ad Annum 1097. eam retulit. KOELERUS (*g*) annum præterivit ſilentio.

(*a*) Apud FREHER. Tom. I. pag. 506.

(*b*) *Chron. Helvet.* Part. I. pag. 33.

(*c*) In margine ad Ottonem Friſing.

(*d*) *Rer. Helveticar.* Lib. III. Cap. V. pag. 350.

(*e*) *Prodr. Rer. Alſat.* Cap. X. pag. 227.

(*f*) *Specul. Tigur.* vel *Antiquit. Turic.* pag. 31.

(*g*) *De Fatis Ducatus Alemanniæ & Sueviæ* Num. VIII. Secundæ editioni male adjectus eſt A. 1094.

Digitized by Google

§. VII.

Quicquid de tempore ſit, Fridericus Staufenſis Sueviæ Ducatum retinuit. Bertoldus II. advocatiam Imperialem Turicenſem (*h*) hac compoſitione ſervavit; quæ advocatia non urbem modo, ſed & omnem Turicenſem Pagum vel Comitatum, ac ditiſſimas duas urbis Eccleſias, Collegiatam nempe & Abbatialem, (*i*) reſpexit. Transactionis ratio.

Bertoldum II. non armis, ſed pacis ſtudio inductum, transactionem hanc iniviſſe, Otto Friſingenſis ipſe, ex Staufenſi Domo natus, fatetur: „ Bertolfus, inquit, quamvis in hoc negotio „ Imperio ſimul & juſtitiæ. ceſſerit, tamen ſtrenuiſſimus ac „ fortiſſimus fuiſſe traditur.„

(*h*) Advocatia hæc ab Imperio, non a Duce Sueviæ, pendebat, ut Richardus Imp. in Literis, A. 1262. Hagenoæ datis, teſtatur, Conradini Sueviæ Ducis conatus refutans. GUILLIM. *de rebus Helveticis* Lib. III. Cap. V. pag. 351.

(*i*) *Das groſe Münſter und das Frauen Münſter.* Illud Carolus M. dotavit, hoc Ludovicus Germanicus inſtituit; illud Collegiata virorum, hoc Abbatia feminarum, cui jus telonei, cudendæ monetæ; Scultetum & Aſſeſſores conſtituendi jus competiit. HOTTINGER *Helvetiſche Kirchen-Hiſtorie* Tom. I. Lib. IV. pag. 368. 394. & 432.

LEU in notis ad SIMLERI *Regiment der Eidgenoſsenſchaft* pag. 86.

Aberrat ergo a veritate ſententia, quæ Bertoldum II. ſuis terris avitis & ipſo Zaringiæ Comitatu (ita enim vocant) privatum eſſe, eundemque Comitatum ab Imperatore in Baſileenſem Epiſcopum Burcardum A. 1081. fuiſſe collatum arbitratur. (*l*) Burcardus, Cæſareas partes ſecutus, Comitatum *Harichingen*, in Buchsgovia ſitum, A. 1080. ab Imperatore accepit; quem cum Zaringiæ Comitatu confudit Herrgottus, ab exemplo Chartæ male deſcripto, ubi pro *Buchsgouue* legebatur *Brihsgouue*, deceptus. Sed & Zaringiam in voce *Harichingen* latere creditum eſt. *Herchingen* Buchsgoviæ vicum hodieque cognoſcimus. (*m*) Soloduro vicinus Buchsgoviæ Pagus, Bucheckios agnovit Dynaſtas, qui Burgundiæ & Buchsgoviæ Landgravii dicti ſunt; Epiſcopatus Baſileenſis Vaſalli. (*n*)

Bertoldus II. ergo per ſexennium tenuit Sueviæ Ducatum. Pater ejus Carinthiæ Ducatum per totos duodecim rexerat annos, quibus anni quidam Bertoldi II. quoque incluſi ſunt. Conradus Burgundiæ Transjuranæ Ducatum per XXV. annos gubernavit, atque eundem filio ſuo Bertoldo IV. Anno 1152.

(*l*) HERRG. *Genealog. Habsburg.* Tom. II. num. 188. quem & ſecuti ſunt alii.

(*m*) LEU *Helvetiſches Lex.* in voce *Herchingen.*

(*n*) WURSTISEN *Baſel. Chron.* pag. 45. ſq. HAFNER *Solothurn. Schauplatz* Part. II. pag. 319. LEU *Lex. Helvet.* voce *Buchsgau* & *Bucheck.*

gubernandum reliquit; quæ omnia Ottonis Friſingenſis odium in Zaringos produnt. (*o*) Sed ab excurſu ſuper Sueviæ Ducatum redimus in viam.

§. VIII.

Reliquæ Bertoldi II. res geſtæ.

Anno 1084. Bertoldus II. aſſumpto Guelphone Bavaro & Burcardo Nellenburgenſi, cum copiis Conſtantiam profectus, Othonem Epiſcopum inde expulit, Hermannique Anti-Cæſaris gratia & favore Gebhardum fratrem, de quo ſupra jam dictum, qui Hirſaugiæ monachum agebat, Epiſcopum inſtituit, atque introduxit in urbem, accedente Cardinalis Oſtienſis, qui Gregorii Papæ legatus fuerat, conſenſu ac ope. (*p*)

Anno 1086. idem noſter Bertoldus Abbatiam S. Galli, quam biennio ante bello petierat, denuo infeſtavit, quod munimentum ſuum *Twil* proditione amiſerat. (*q*) Abbas San-Gallenſis tum fuit Udalricus, frater Liutoldi, Ducis Carinthiæ; qui filii erant Marquardi illius, cui Carinthiæ Ducatum, Bertoldis ablatum, tradiderat Cæſar Henricus. (*r*)

(*o*) Vide ſupra §. III. pag. 70.

(*p*) D. XI. Kal. Jan. A. 1085. HERMANNI *Annal. Einſidl.* pag. 159.

(*q*) GALLI OEHEMII *Chron.* Mſct. *Augiæ Divitis*, quam ſervat Biblioth. Abbatiæ S. Blaſii ad A. 1084.

(*r*) BURCKHARDUS *de Caſib. Monaſt. S. Galli* Cap. VII. OEHEMIUS l. c. ad Annum 1084. & 1086.

Digitized by Google

Anno 1087. *Bertolfus Dux* cum *Herimanno* Comite in Charta permutationis, inter Epiſcopum Baſileenſem & Udalricum Monachum Cluniacenſem factæ, teſtis legitur. (*s*)

§. IX.

Monaſterii S. Petri fundatio.

Idem Bertoldus Abbatiam D. Petri in Sylva Nigra inſtituit. Monaſterium Anno 1090. coeptum eſt exſtrui, Anno 1093. perfectum. (*t*)

Urba-

(*s*) Codex Diplom.

(*t*) CRUSIUS in *Annal. Suev.* Part. II. Lib. VIII. Cap. X. fundationem hujus Abbatiæ ad A. 1090. ponit, quod forte de fundamentis jactis intelligendum. BERTHOLDUS CONST. de ædificio finito & tempore conſecrationis loqui videtur, cum ad A. 1093. ſcribit: „ In Alemannia Dux Bertoldus „ Monaſterium novum in honorem S. Petri in Nigra Sylva a fundamento „ exſtruxit, multisque bonis ditavit. Sed & omnia bona alterius „ Monaſterii, quod ejusdem Ducis pater in alio loco ædificavit, iſtc ad „ iſtud transtulit. Hoc ergo Monaſterium frater ipſius Ducis, Gebehardus „ Conſtantienſis Epiſcopus, & Apoſtolicæ Sedis legatus, ſua conſecratione „ initiavit. „ Brevius hoc refert Auctor Anonymus Fragmenti Hiſtorici Alberto Arg. præfixi, ad A. 1093. apud URSTISIUM *Script. Rer. Germ.* Part. II. pag. 83. his verbis: „ Bertholdus Dux Alemanniæ, qui & de „ Zeringen, coenobium Monachorum in honore S. Petri in Nigra Sylva „ conſtruxit, quod poſtea frater ejus Gebehardus, Conſtantienſis „ Epiſcopus, conſecravit. „ Ejusdem rei meminit Honorius II. in Bulla

Anno

Digitized by Google

Urbanus II. A. 1095. in Concilio Placentino, cui Gebhardus Epiſcopus Conſtantienſis intererat, Monaſterium hoc ab egregiæ nobilitatis Viro Bertholdo Duce, in Comitatu Briſaquenſi &c. inſtitutum, multis privilegiis ornavit, hac lege, ut Abbatia ſingulis annis aureum Biſantium Lateranenſi palatio inferret. (u)

Idem Gebhardus Epiſc. novum hoc Monaſterium conſecravit. Illud enim, quod eidem D. Petro ſacrum Weilhemii infra Teccam Bertoldus I. condiderat, (x) exercendæ religioni cum non ſatis aptum videretur, Bertoldus II. in medio Nigræ Sylvæ novum exſtruxit, atque reditus prioris eidem adjunxit; prius Monaſterium in Prioratum convertens; qui hodieque San-Petrinæ Abbatiæ obnoxius eſt. Adelbero Abbas A. 1093. ex Weilheimenſi Monaſterio in novum translatus; in quo Gentis ſuæ ſepulturam conſtituit Bertoldus. Novo monaſterio a ſe condito

A. 1126. data apud Schannat *Vindem.* pag. 162. ſcribens: „ Egregiæ „ nobilitatis Vir, Berchtoldus Dux, in Comitatu Briſaquenſi, in „ Conſtantienſi Epiſcopatu, in Silva, quam dicunt Nigram, ad honorem „ B. Petri, Apoſtolorum Principis, Monaſterium ædificavit, ipſumque „ allodium Romanæ Eccleſiæ juri mancipavit. „

(u) Bulla ex Rotulo S. Petri membranacco infra in Cod. Diplom. exhibetur.

(x) Vid. ſupra in Bertoldo I. §. XII. pag. 56.

L

locum *Buchſe* cum bonis ad illum pertinentibus Bertoldum Ducem & uxorem ejus Agnetem dono tradidiſſe in Charta Anni 1109. legimus.

Sepult. Zaring.

§. X.

Veteres Monaſterii hujus ſchedæ Bertoldum II. fundatorem, cum Agnete uxore, Conradum Ducem, filium eorum, una cum Clementia conjuge, Bertoldum & Rudolphum, in adoleſcentia mortuos, fratres Conradi; Bertoldum IV. Ducem, Rudolphum, Leodienſem Epiſcopum atque Conradum, Conradi Ducis filios, ibi ſepultos (y) teſtantur. Novem hæc corpora continuit Camera ſepulcralis in navi Eccleſiæ; Cameram tegebat lapis, cui inſculpta Bertoldi II. imago. Lapidi Mauſoleum cernebatur impoſitum. At in Aede Capitulari, ante ſedem Abbatis, ſepultus erat Dux Bertoldus III.

(y) Corporum hornm oſſa & capita Placidus Abbas A. 1659. cryptam cum aperniſſet, invenit. Ulricus vero Abbas A. 1727. omnia ſarcophagis quatuor incluſit, atque ex veteri deſtrncta Baſilica ſolennibus cærimoniis transferri curavit in novam, ubi ad dextram altaris majoris duæ ſandapilæ, totidemque ad ſiniſtram repoſitæ ſunt. In utraque parte hodie inſcriptio eſt; oſſium Zaringenſium index. Legi hæc fuſius poſſunt in Libro, cujus rubrum: *Feſtum Cathedræ S. Petri*, in quo cærimoniæ inanguratiouis Baſilicæ San-Petrinæ A. 1727. peractæ exponuntur. Editus Rotwilæ 1733. in 4. lingua Germ.

Digitized by Google

Falluntur itaque Stumpfius (*z*) atque Peslerus, (*a*) quorum ille Bertoldos aliquot Zaringenſes in Petershuſano; hic in San-Petrino & Sulzbergenſi Coenobiis omnes Zaringiæ Duces ſepultos tradiderunt. Nullus eorum jacet Sulzbergæ.

Bertoldus I. Hirſaugiæ, Bertoldus V. Friburgi, reliqui omnes in S. Petri Abbatia ſepulturæ mandati ſunt.

§. XI.

Bertoldus II. ex itinere Romano, quo Henricum V. Imp. comitatus erat, (*b*) redux A. 1111. d. 12. April. vitam commutavit cum morte. (*c*) Error eorum, qui Bertoldum hunc Anno 1090. jam mortuum volunt, (*d*) ex confuſione illius Bertoldi, qui Rudolphi — Mors Bertoldi.

L 2

(z) *Chron. Helvet.* Lib. VIII. Cap. XXIX. Stumpfius Petershuſium cum S. Petri Monaſterio in Nigra Sylva confudiſſe videtur.

(a) *Nachricht von den Herzogen von Zæhringen*, in Diario *Hannöveriſche Anzeigen* A. 1751. pag. 324.

(b) Petrus Diaconus in *Chron. Caſſin.* Lib. IV. C. XXXV.

(c) *Chron. Conſtant.* apud Pistor. Tom. III. pag. 742. Charta Bertoldi III. de A. 1112. apud Schannat *Vindem. Liter.* Collect. I. pag. 160.

(d) Crusius loc. alleg. Hahn *Reichshiſtorie*, Pfeffinger ad Vitriarium Tom. II. pag. 334. Peslerus in *Serie Ducum Carinthiæ* §. IX. & in *Nachricht der Herzogen von Zæhringen* l. c. Froelich in *Archontologia*

Digitized by Google

Anti-Cæſaris filius fuit, cum Bertoldo noſtro Zaringio ſuam trahit originem. (*e*)

Chara−cter.

Characterem Bertoldi II. OTTO FRISING. (*f*) ita deſcribit: „ Bertolfus ... ſtrenuiſſimus ac fortiſſimus fuiſſe traditur. „ Unde & adhuc ab antiquioribus de ipſo dicitur, quod ſi quando „ nuncius aliqua triſtia ipſi apportans, ſecundum quod fieri aſſolet, „ hæſitare voluiſſet, dixerit, dic, dic! ſcio enim, quod ſemper „ læta triſtia, vel triſtia præcedant læta ... Magnifica vox & „ viro forti digna. „ Elogium hoc ſcriptoris Gibellinæ partis, de Bertoldo non poteſt eſſe ſuſpectum.

§. XII.

Uxor & Liberi.

Bertoldi II. uxor fuit, ut ſupra jam annotavimus, (*g*) *Agnes*, filia Rudolphi Suevi, Anti- Cæſaris, quæ eodem, quo

Ducum Carinthiæ. Qua fide HENNINGESIUS obitum Bertoldi II. in A. 1098. ponat, non equidem intelligo, vid. Part. I. ſecundi & tertii Regni in quarta Monarchia pag. 284. *Theatri* ejus *Genealog.*

(*e*) Vide ſupra §. V. pag. 74.

(*f*) *Geſt. Friderici I. Imp.* Lib. I. Cap. VIII.

(*g*) Addi poſſunt teſtimonia Scriptorum. OTTO FRISING. l. c. Cap. VII. ſcribit: „ Rudolfi filiam quidam ex nobiliſſimis Regni optimatibus „ Bertolfus nomine de Caſtro Zæringen habuit. „ *Genealogus Murenſis* hæc tradit: „ Cuono Comes de Rhinfelden genuit Rudolphum Regem, „ et ille genuit Agnetem, matrem Conradi Ducis. „ Honorius II. in Bulla

Digitized by Google

maritus, Anno 1111. d. 19. Decembr. obiiſſe ſcribitur. (*h*) At vir ſummæ nobilitatis Dux Bertoldus cum uxore ſua *bonæ memoriæ Agnete* locum Buchſe Monaſterio S. Petri tradidiſſe legitur in Charta A. 1109. unde eam hoc anno jam extinctam fuiſſe intelligimus. Ex hac Bertoldum III. & Conradum, qui ei ſucceſſerunt; & Rudolphum, qui tener obiit, ſuſcepit. (*i*)

De Agnete filia Bertoldi, quam GOLLUTIUS (*l*) conſtituit filiam Conradi, ita canit GUNTHERUS:

„ Hanc Comes antiqua veniens ab origine Regum
„ Guillelmus quidam, puerum quem fama vocabat,
„ Poſſedit, quem conſpicuo produxerat ortu
„ Chonradi germana Ducis.

privilegiorum Abbatiæ S. Petri in Sylva-Nigra A. 1126. *Ducem Berchtoldum* cum *ſua uxore Agnete & filiis* commemorat. SCHANNAT *Vindem.* pag. 162.

(*h*) Vid. Liber, cui Tit. *Feſtum Cathedrae S. Petri* pag. 247.

(*i*) *Necrologium S. Petri:* Rudolphus cum patre ſuo Bertoldo II. Monaſterium D. Petri A. 1109. inviſit. Idem cum matre ſua Agnete et Conrado fratre, Bertoldi patris exequiis, in Monaſterio hoc celebratis, interfuit. In Actis hujus Monaſterii haec leguntur: „ Cujus (Bertoldi II.) corpore „ nondum terrae commendato, uxor ejus Domina Agnes cum duobus „ liberis ſuis Domino Rodolfo et Conrado, tale praedium, quale viſa „ eſt habere in villa, quae dicitur Scalſtatt. „ &c.

(*l*) *Memoires de la Republ. Sequanoiſe* Lib. V.

Stephanus II. Burgundiæ Comes, cui agnomen *Tete hardie* Agneti huic datur maritus. (*m*)

Ex hac prodiit Guilielmus III. *Puer* dictus, qui A. 1126. occiſus eſt. Alii uxorem eam patruo Guilielmi Pueri, ſed non recte adſcribunt. Alii Stephano & Agneti filium dant Rainaldum III. qui Burgundici Comitatus libertatem contra Imperatores & Zaringiæ Duces defendere auſus eſt. Fundatrix Coenobii Omnium Sanctorum in Nigra Sylva fuiſſe dicitur Luitgardis Zaringica, Godefridi Comitis Calvenſis conjux, & mater Uthæ, quæ fuit uxor Welſonis, fratris Henrici Superbi, quam fundationem Henricus VI. Imp. Diplomate firmavit. Luitgardis ergo circa A. 1130. vixit, quum filia ejus Utha circa A. 1150. nupta jam fuerit Guelpho, potuitque adeo Bertoldi II. extitiſſe filia.

(*m*) *Memoires de Bourgogne* Lib. IV. Cap. XVIII.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT III.

BERTOLDUS III.

Ab anno 1111. usque ad Annum 1122.

§. I.

Bertoldus III. Bertoldi ſecundi filius, (*a*) primi nepos, titulo Ducis *Zaringiae*, in Chartis condecoratus eſt primus. Inſtrumentum conditae urbis Friburgi Brisgoviae, quod A. 1120. prae ſe fert, Bertoldum noſtrum axiomate hoc Ducali exornat. (*b*) Eum Bertoldi II. Ducis filium fuiſſe, plures Chartae demonſtrant. „ Dux tertius Bertholdus et frater ejus „ Conradus, filii bonae memoriae Bertholdi II. Ducis „ VI. Kal. Genealogia.

(*a*) Ex Bertoldo Secundo et Tertio unum conſtituit Herrgottus *Genealog. Habsburg.* Tom. I. Lib. VI. Cap. II. p. 273.

(*b*) Codex Diplom. ad hunc Ann.

Digitized by Google

Jan. 1112. non tantum dona paterna Abbatiae S. Petri confirmarunt, ſed et praedio in vico *Benzeshuſen*, novisque juribus auxerunt. (*c*) In alia ejusdem Monaſterii Charta Anno 1122. exeuntis legitur: „ præcelſae Nobilitatis Vir Berhtoldus cum uxore ſua felicis „ Memoriae Agnete, nec non ſuis temporibus Dominus Berhtoldus „ & frater ejus Dom. Cuonradus, hujus ſobolis geminus partus. „ (*d*)

§. II.

Res Geſtæ. Bertoldus hic tertius expeditioni Henrici V. Imp. in Italiam A. 1110. interfuit, pactoque, quod de inveſtituris cum Paſchali II. Imperator inivit, conficiendo conciliatorem ſe praebuit, atque Pontifici jurejurando ſuam fidem obſtrinxit, quod conventioni huic ſatisfacturus ſit Caeſar; ſin minus, ſe cum ceteris, qui juraverant, Proceribus tranſiturum ad Papam. (*e*)

A. 1122. Calixtinae Chartae Tranſactionis cum Henrico V. ſubſcripſit. (*f*)

Denique

(*c*) SCHANNAT *Vindem. Literar.* p. 160. Rotulus membr. Abbatiae S. Petri.

(*d*) Idem pag. 161.

(*e*) Vita Paſchalis II. apud MURATOR. *Script. Rer. Ital.* Vol. III. p. 360. ſq.

(*f*) Subſcriptio: *P. Dux*; Pertoldus. Vid. Auctor Vitae Calixti II. ibid. pag. 420.

Digitized by Google

Denique Donationi, Monaſterio S. Petri factae, aliam ſubjunxit; qua ille cum fratre ſuo praedium in *Pago Gondelingen* cum mancipiis ceterisque juribus, A. 1113. eidem donavit. (*g*)

Quum A. 1115. Seldenſis Partheno in Sylva Nigra a Geraldo nobili ex loco fundationis in allodium ejus *Selden*, ſub inſtituto Cluniacenſi, transferretur, Charta translationis *Bertolfo Duce*, Advocato loci, *Bertolfo Comite* præſentibus, facta eſt. (*h*)

Conventui Procerum, ſub Henrico V. Baſileæ Anno 1114. celebrato, Bertoldus hic interfuit, atque tria diplomata teſtis ſignavit *Dux Bertoldus.* (*i*) Interfuit quoque cum H. Marchione & Conrado de Zaringen tranſactioni Monaſterii S. Petri & Canonicorum de Cella A. 1121. (*l*)

(*g*) Charta in Cod. Diplom.

(*h*) Charta extat apud MABILLON. *Annal. Ord. S. Bened.* T. V. p. 694. Monaſterium prius erat in Boliswilere, quod vix leucae ſpatio diſtabat a Selden, ad quem locum translatio facta eſt.

Clemens VIII. A. 1598. Seldenſe Monaſterium Abbatiae S. Petri in Nigra Silva conjunxit. Vid. Reverendiſſimus Abbas S. Petri, PHILIPPUS JACOBUS, in *Vita S. Ulrici*, Germ. edita A. 1756. pag. 76.

(*i*) HERRG. *Genealog. Habsb.* Tom. II. Num. 193. ſqq. *Acta Mur.* pag. 34.

(*l*) Haec ſunt verba chartae: „ in praeſentia - - - Ducis Bertholdi et D. „ Brunonis et aliorum Principum, ſcil. Dom. H. Marchionis, Friderici de „ Wolvahe, Conradi de Zaringen, generis Comitis Berth.„ ubi Conradus,

§. III.

Fribtouts Brisgov. Conditor.

Paulo poſt in Brisgovia Civitatem Friburgum in allodio ſuo (*m*) & proprio fundo ædificare cœpit, cujus exſtructæ æra a nonnullis ad Bertoldum II. male refertur. (*n*) In Friderici II. Imp. Charta libertatis Bernenſium A. 1218. Conradus, Bertoldi frater, eam exſtruxiſſe legitur. Bertoldus nimirum opus incepit, Conradus perfecit. Sunt, qui ad A. 1118. hoc ponunt. (*o*)

Bertoldus novæ urbis condendæ modum & ejus jura definivit Anno 1120. Henricus V. Imp. & Proceres Imperii, ut Charta fundationis habet, exſtructionem ejus juraque ei data, probarunt. Frater & ſucceſſor Conradus Baſilicam & turrim, Argentinenſis æmulam, erexit; ut tabularii Friburgenſis ſchedæ me docent. Civitas aquis irrigua, LIV. fontibus ornata, Univerſitate ſtudiorum

frater Bertoldi Ducis, *generis* dicitur *Comitis Berth.* quoniam Bertoldus hic Brisgoviae Comes fuit provincialis ſive Landgravius.

(*m*) In loco proprii fundi ſui, ut in Charta dicitur. Friburgum vicum fuiſſe, antequam Civitas fieret, incolarum traditio eſt.

(*n*) MASCOVIUS in *Commentar. Henrici IV. Imp.* p. 120.

(*o*) SATTLERUS in *Chron. Friburg.* quod SCHILTERUS edidit, pag. 11. Apud STUMPFIUM in *Chron. Helvet.* Lib. VII. Cap. XXIX. hi verſus leguntur:

„ Anno milleno centeno bis quatuor deno

„ Friburg fundatur, Berchtoldus Dux dominatur.

Add. TSCHUD. Part. I. Lib. II. pag. 50.

Digitized by Google

A. 1457. inſtructa, poſtremis his ſeculis arcium & propugnaculorum firmitate & elegantia Germanicæ nulli ſecunda, A. 1744. nudata munitionibus, Regimine Auſtriaco tamen ibi ſedente, Conventibus Brisgoviæ Statuum, Academia Literarum, priſtinum adhuc decus, quantum potis eſt, tuetur.

§. IV.

Friburgum conditum eſt ſecundum jura Agrippinæ Coloniæ, ut emporium deveniret Brisgoviæ: legibus non minus ac vallo munitum, quod publico atque ſolenni mercatu, conſenſu Regis Principumque, Bertoldus inſtruxit. (*p*) Inſtrumentum conditæ urbis.

M 2

(*p*) Fidem hujus rei nobis facit conditæ urbis Friburgi Charta, in ſcriniis civitatis hodieque ſuperſtes, illaeſa et ſalva. Autographum curate inſpexi, cujus exemplum in Codice Diplomatico daturus ſum.

In ea, quaecunque ad ſtatum novae urbis tam publicum, quam privatum, in cauſis vel criminalibus vel civilibus, pertinent, ordinata leguntur. Praecipua eorum capita, quae vel obiter hic indicaſſe juvabit, agunt, „ de Dominio Civitatis ad ſeniorem gentis „ hereditario jure ſemper tranſituro; de jure Conductus atque „ ſecuritate mercatoribus, forum Friburgenſe adituris, praeſtanda; de „ electione Sacerdotis, Plebani, Sculteti, Lictoris et Paſtoris, à „ Burgenſibus communi conſenſu inſtituenda; de juribus Telonearii, nec „ non de pecuniis pro invectione aut exportatione mercium omnis „ generis ſigillatim exſolvendis; de inſtituenda libra publica ejusque

Urbibus caruit Germania vetus. Media ad ſeculum uſque XII. paucas conſpexit. Inter antiquiores reputatur Suſatum, Weſtphalica civitas, Imperialis quondam & Hanſeatico fœderi adſcripta. Legum Suſatenſium Codex ſec. XII. ſupereſt, cui tamen nec auctor, nec annus legis adjecti. (q) At Friburgenſium

„ uſu vel abuſu; de Miniſterialibus et hominibus propriis; de „ hereditatibus et bonis vacantibus; de libertate matrimonii; de „ mutua conjugum ſucceſſione; de poteſtate mariti in bona uxoris; de „ imperio patris et matris in liberos; de ſeparatione liberorum; de „ tutela impuberum; de termino pubertatis; de alienatione aut „ oppigneratione praediorum; de jure creditoris in bona et perſonam „ debitoris; de poena homicidii, vulnerationis, injuriarum; de rapina, „ furto, rebusque furtivis, falſa moneta, tumultu et ſeditione; de „ ſtupro; de teſtibus, eorum numero ac ſtatu; de probatione per „ duellum; de appellationibus Coloniam inſtituendis; de Expeditione „ Romana & aliis plurimis, quæ in dicta Charta fuſius enarrata, docent, quantum pretii egregio huic monumento ſtatuendum ſit ab illis, qui Jura ſtatutaria aut municipalia medii ævi in Germania ſcrutantur.

(q) Inter ſtatutaria Germaniæ Jura ad hunc usque diem viris eruditis omnium antiquiſſimum viſum fuit Jus Suſatenſe (*Soeſt*,) quod ex duabus membranis vetuſtis in publicam lucem primum protraxit Cl. EMMIGHAUSIUS, illudque *Memorabilibus Suſatenſibus*, Jenæ A. 1749. a ſe editis, inſertum, mox etiam erudita Commentatione expoſuit atque illuſtravit Francof. & Lipſiæ 1755. 4. Verum hanc antiquitatis prærogativam, qua hucusque Jus Suſatenſe gaviſum fuit, potiori nunc

legum pactus annum & auctorem declarat. Non ſine ratione ergo dubito, an ulla Trans - Rhenanæ Germaniæ civitas extet, quæ legum municipalium antiquitate cum Friburgo Briſgovico poſſit certare.

§. V.

Poteſtatem condendæ Civitatis concedere; conditæ privilegia impertiri & præſcribere leges, inter jura prærogativa Cæſarum reputatur. Cum autem bella de inveſtiendis Epiſcopis Imperatorem inter & Papam eo tempore flagrarent, Cæſare diris devoto, Bertoldus, aſſecla Papæ, Friburgum auctoritate magis ſua, quam Imperiali, ſtruxiſſe legibusque muniviſſe videtur. (r) Lotharius, Henrici V. Imp. ſucceſſor, Zaringenſium fautor, ut & Cæſares ſequentes tacuerunt. Fridericus II. Friburgum Comitis Eginonis poteſtati ſubjacere profeſſus eſt. Rudolphus I. A. 1282. Colmarienſis Civitatis jura quoque Friburgenſibus conceſſit.

Cæſarum in hoc auctoritas.

jure ſibi expoſcere videtur Juris municipalis Friburgenſis Charta; quæ, ſi rerum amplitudinem & varietatem ſpectes, Jure Suſatenſi nullo modo inferior. Friburgenſis Charta poſt initia ſec. XII. conſcripta, Suſatenſis poſt annum 1180. Ex Suſatenſi Jus Lubecenſe & alia prodierunt.

(r) Mentio Imperatoris in Charta non niſi leviter fit.

Digitized by Google

§. VI.

Jura. Obſervationum ad origines Friburgi ſumma huc redit.

I. Condita eſt urbs *in loco proprii fundi ſui*, (Bertoldi III.) *Friburc* videlicet; unde extinctis Zaringenſibus ad ipſorum heredes tranſiit. Ordinavit Bertoldus, ut Domino urbis defuncto heredum ejus ſenior ſuccederet.

II. Mercatoriam urbem conſtituit Bertoldus, ad Nigræ Sylvæ pedes, ubi ex Suevia in Briſgoviam tranſitus, ut illa Briſgoviæ deveniret emporium.

III. Inſtituit eam *ſecundum Jura Coloniæ*, quæ inter Rhenanas Civitates tum maxime florebat commerciis. Nova oppida ad formam antiquiorum plerumque inſtituta ſunt. Landavia Spiræ, Selſa Hagenoæ, Roshemium Seleſtadii, Turinghemium Colmariæ jura accepit.

IV. Jus municipale novæ urbi datum eſt conſenſu ac decreto Regis & Principum, uti loquitur Charta. Rex intelligitur Henricus V. Imp.

V. Inter municipalia hæc Friburgi jura nullum juris Romani veſtigium, ſecus ac in ſtatutis Civitatum, quæ ſeculo XIII. conditæ ſunt, ut Colmariæ, Selſæ, Hagenoæ, comparet.

VI. Tanta novæ Civitati tributa fuit libertas, ut *nullus hominum vel Miniſterialium Domini* in eam, niſi de communi civium conſenſu, potuerit recipi.

Digitized by Google

VII. Orta ſuper Senatus Conſultum, vel aliam ſuper rem inter cives litigantes diſcordia, ad Colonienſe Judicium provocare licebat.

VIII. Civibus libera Plebani, Sculteti & XXIV. Conſulum relicta electio.

Bertoldina Statuta ad Annum usque 1520. Friburgi conſtanter viguerunt. Tum vero Civitas, ſui Principis permiſſu, ampliora, ex jure quoque Romano petita, ab Udalrico Zaſio compoſita, in lucem emiſit. (*s*)

Statutorum Bertoldinorum defectus præfatio novi Codicis annotat. (*t*)

§. VII.

Biennio poſt conditam urbem ſocio ſuo Hugoni, Dagsburgenſium Comiti, adverſus ſubditos rebelles auxilium cum præſtitiſſet Bertoldus, Molshemii in Alſatia occiſus eſt. (*v*) Mors Ducis.

(*s*) Sub Rubro: *Der Statt Fryburg im Prisgow Statuten und Stattrechten*, 1520. fol.

(*t*) His verbis: „So wir - - - erfunden das unſere Sazungen, die unſer erſter „ Stiffter wylandt der durchlüchtig Furſt und Herr, Herr Bertold „ Hertzog zu Zeringen - - - - in erbuwung diſer Statt Fryburg geſetzt „ und geben hat, an vil orten unverſtendig und mangelhafftig ſind.„

(*v*) Conradus Dux, Bertoldi III. frater atque ſucceſſor, VII. Kal. Jan. 1123. Abbatiæ S. Petri jura confirmavit *Badæ*, i. e. Badevillæ, apud SCHANNAT. *Vindem. Liter.* Collect. I. p. 161. unde nobis perſuaſum eſt, Bertoldum III. exeunte Anno 1122. quo Charta hæc data eſt, jam

Digitized by Google

Cædem ejus promovit Cuno, Argentinenſis Epiſcopus, Henrici V. partibus contra Papam adhærens, atque ob id ipſum anno ſequenti Epiſcopatu dejectus. (x)

Conjux Bertoldi III. Sophia Guelfica fuit; Henrici Nigri, Bavariæ Ducis, ex Wulfhilde Billungenſi (y) filia, ex qua ſobolem maſculam non ſuſcepit. (z) Sophia hæc, mortuo marito, nupſit Luitpoldo, Marchioni de Stiria.

---

extinctum fuiſſe. Adſtipulatur Chronicon Conſtant. At Murenſe ineditum ita habet: A. 1123. *Bertholdus Dux obiit*, cum quo conſpirat KOENIGSHOVIUS *Chron. Argent.* p. 429.

(x) DODECHINUS Abbas ad h. annum; *Fragmentum hiſtor.* apud URSTIS. *Chronographus Saxo* apud ECCARDUM.

(y) CONRAD URSPERG. *Chron.* ſub Lothario II. Imp. pag. 211. MONACHUS WEINGART. *de Guelfis* Cap. X. ap. LEIBNIT. T. I. p. 786. ubi nomen *Zaringen*, in *Haringen* corruptum. LADISLAUS SUNDHEMIUS de *Guelfis* ap. eundem LEIBNIT. pag. 804. ſq.

(z) SUNDHEMIUS loc. alleg. id afferit. HENNINGESIUS in *Genealog.* Part. I. ſecundi & tertii Regni, Monarchia IV. pag. 285. & Part. II. ibid. pag. 138. ei dat filiam Sophiam, quæ deſponſata fuerit Bertholdo I. Carinthiæ & Stiriæ Duci; ſed nihil firmamenti hæc habent.

CAPUT

CAPUT IV.

CONRADUS.

Ab Anno 1122. usque ad Annum 1152.

§. I.

Conradus, Bertoldi III. ſucceſſor, non ſemel in Chartis *filius Ducis Bertoldi,* (*a*) nempe ſecundi, & frater tertii Bertoldi vocatur, uti ſupra oſtendimus. (*b*) Genealogia.

Fratre vix mortuo Conradus Abbatiæ S. Petri privilegium confirmavit, ut Miniſteriales ſui bona ſua quæcunque eidem Cœnobio libera donatione concedere poſſent. (*c*)

(*a*) Tres Chartæ, apud Argentinenſes occaſione San-Blaſiani Monaſterii ab Imperatoribus datæ, id teſtantur. Una Henrici Anno 1125. & duæ Lotharii II. Omnes apud Herrgott. ſuis ſub annis occurrunt.

(*b*) In Bertoldo III. §. I. pag. 87.

(*c*) Schannat *Vindem. Lit.* Coll I. pag. 161.

Anno 1123. Henricus V. Imp. Argentinæ Conventum celebravit, atque Alpirſpacenſi Wirtenbergæ Monaſterio Diploma conceſſit, quod *Conradus Dux de Zaringen* ſua quoque manu ſignavit, (*d*) quæ prima gentilitii *Ducum Zaringiæ* nominis creditur mentio. At triennio ante jam Bertoldum III. fratrem ejus, in Charta conditæ civitatis Friburgi Brisgoviæ, axiomate hoc inſignitum fuiſſe, ſuo loco oſtenſum eſt.

§. II.

Advocatia Abbatiæ S. Blaſii controverſa.

Anno 1125. Ruſtenus, Blaſianus Abbas, Conrado noſtro Advocatiam Monaſterii ſui tradidit; quæ deinceps in Zaringica Domo ad extinctos uſque Duces permanſit. Advocatia hæc paulo ante in Imperio multos excitaverat motus, donec ab Henrico V. Imp. in Conventu Procerum Argentinæ res pro Abbate deciſa; qui potentem Imperii Principem pro Advocato ſibi eligendum exiſtimans, Zaringiæ Ducem, Conradum, adſcivit. Cauſſam hanc obſcuram a junioribus multis vel obiter, vel male deſcriptam paucis exponemus Lectori.

Henricus II. Imp. Bambergenſis & Baſilienſis Epiſcopatuum inſtaurator & reſtaurator notiſſimus, de augendo utriusque ſplendore ſollicitus, Gengenbacenſe & Schutterenſe Benedictini

(*d*) BESOLDI *Monumenta Wirtenberg.* P. I. p. 250.

Ordinis Ortenaviæ Monaſteria directo Bambergenſis Eccleſiæ ſubjecit dominio; quod vinculum feudale ad noſtra uſque tempora durat.

Simile quid Baſilienſi Eccleſiæ haud dubie deſtinaverat Cæſar; ſed morte præventus ſucceſſori ſuo Conrado II. rem perficiendam reliquit. Hic enim primo ſtatim Regiminis anno (e) Adelberoni, Baſil. Epiſcopo, Blaſianum Monaſterium conceſſit in feudum. (f) Blaſianus Abbas, ad illud uſque tempus per baculum inveſtitus a Cæſare, in poſterum a Baſilienſi fuit inveſtiendus Epiſcopo. Directum hoc Epiſcopi dominium ceteris Monaſterii immediati juribus nihil ademit.

Perſtitit illud libera Imperialis Abbatia, cum liberteat ſuum ex Ottonis II. privilegio (g) eligendi ſibi Advocatum. Perſtitit in Dioeceſi Conſtant. Epiſcopi, ex qua nunquam exivit.

N 2

(e) A. 1025.

(f) Præſtans Blaſianæ Abbatiæ ſec. XII. Codex, in quo varia Chronica & Rei Muſicæ ſcriptores, ad A. 1025. refert: *Cella S. Blaſii Baſilienſi Epiſcopio traditur.*

Authentica Conradi II. Donationis Charta huc uſque non prodiit, vaſalliticum tamen Abbatis Blaſiani vinculum cum Baſil. Epiſcopo intelligi debere, ex iis, quæ A. 1120. agitata fuerunt, quæque infra referimus, patet.

(g) Privilegium hoc genuinum & authenticum, quod omnium Blaſianorum primum & antiquiſſimum eſt, ſciolus quidam ante plura jam ſecula

Digitized by Google

Novus hic rerum Blaſianarum ratione directi dominii ſtatus per totos fere centum annos duraverat. Anno 1120. difficultas de modo inveſtiendi exorta. Inveſtituræ ſolennitas moretum ſueto per virgam vel baculum fieri ſolebat. Cum autem Gregorius VII. (*h*) & ſucceſſores ejus inveſtituras per annulum & baculum, a Cæſaribus factas, ex cathedra & in Conciliis aperte damnaſſent, orta eſt quæſtio, an Baſilienſi Epiſcopo licitum ſit, Blaſianum Abbatem porro inveſtire per virgam, Delegati à Calixto II. Baſileam miſſi (*i*) ibidem pronuntiarunt: „Si alii Epiſcopi Regni, „ qui ſunt Advocati in Abbatiis aliorum Epiſcopatuum, jure „ Eccleſiæ ſuæ, ex conceſſione vel ex tolerantia Sedis Apoſtolicæ, „ electis Abbatibus conceſſionem per virgam fecerint, Epiſcopus

adulteravit. Cum enim in Henrici V. Imp. Charta A. 1125. reperiſſet, Ottonem Privilegium dediſſe Blaſianis, & pro *piiſſimo*, contracte ſcripto, *primum* legiſſet, in falſam eſt inductus ſententiam, Ottonem I. Imp. eſſe Monaſterii ſtatorem. Hujus autem Diploma quum nullibi extaret, ſciolus ille violentas Diplomati Ottonis II. intulit manus, æramque genuinam anni 983. ita corrupit, ut inde annus 963. prodierit. Nec negandum, receptam apud Blaſianos invaluiſſe ſententiam, Monaſterium illud ab Ottone I. Diplomate fuiſſe ornatum, quod autem temporum injuria perierit. Vide Notam HERRGOTTI ad Chartam Henrici V. Tom. II. p. 141.

(*h*) Prohibuit has inveſtituras Gregorius VII. A. 1078. in Concilio Romano

(*i*) Gregorius Cardinalis & Pontius Cluniacenſis Abbas.

„ quoque Baſilienſis Abbatibus, qui in Eccleſia B. Blaſii „ præponendi ſunt, poſt electionem hoc ipſum faciat. Facta „ hæc ſunt apud S. Albanum Anno 1120. adſtantibus atque „ collaudantibus, Domno Radulſo Baſilienſi Epiſcopo & Domno „ Roſtanno S. Blaſii Abbate. (*l*)

Sententia, quæ dubium de inveſtitura per virgam decidit, non exiguis mox turbis, ſuper Advocatiam Blaſianam ortis, dedit occaſionem. In ejus enim introitu dicitur, Epiſcopi, *qui ſunt Advocati in Abbatiis aliorum Epiſcopatuum &c.* & in fine adjicitur: „ Epiſcopus Baſil. S. Blaſii fratres ſic tueatur. &c. Delegati Pontificis directum dominium cum Advocatia confuderunt; moris hujus Eccleſiarum Germanicarum ignari. Rudolphi Epiſcopi ſucceſſor, Berchtoldus, (*m*) virtute ſententiæ hujus Advocatiam Monaſterii Blaſiani ad ſe pertinere exiſtimans, A. 1124. Sub-Advocatum ei dedit, Adelgozum de Werra, (*n*) refragante Ruſteno Abbate, qui hac ſuper re querelam apud Henricum V. inſtituit.

(*l*) Dacherii *Spicilegium* Tom. III. pag. 477. ſq.

(*m*) Claudi[illegible] Sudanus in *Baſilea Sacra* pag. 190. erravit, quando duos Epiſcopos, Ludovicum nempe & Fridericum, ponit inter Rudolphum & Berchtoldum, uti Brundrutanum Epiſcopale me docuit tabularium.

(*n*) *Adelgoz von Werr*, ex Militum ordine. Dominium *Werre*, *Wehr*, ſitum in Nigra Silva, ſupra Præceptoriam Beucken. Urstisius in *Chron.*

Digitized by Google

Cæſar in Principum Conventu A. 1125. d. 8. Jan. Argentinæ habito, (*o*) Blaſianum Monaſterium liberum pronuntiavit ab Advocatia Baſilienſis Epiſcopi, qui eam ex dominio ſuo directo derivare non potuit, ſed ex ſententia a Delegatis Pontificis nuper lata ſibi eam arrogavit.

Advocatum eligendi libertas, ab Ottone II. San-Blaſianis diſerte conceſſa, conceſſione dominii directi, quod Conradus II. Baſilienſi Eccleſiæ dedit, haudquaquam ſublata eſt.

§. III.

Errores aliorum.

Baſilienſium & Blaſianarum rerum ſcriptores in tractando hoc argumento non recte verſati ſunt, Jus dominii directi pro Advocatia ſumentes. Ita ſane URSTISIUS (*p*) SUDANUS (*q*) LEXICOGRAPHI BASILIENSES; (*r*) qui omnes crediderunt, Advocatiam ab Adalberonis Epiſcopi temporibus per totos centum annos tranquille in Blaſianos fuiſſe

Baſil. L. I. C. XXI. Mentio ejusdem *Adelgoz de Werrah* inter teſtes Notitiæ concambii inter Conradum Ducem & Abbatiam S. Petri, quæ in Cod. Dipl. exhibebitur.

(*o*) Charta apud HERRG. *Genealog. Habsb.* Tom. II. p. 139.

(*p*) *Chron. Baſil.* Lib. II. Cap. XV. p. 101.

(*q*) *Baſilea Sacra* pag. 191.

(*r*) Tom. I. Lexici voce *Baſel*, in Catalogo Epiſcopor.

Digitized by Google

exerçitam, quum illam nullus unquam exercuerit Baſilienſis Antiſtes. Litem ergo inde ortam exiſtimant, quod Adelgozus Sub - Advocatus poteſtate ſua abuteretur. Herrgottus (s) contra, Baſilienſes Epiſcopos inter atque Blaſianos Abbates per centum annos litigatum fuiſſe exiſtimavit, donec Henricus V. litem dirimeret.

Utraque pars aberrat a vero. Baſilienſes Epiſcopi dominium directum in Blaſianum Monaſterium, quamdiu ad Advocatiam illud non extenderant, exercuerunt tranquille. Quum autem Bertoldus Antiſtes Advocatiam in Monaſterium dominio directo adjungere cœpiſſet, lis ſub Henrico V. A. 1124. mota, anno ſequenti ab eo Argentinæ pro Blaſianis deciſa eſt. De longa per ſeculum cum Epiſcopo lite nullum in ſcriniis Blaſianis veſtigium extat. Blaſianos autem non tam de Advocatiæ abuſu, quam de Advocatia ipſa inſtituiſſe querelam, Conradus III. Romanorum Rex in Charta A. 1141. (t) diſerte declarat. Ait enim, Antiſtitem Baſilienſem Abbatiæ hujus ſubjectionem & Advocatiam ſibi arrogaſſe, monachos autem negaſſe utramque.

(s) In notis ad Henrici V. Imp. Chartam A. 1125. quæ extat Tomo II. *Geneal. Habsburg.* p. 140.

(t) Herrg. Tom. II. p. 165.

§. IV.

Conradus fit Advocatus S. Blaſii.

Ruſtenus Abbas ergo Conradum noſtrum, Zaringiæ Ducem, has inter lites, Advocatum elegit, primævo ſuo jure innixus. Henricus V. electionem non modo probavit, ſed & Cæſareo, ut vocant, banno pro Advocatia S. Blaſii adminiſtranda, Conradum munivit, ut Cæſar ipſe teſtatur. Ceterum non infrequens apud Germanos eſt, ut Abbatia Advocatum, a Domino directo & ab Epiſcopo Diœceſano diverſum, agnoſcat. (*v*)

Neque tamen, Cæſarea ſententia, A. 1125. lata, lis omnis ſopita eſt. Blaſiani ab Advocatia Baſilienſi liberi, a directo quoque Epiſcopi dominio ſe liberos credentes, cum Bertoldi ſucceſſoribus, Adalberone III. & Ortliebo, in diſcordia vixerunt, donec & hæc res a Conrado III. Imp. A. 1141. Argentinæ compoſita eſt. Hoc enim anno Conradus noſter, ut Advocatus Blaſianus, Abbatiæ nomine, ex bonis ejus quatuor Curtes (*x*) Epiſcopo

(*v*) Gengenbacenſis immediata Benedictinorum Ortenaviæ Abbatia Imperii Epiſcopum Bambergæ pro Domino directo, Epiſcopum Argentinenſem pro Diœceſano, Marchionem Badenſem pro Advocato agnoſcit.

Schwarzacenſis Ortenavica quoque ejusdem Regulæ Abbatia directo Epiſcopi Spirenſis dominio ſubeſt. Advocatum habet Marchionem Badenſem; Diœceſi Argentinenſi addicta.

(*x*) Curtes in Sirenz, Lauffen, Oltingen & Filnacker.

Digitized by Google

Digitized by Google

G E N E A L O G I A

B

BERTOLDUS III. Dux Zaring. condit Friburgu

BERTOLDUS IV. Dux Zaring. & Rector Burgun
† 1186.

CONRADUS I. Dux de Tecke 1232.

LUDOVICUS I. Dux Tecc. 1249. et 1258.

LUDOVICUS II. Dux de Tecke 1278. † 1283.

LUDOVICUS III. Dux 1279. † ante 1295. Ux. Luitgardis Marchioniſſa Burgoviae.

HERMANNUS I. Dux 1295. et 1302.

LUDOVICUS IV. Dux 1328. Judex Curiae Imp. 1346.

HERMA
1343.

CONRADUS III. Dux nat. 1361. † poſt 1381.

FRIDERICUS III. Dux 1385.

ULRICUS 1409. † 1432. Ux. Anna, Caſimiri Ducis Polon. filia.

Epiſcopo Ortliebo tradidit; qui acceptis illis omni juri, quod Eccleſiæ ejus à Conradi II. Imp. tempore in Blaſianos competierat, renuntiavit. *Conradus Dux ejusque filius Bertholdus* Inſtrumentum tranſactionis ſignarunt. (*y*) Zaringiæ Duces ad extinctam usque gentem Advocatiam retinuerunt. In Charta tabularii Blaſiani A. 1232. ſuper *Suſinberc* Hermannus Badenſis promiſit, quod a Blaſianis in Brisgovia Curtibus exacturus ſit nihil, *præter ſervitium temporibus Bertoldi Ducis ſolitum*, ubi intelligitur Bertoldus, Zaringorum poſtremus; quatuordecim annis ante defunctus. (*z*)

§. V.

Anno 1126. Argentinæ Lotharii II. Imp. Diplomatibus, die 2. Jan. ſcriptis, alios inter Proceres ſubſcripſit *Chuonradus, filius Ducis Bertholdi*, & cum eo *Hermannus Marchio.* (*a*) Burgund. Comitat.

Memorabilis hic annus eſt morte Guilielmi III. cognomento *Pueri*, qui Burgundiæ Comes, apud Paterniacum, Trans - Juranæ oppidum, occiſus, & in Monaſterio ibidem ſepultus eſt; nec prolem, nec fratrem relinquens. (*b*) Guilielmus iſte, præter Burgundiæ

(*y*) Herrg. A. 1141.

(*z*) Cod. noſter Dipl. ad A. 1132.

(*a*) Herrg. l. c. Num. 205. & 206.

(*b*) Albericus, Trium Fontium Abbas, in *Chron.* ad. A. 1027.

Digitized by Google

Comitatum, etiam Aventicenſem tractum, Uchtlandiam & alias in Helvetia Burgundica terras poſſederat; adeoque cis & trans Juram, in Burgundia majore & minore, excepto Ducatu, dominatus eſt. Comitatum Rainaldus III. patruelis ejus, Matisconenſis & Cabilloni Comes, ut proximus heres, occupavit.

Genealogicum Burgundicæ hujus gentis ſubjungimus ſtemma, (c) quod rebus his lucem affundit.

Otto Guilielmus † 1027.

Rainaldus I. † 1057.

Guilielmus II. Audax, Comes Burgundiæ, Viennæ, Matisconis † 1087.

Rainaldus II. obiit in itinere Hieroſolym. 1097. Vx. ignota.	Stephanus Audax abſente ac mortuo fratre terras Burgund. regit. † 1102. Vx. Agnes, ſoror Conradi Ducis Zaring. filia Bertoldi II.	Guido Archiepiſcopus Viennenſis 1088. poſtea Papa Calixtus II.

Rainaldus III. Comes Burg. 1126. à Lothario II. Imp. proſcriptus † 1144.	Guilielmus Vienn. & Matisconenſis Comes.	Guilielmus III. Puer relictum a patre Comitatum Burgundiæ retinet, excluſis patruelibus, A. 1126. occiſus, & Paterniaci ſepult. improlis.

Beatrix, Friderico I. Imp. nupta A. 1156.	Gerhardus.	

(c) Du Chesne *Hiſt. des Comtes de Bourgogne* Lib. IV. Cap. XVI. ſeqq. Similia fere habet Chorier *Hiſt. de Dauphiné* Tom. I. pag. 820.

Digitized by Google

§. VI.

Ex norma ſtemmatis hujus terrarum, a Guilielmo Puero relictarum, Rainaldus III. patruelis ejus, legitimus reputandus eſt heres. Rainaldo III. ereptus.

Hic autem ſupremo jure terras iſtas recturus, Lotharii II. Imp. auctoritatem agnoſcere quum noluiſſet, indignationem ejus incurrit. Burgundiæ Comites Salicis obediverunt Germaniæ Cæſaribus, quod Conradus II. ſator eorum, Giſelam, Rudolphi III. ultimi Burgundiæ Regis, ex ſorore neptem duxerat uxorem. At Henricus V. Imp. Salicorum poſtremus, cum deceſſiſſet, Lotharius Saxo in ejus locum electus eſt, Salicis nullo ſanguinis vinculo junctus; cui obſequium denegavit Rainaldus, Burgundiæ cum Imperio nexum cum Cæſaribus Salicis cauſatus extinctum. Lotharius vero Burgundiam cis & trans Juram Imperii patrimonium declarans, Rainaldum A. 1127. ad Comitia Spirenſia, quibus plerique Burgundiæ Optimates intererant, vocavit, Procerum ut ibi ſubiret judicium. Tum vero Rainaldus, omnimodam libertatem pertinaciter affectans, ab Imperatore proſcriptus eſt; (*d*) eaque Burgundiæ pars, quam Guilielmus

O 2

(*d*) Otto Frising. Frid. I. Imp. patruus, qui biennio poſt nuptias Beatricis cum Friderico I. obiit, Imperatoris ſocerum excuſaturus, cauſam iræ

Puer poſſederat, Zaringiæ Duci noſtro fuit adjudicata Conrado.

§. VII.

Conrado Zaring. traditus.

Cæſar hoc judicium tulit non tantum quod Conradus noſter fuerat avunculus defuncti, ſed & animum ei gratum ut

Lotharii Imp. in Rainaldum allegat L. II. Cap. XXIX. quod *neglexerit Curias Regis adire.* Sed verior eſt, quam tradit GUNTHERUS in *Ligurino* L. V. v. 290. affectatio ſupTematus, quem in Burgundiæ Comitatu ſibi arrogavit Rainaldus. Ita enim canit:

„ Jure ſuo nimium & claro ſanguine fretus
„ Teutonicos Reges edictaque ſæpe vocatus
„ Sprevit, & Allobroges aliis ſub Regibus eſſe,
„ Indignum reputans, nimium memor ille vetuſtæ
„ Libertatis erat, Regemque ſuperbus agebat.
„ Donec ob innumeros faſtus ſententia tandem
„ Ultrices in eum depromſit regia vires,
„ Ereptamque viro regni ſub judice terram
„ Nomine Chunrado Fiſci conceſſit habendam.

Fiſco itaque addictus fuit a Cæſare Comitatus Burgundiæ, ſed cum primo ejusdem Lotharii Imp. anno in Ratisbonenſibus Comitiis teſte DODECHINO in *App. ad Marianum Scotum* A. 1125. decretum fuerit, prædia proſcriptorum a Rege, „ ſi juſte forifactoribus abjudicata „ fuerint, Regiminis ſubjacere ditioni, non Regis proprietati „ Lotharius Comitatum Burgundiæ non ſibi, vel ſuæ Domui ſervavit, ſed proximo cognato addixit, quod proximus agnatus eo ſe indignum reddiderat. De Guilielmi Pueri matre Agnete GUILLIMANNUS de *Reb. Helvet.* Lib. II. Cap. XIV. pag. 282

demonſtraret, quod partes Lotharii contra Hohenſtaufios æmulos, Alemanniæ & Franciæ Teutonicæ Duces, maſcule defenderat.

Acceſſit, quod ipſe Conradus in Helvetia Alemannica, Burgundiæ contigua, Advocatus Cæſareus Tiguri jam fuerat, Rheinfeldenſem Comitatum, Burgundico Regno vicinum, jure quoque tenens materno.

Sed & ipſius Burgundici atque Arelatenſis Regnorum, quæ jam pridem in unum coaluerant, adminiſtratio Principi committenda fuit, cujus fides in Cæſarem certa; qui Guelphicis partibus addictus, tam inſignem Rectoratum Principi Gibellino committere non tutum exiſtimaverat.

Univerſo itaque Burgundico Regno, ad Mediterraneum usque Mare extenſo, Conradus noſter præfectus eſt Rector. (e) Regnum hoc Ducatui Suevico, quem Fridericus Hohenſtaufius, Cæſaris æmulus, tum regebat, contiguum fuit. Illa ſuperioris Alſatiæ portio, quæ Sundgovia dicitur, pars quoque Regni Burgundici tum erat. Phirretenſem Comitatum præſertim

(e) DODECHINUS *Append. ad Marian. Scotum* Anno 1127. ſcribit: „Conradus „ de Zeringa coram plerisque Burgundionum optimatibus, *Principatu* „ *Burgundiæ* apud Spiram Civitatem ſublimatus. „

intelligo; Agro Baſilienſi confinem. (*f*) Baſilea enim pars Regni Burgundiæ fuerat, ut WIPPO (*g*) nos docet.

§. VIII.

Traditionis hujus annus.

Inſtitutio hæc Rectoratus Burgundiæ in Comitiis Spirenſibus a Lothario Imp. facta eſt A. 1027. referente Dodechino. Norbertus in Comitiis his electus fuit Magdeburgenſis Epiſcopus; ut Anonymus Præmonſtratenſis coætaneus (*h*) & Codex antiquus Saxonicus (*i*) teſtantur. Cum autem Norbertus in Magdeburgenſi ſede A. 1126. ſucceſſerit Rukero, nonnulli exiſtimant, (*l*) Dodechinum in definiendo tempore Spirenſis Conventus, metachronismo unius anni peccaſſe.

§. IX.

Rectoratus Burgundiæ vindicatus armis

Armis ergo apud Burgundos certatum. Reginaldus, poſt acre cum Conrado bellum, captus, Argentinam ad Comitia

(*f*) Vid. *Alſatia Illuſtr.* Tom. II. pag. 5.

(*g*) Apud PISTOR. Tom. III. *Script. Rer. Germ.* p. 470. Errat tamen Wippo, ubi dicit, Baſileam in confinio triviali Burgundiæ, Alemanniæ & Franciæ Orientalis tum ſitam fuiſſe. De prioribus duabus nullum eſt dubium, ſed a Francia longe fuit remota Baſilea.

(*h*) In vita S. Norberti apud HENSCHEN *Acta Sanctor.* Jun. Tom I. pag. 849.

(*i*) Vid. nota ad vitam Norberti.

(*l*) MASCOV. in *Commentar. de Lothario II.* Cap. VI. & VII.

Imperii ductus, a Principibus, indolem ejus mirantibus, libertate donatus, in Burgundiæ Comitatum rediit, qui ab hoc tempore Liberi Comitatus *(m)* nomine appellari videtur cœpiſſe; quod Comites majori præ aliis libertate, incolæ vero præſtantioribus juribus, quam alii Comitatenſes, fruerentur.

Rainaldi cauſſam Rerum Burgundicarum ſcriptores juſtam pronuntiant. *(n)*

OTTO FRISING. *(o)* Comitatum iſtum, ab Imperio diu alienatum, tanquam liberum & independens allodium, per Beatricem, Rainaldi filiam, ad Fridericum I. Imperatorem rediiſſe ſcribit.

Nos hæc non diſcutimus, annotaſſe contenti, quod Conradus Rectoratum Burgundici Regni non modo retinuerit, ſed & ad filium atque nepotem, id eſt, ad extinctos usque Duces Zaringos, propagaverit. Ceterum axioma *Rectoris* axiomati *Ducis* Cæſar prætuliſſe videtur, ut novus hic Burgundiæ trans Juram Rector, ab Imperio pendens, a Trans-

(m) *Franche-Comté*, Germanis *Hoch-Burgund*, *Ober-Burgund*, *Freye Graffſchaft Burgund.*

(n) DU CHESNE *Hiſt. de Bourgogne* Lib. IV. C. XX. GOLLUT *Memoires Sequanoiſes* Lib. VI. Cap. IV. VIGNIER *Chron. Burgund.* DUNOD. *Hiſt. du Comté de Bourgogne* Lib. IV. p. 169.

(o) *Chron.* Lib. V. Cap. I.

Ararico Burgundiæ Duce, Galliæ vaſallo, diſtingueretur. Burgundici tamen Rectores hi non raro quoque dicti ſunt Duces, ut alibi docui.

Conrado ergo præ patre & avo ſervata fuit gloria, ut præter *Ducis Zaringiæ* nomen, *Rectoris* quoque *Burgundiæ* dignitate ornaretur a Cæſare.

§. X.

Reliqua Conradi Ducis Zaring.

Anno 1130. Conventui, quem Lotharius II. Imp. Baſileæ celebravit, Conradus quoque noſter interfuit. In tranſactione ſuper Monaſterium Burgulum, (*p*) ab Imperatore firmata, *Chonradus Dux de Zaringen*, & poſt eum *Herimannus*, *Marchio de Baden*, memorantur. (*q*) Primum exemplum, quo Hermannus II. vel III. (*r*) Marchio nomen gentilitium *de Baden*

(*p*) *Burglen* ſec. XI. Monaſterium, dein Prioratus, hodieque a S. Blaſii Abbatia Nigræ Silvæ pendens, Baſilea VI. leucis diſtat.

Chronicon Burglenſe, a Conrado, Monacho San-Blaſiano, dein Abbate Murenſi, ſeculi XII. medio conſcriptum, qui & Actorum Murenſium auctor eſt, in lucem edidit Anno 1755. Vir ſolidæ doctrinæ, RUSTENUS HEER, Monumentorum Auſtriacorum editor, de Republica literaria præclare meritus.

(*q*) HERRG. Tom II. p. 155.

(*r*) Hermannus II. hoc ipſo anno deceſſit & Hermannus III. ſucceſſit.

Digitized by Google

Baden expreſſit; patruelium ſuorum, Bertoldi III. & Conradi, Zaringiæ Ducum, imitatus exempla; quorum prior in Charta fundationis Friburgi An. 1120. alter in literis An. 1123. uti vidimus, Ducum de Zaringen axiomate uſi ſunt primi.

Lotharius Imp. eodem anno Turicenſi Canonicorum Collegio eligendi Præpoſitum poteſtatem conceſſit, quod Diploma *Chuonradus Dux de Zarenche* teſtis ſignavit. (*s*)

Anno 1131. Literæ fundationis Abbatiæ Frienisbergenſis ſcriptæ fuerunt, *Ducatum Burgundiæ nobiliter regente Duce Conrado.* (*t*)

§. XI.

Anno 1133. Lotharius Imp. Interlacenſem Epiſcopatus Lauſanenſis Eccleſiam, ſub ſuam recipiens tutelam, ab omni Epiſcoporum, Ducum, Comitumve imperio immunem pronuntiavit; liberam quoque Præpoſiti & Advocati electionem ipſi concedens. Inſtrumento huic præter alios Proceres *Dux Conradus* Interlacenſia.

(*s*) Diploma ineditum tabularii Collegiatæ Turicenſis.

(*t*) Tabular. Bernenſe. Conf. WATTEVILLII *Diſſ.* in *Journal Helvetique*, menſe Sept. 1746. pag. 236. *Frienisberg*, *Frenisberg*, Lat. Aurora, Mons Auroræ, Monaſterium in ditione Bernenſium, inter Bernam & Arberg, ſitum, circa Annum 1527. ſeculo addictum eſt. LEU in Lexico Helvet. voce *Frienisberg*.

de Zæringen ſubſcripſit. (*v*) Privilegia hæc Eccleſiæ Interlacenſi A. 1146. firmavit Conradus III. Imp. atque protectionem hanc regiam ad alia nonnulla bona extendit, quæ ipſe Imperator Conradus, cum ante pertinuiſſent ad Regnum, à *Duce Conrado deliberata*, conſenſu ejus Eccleſiæ Interlacenſi donaverat.

Additur in hoc Diplomate, ut Advocatiam, intuitu horum bonorum, a *Conrado Duce retentam*, nemo ſuſcipiat, niſi cui, conſentientibus Eccleſiæ fratribus, id munus demandaretur. Ejusdem plane tenoris eſt alia Charta Confirmationis, à Friderico I. Imp. Anno 1173. huic Eccleſiæ data. (*x*)

§. XII.

Bellum cum Sueviæ Duce.

Anno 1138. Conradus, Zaringiæ Dux, qui apud Lotharium Imp. tam gratioſus fuerat, Conradi III. Imp. qui Lothario ſucceſſit, arma in ſe concitavit.

Conradum hunc Hohenſtaufenſem, Franciæ Orientalis Ducem, plerique partibus Gibellinis, (quod nomen tum ortum fuit & Staufenſi familiæ gratum) addicti Principes

(*v*) Cod. Diplom. noſter ad hunc Ann.

(*x*) Utramque Chartam vide in Cod. noſtro Diplom.

Digitized by Google

quum elegiſſent in Regem, Conradus noſter Zaringus adverſas ſecutus eſt partes. Unde a novi Regis fratre, Friderico Sueviæ Duce, (y) cujus filius deinceps Conrado III. in Imperio ſucceſſit, petitus eſt bello; quo Turicum expugnatum, Burgundia trans Juram occupata, Zaringia, Brisgoviæ arx, Zaringorum ſedes, quam initio hujus Libri deſcripſimus, capta, direpta.

Cæſari ergo ſe Conradus ſubmiſit, atque ita recepit amiſſa. Otto Frising. (z) hæc narrans, Conradum *fortiſſimum ac ditiſſimum Ducem* appellat. Bellum perbreve fuit. Eodem enim Anno 1138. Cæſareo Diplomati, quod San-Blaſiano Monaſterio fuit datum Bambergæ, *Conradus Dux Burgundiæ* poſt Fridericum, Sueviæ Ducem, qui eum armis devicerat, nomen ſubſcripſit. (a)

§. XIII.

Anno ſequenti d. 17. Febr. donationem partis villæ Oningen, ab Illuſtri viro *Chunrado Duce Ziaringin* Augienſi Monaſterio factam, Innocentius II. Papa firmavit. (b) Die Geſta Conradi ab A. 1139.

P 2

(y) Gebhardus Argent. Epiſcopus Friderico auxilia tulit. Guillimannus *de Epiſcopis Argent.* p. 232.

(z) *De Geſtis Friderici I.* Lib. I. Cap. XXVI. arcem Zeringen non nominat, ſed his indicat verbis: „Arcem (Conradi Zaringii) quandam, quæ cunctis „ adhuc cernentibus inexpugnabilis eſſe videtur, cepit & expugnavit. „

(a) Herrg. *Geneal. Habsb.* Tom. II. Num. 214.

(b) Ibidem Num. 215.

Digitized by Google

28. Maji Conradus cum filio ſuo *Bertolfo Comite*, Diploma Cæſareum, Einſidlenſi Abbatiæ in Procerum Conventu Argentinæ datum, teſtis ſignavit. (*c*) In alio Diplomate ejusdem anni audit Conradus *Dux de Ceringe:* (*d*) in alio *Conradus Dux Carintie*, (*e*) *ubi* Carinthiam pro *Ceringia* poſuit. Anno 1140. ſub finem April. *Conradus Dux de Cerengun*, Curiæ Imperiali Francofurti habitæ, (*f*) atque A. 1141 *Conradus Dux ejusque filius Bercholdus*, Comitiis Imperii, Argentorati magno Procerum numero celebratis, interfuere. (*g*)

Idem Conradus in Charta anni ſequentis *Burgundiorum Dux* ſcribitur. (*h*) Anno 1145. Otto quidam Turicenſis bona in Zollinghofen Abbatiæ S S. Felicis & Regulæ donavit, *regnante Chunrado Rege*, *Rectoribus Allamanniæ* & *Burgundiæ*

(*c*) HARTMANNI *Annales Heremi* p. 196.

(*d*) HONTHEMIUS in *Hiſt. Trevir.* Tom. I. pag. 542. Diploma hoc exhibet, at pro *Ceringe* dedit vitioſe *Coringeo.* Veram lectionem me docuit URSTISIUS in Chartulario Msc. quod tabularium Civit. Baſileenſis cuſtodit.

(*e*) Inſtrumentum de Advocatia Abbatiæ Selſenſis, Argentorati confectum, quod in Cod. Diplom. Alſatiæ prodibit.

(*f*) Teſte Diplomate apud PEZ. *Cod. Epiſtol.* P. I. pag. 331.

(*g*) Teſte Charta S. Blaſii ap. HERRG. Num. 220.

(*h*) Ibid. Num. 221. *Conradus Dux Burgund.* memoratur in literis apud HONTHEM l. c. p. 554.

Digitized by Google

Duce Conrado de Zaringen & *Advocato*, Præfecto Wernhero de Baden. (*i*)

Idem *Chounradus Dux de Zeringen* dedit S. Johanni in Burglen unam Scoupozam in villa Scalſingen. (*l*) Anno 1146. Conradus Rex Romanorum Eccleſiæ Interlacenſi (*m*) bona quædam contulit *Duce Conrado* conſentiente. (*n*) In Comitiis Francofurtenſibus Anno 1147. *Cunradus Dux de Ceringa* comparet. (*o*)

§. XIV.

Sed ad Burgundiæ Comitatus fata redeundum. Rainaldus Comes, Lothario Imp. olim infeſtus, in Conradum III. quoque non minus ſuperbus cum eſſet, hic terras ejus Conrado Zaringenſi denuo addixit. Pertinax inde bellum, tanto cum — Mors ejus

(*i*) Ex tabulario Abbatiſſano Turicenſi.

(*l*) *Chron. Burglenſe* Cap. XVII. pag. 382.

(*m*) Interlacus Monaſterium fuit Canonicorum Regular. S. Auguſtini, circa A. 1130. conditum inter Thunenſem & Brientinum Lacus. Bertoldus V. Zaringiæ Dux, Advocatiam ejus geſſit, ut noſter Conradus.
A. 1525. Monaſterium hoc ditions ſuæ Bernenſes ſeculo addixerunt. Leu *Lex. Helvet.* Tom. X. p. 560.

(*n*) Codex Diplom. noſter ad h. a.

(*o*) Lunig. *Spicileg. Eccleſ.* Part. III. pag. 91. ſq. & Contin. I. pag. 908.

Digitized by Google

ardore continuatum, ut Rainaldus atque Conradus Dux ad ſingulare certamen denique fuerint progreſſi. Neuter belli finem conſpexit.

Rainaldus A. 1148. (*p*) quadriennio poſt Conradus noſter & Cæſar extincti ſunt. (*q*) Conradus obiit Januario menſe (*r*) in Abbatia D. Petri, ubi & ipſe, ut pater fraterque, ſepultus. (*s*)

§. XV.

Uxor & liberi.

Uxor hujus Conradi Ducis Clementia, Godofredi Namurcenſis & Ermenſondis Luxemburgicæ (*t*) filia

(*p*) Necrolog. S. Pauli apud DUNOD. *Hiſt. du Comté de Bourgogne* Lib. IV. pag. 170. Rainaldus in Æde S. Stephani Veſontione ſepultus eſt. DU CHESNE *Hiſt. de Bourgogne* Lib. IV. pag. 531.

(*q*) OTTO FRISING. Lib. VII. Cap. ult. „A. 1152. Conradus Dux de Zeringen „ obiit, poſt quem etiam Conradus Rex eodem anno defunctus eſt.

(*r*) Plerique IV. Id. Jan. ponunt, nonnulli IV. Nonas. Necrologium Mur. d. 8. Jan. ponit. Vid. GUILLIMANN. *Habsb.* L. V. Cap. IV. p. 285.

(*s*) Vid. *Cathedra S. Petri in Nigra Silva* p. 248.

(*t*) Charta Bertoldi IV. apud SCHANNAT. *Vindem Liter.* pag. 163. Clementiam hanc, quæ Anno 1159. obiit, ex Comitibus Badenſibus Argoviæ ortam fuiſſe credidit PESLERUS in Diatriba de Ducibus Zaringiæ, Germanice edita, in Commentariis Periodicis *Hannoveriſche gelährte Anzeigen* Anno 1751. pag. 329. Facit hac occaſione mentionem Diplomatis Friderici I. quo Henrico Leoni, Clementiæ marito, terras quasdam in Saxonia aſſignat, atque ab eo terras in Suevia accipit; quas inter Caſtrum

fuit, (v) ex qua Bertoldum IV. Rudolphum, Adelbertum, Conradum, Hugonem filios, filiaſque Clementiam & Germanam ſuſcepit. (x) Bertoldus, primogenitus filiorum, lineam continuavit Zaringicam. *Conradus* & *Hugo* ſine liberis defuncti ſunt. (y) Adelbertum vero Ducum, Teccenſium ſatorem conſtituunt; ut in Teccenſibus infra docebitur.

Baden exſtiterat. Caſtrum hoc autem in Ergovia quærit Peslerus, quæ Burgundiæ Transjuranæ pars fuit, quum Charta Friderici Caſtrum in Suevia ſitum fuiſſe memoret.

(v) Cuno de Opſingen, miles de familia Ducis, prædium apud Bikkenſola Monaſterio S. Petri in Nigra Silva tradidit, præſente & annuente *Domina ſua Clementia Duciſſa*, adeoque poſt obitum Conradi Ducis.

Conf. Koelerus in *Familia Luxemburg.* Albericus *Chron.* ad An. 1168. pag. 349. Diploma apud Schannat. *Vindem. Liter.* Coll. I. pag. 163. habet: „Bertholdus hujus nominis quartus Ducis Conradi „ filius - - - Præterea Dom. Clementia, mater ejusdem Ducis - - in „ ſepultura mariti ſui Ducis Cunradi. „

(x) Extat Charta Monaſterii S. Petri ſine anno, qua Dux Conradus prædium apud *Zaringen* a monaſterio hoc accepiſſe, eique viciſſim *cum uxore ſua Domina Clementia & filiis ſuis Conrado & Berhtoldo* allodium apud *Amindon* (Emmendingen) donaſſe ſcribitur.

In Charta Bertoldi IV. Anno 1152. mentio fit Clementiæ, filiorum Rudolfi, Adelberti, Hugonis apud Schannat l. c. Dux Beretoldus Rector terræ Burgund. cum fratibus Adelberto & Hugone legitur Anno 1180. Conf. Herrg. Num. 144.

(y) Albericus l. c. pag. 351 Guillim. *Habsb.* L. V. C. IV. p. 285.

Digitized by Google

§. XVI.

Rudolfus filius.

Rudolphus in Arnoldi Antiſtitis Moguntini, a conjuratis occiſi, locum electus eſt A. 1160. ſed Imperator Fridericus, quod ipſi cædis auctores eum elegerant, denegavit conſenſum. (z) Octennio poſt Comitis Namurcenſis, avunculi ſui, favore Leodienſem Epiſcopatum accepit, A. 1189. defunctus. (a)

Clementia filia.

Filiam Conradi noſtri Clementiam Henricus Leo, Saxoniæ & Bavariæ Dux, Anno 1147. in Comitiis Francofurtanis duxit uxorem. (b) Sed A. 1162. Cæſare non invito, Conſtantiæ eam rurſus dimiſit; (c) ſanguinis proximitatem prætexens. (d)

Marito

(z) SERARIUS *de rebus Mogunt.* Tom. I. Lib. V. pag. 564. DODECHINI *Append. ad Marian. Scotum* Anno 1160.

(a) AEGIDIUS AUREÆ VALLIS in *Hiſt. Epiſcopor. Leod.* CHAPPEAUVILLE ſub Rudolfo; ALBERICUS ad Annum 1168. Rudolphus hic, Leodienſis Epiſcopus, caput S. Lamperti Eccleſiæ Friburgenſi donavit.

(b) HELMOLDUS in *Chron. Slavor.* Lib. I. Cap. VIII. ad Annum 1147. ſcribit: „ in diebus illis Dux noſter (Henricus Leo) adoleſcens Dominam „ Clementiam Conradi Ducis de Zeringe duxit uxorem. „

(c) *Origines Guelficæ* Tom. III. pag. 182.

(d) *Urſperg. Chron. & Weingartenſe* ad A. 1162. HELMOLDUS Lib. II. Cap. X. *Chron. Montis Sereni* A. 1163.

Digitized by Google

Marito ſuo Clementia, vel dotis loco, vel ut paternæ hereditatis partem, Caſtrum Baden, (e) centum Miniſteriales & quingentos manſos attulerat. Bona hæc Henricus Leo A. 1157. Friderico I. Imperatori tradidit, & ab eo in Saxonia alia in compenſationem accepit. (f)

Germanam vel Annam de Zeringen Humberto III. Comiti Sabaudiæ nuptam fuiſſe, & Anno 1162. mortuam, tradit GUICHENONIUS. (g) Ex matrimonio hoc prodiit *Agnes* Sabaudica, Johanni ſine Terra, (h) Henrici II. Angliæ Regis filio, Anno 1173. ampliſſimis conditionibus in matrimonium promiſſa, uti refert ROGERIUS HOVEDENUS, (i) Anglicæ **Germana filia.**

(e) *Badenweiler* hodie, adeoque Bada Brisgovica, non Uſgovica; a qua Marchiones Badenſes ſibi nomen ſumſerunt. Solide hoc probavit DILLIUS in Diatriba, erudite ſcripta, *de permutatione* hujus *Caſtri Baden*, Germanico idiomate edita Anno 1760.

(f) Inſtrumentum, Aurea Bulla munitum, ex authentico deſcriptum extat in *Origg. Guelf.* Tom. III. pag. 466. Vir Illuſtris, GODOFRIDUS DANIEL HOFFMANNUS, in Tubingenſi Academia Juris Anteceſſor, inſignis doctrinæ, in Diatriba, *Diplomatiſche Beluſtigung* &c. edita A. 1760. hoc Inſtrumentum exponit, atque pro Bada Uſgovica ſtat.

(g) *Hiſtoire de Savoye* Tom. I. pag. 239.

(h) Anglis *Lackland*, qui Anno 1216. deceſſit.

(i) *Annal. Angl.* Part. poſt. apud SAVILIUM *Scriptor. Rer. Anglicarum* pag. 532. Agnetem hanc Hovedenus *Aalays* vocat.

Q

Hiſtoriæ ſcriptor, qui ſeculo XII. vixit. Agnes Anno 1174. ante nuptias decedens, ſpem omnem patris intervertit & ſoceri.

Agnetis hujus matrem, Germanam Zaringicam, Bertoldi IV. filiam fuiſſe, Guichenonius putat. Sed temporum ratio contrariatur. Veriſimilior conjectura eſt, quæ Conradi Ducis filiam, adeoque ſororem Bertoldi IV. *Germanam* declarat.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT V.

BERTOLDUS IV.

Ab anno 1152. usque ad Annum 1186.

§. I.

Potentia Zaringicæ Gentis, ad ſummum faſtigium ſub Conrado perducta, poſtquam per triginta annos perſtitiſſet in flore, magnitudinis ſuæ partem ſub filio ejus Bertoldo IV. amiſit. Rectoratus Arelato-Burgundicus, a Baſilea ad urbem uſque Arelaten, adeoque ad Mediterraneum usque Mare, ſub Conrado ſeſe extendens, plus quam dimidia mutilatus eſt parte.

Genealogia.

Fridericus I. Imp. malis artibus uſus, omne Arelatenſe Regnum, a Burgundico primitus diſtinctum, atque deinceps eidem Regno conjunctum, Rectoratui Bertoldi IV. ſubtraxit. Diminutio A. 1156. facta eſt. Antequam ea exponatur Lectori, enarranda ſunt, quæ memorabilem hanc rerum converſionem præceſſerant.

Digitized by Google

§. II.

Bertoldus Comes.

Filius hic Conradi Ducis (*a*) in Charta Conradi III. Imp. San-Ulricianæ Cellæ (*b*) A. 1139. Argentorati data, vivo patre, appellatus eſt *Comes*: „ præſente, ait Charta, Duce Friderico, „ Regis ipſius Germano, Duce Conrado, Herimanno Marchione, „ Comitibus quoque Bertulfo, noſtri Cœnobii Advocato &c.

In notitia hac teſtium Conradum, Zaringiæ Ducem, excipit Herimannus Marchio, Badenſium tertius, cujus pater Conradi Ducis fuerat patruelis. At filius Conradi Bertulfus, qui ipſe noſter Bertoldus IV. eſt, Herimanno ſubjunctus, Comites inter primus comparet; non tam illius temporis more, quo filius, patre Duce vivente, appellatus eſt *Comes*, quam quod Comitatum Provincialem Briſgoviæ cum Advocatia San-Petrini Cœnobii filio adminiſtrandum commiſerat pater.

(*a*) Bertoldum IV. filium fuiſſe Conradi, probat Charta tranſactionis inter Eccleſiam Baſilienſem & Monaſterium S. Blaſii ſuper jure Advocatiæ a Conrado III. Imp. data Argentinæ Anno 1141. apud HERRG. Tom. II. Num. 220. Et alia Charta A. 1152. apud SCHANNAT *Vindem. Liter.* Collect. I. pag. 1. ubi legitur: „ Dux Bertholdus hujus nominis „ quartus, Ducis Cunradi filius. „

(*b*) In Nigra Silva. Exhibet hanc Chartam Libellus, cui Titulus: *Hiſtoriſche Nachricht von dem Priorat S. Ulrich* pag. 124. Prioratus hic Abbatiæ D. Petri in Silva Nigra conjunctus.

Digitized by Google

Conjecturam hanc alia ejusdem anni Charta corroborat, qua Erlewinus de Woluenwilare eccleſiam hujus loci cum duabus partibus prædii ſui ibidem D. Petro in Nigra Silva donavit. In fine Chartæ (*c*) hæc legimus: „præſente Advocato noſtro *Comite* „ Bertolſo, hoc in ſuam tuitionem quaſi proprium ſuſcipiente, ut „ ipſe vice ipſius Erlewini in majori placito, in ipſa regione „ congregato, traderet B. Petro &c.

Per *Placitum majus* heic intelligitur Landgraviale Judicium, in quo Donatio hæc ſolenni cærimonia repeti debebat, manu Comitis Bertulſi, Landgravii Briſgoviæ & Advocati San-Petrinæ Abbatiæ. Hereditariam enim hanc Advocatiam cum Tigurina, San-Blaſiana, aliisque Zaringica familia poſſedit. Hæc Bertoldus noſter, vivo patre, ut Comes.

§. III.

Sed ut Dux & Rector Burgundiæ Wormatienſibus Friderici I. Imp. Comitiis A. 1153. interfuit. (*d*) Diplomati tum Bertoldus Dux.

(*c*) Codex Diplom. ad Ann. 1159.

(*d*) Felix Faber in *Hiſt. Suev.* Lib. I. Cap. XIX. fabulatur, Fridericum I. Imp. Anno 1152. quo electus eſt, Moguntiæ celebraſſe Comitia, ac profugum ex illis, ob diſſidia Procerum, perveniſſe Zaringiam; Bertoldum ab eo tum ex Comite Ducem eſſe creatum, quod Cæſarem omni honoris cultu exceperit. Digna Felice Fabro fabella.

dato *Bertholdus Dux de Zeringen* ſubſcripſit. (*e*) In aliis vero Chartis (*f*) Bertoldus *Dux Burgundiæ* ſolet vocari.

Anno 1154. cum Friderico I. Imp. expeditionem in Italiam ſuſcepit Bertoldus, atque in memorabili illa Tortonæ urbis obſidione inſignem ei operam præſtitit. (*g*) Privilegium quoque Eccleſiæ Reicherspergenſi, ab Epiſcopo Bambergenſi, Brixiæ, hoc anno datum, inter alios Proceres *Bertoldus Dux de Zaringe* teſtis ſignavit. (*h*) Paulo poſt in Campis Roncaliis ſubſcripſit Chartæ, quam Fridericus I. Diſſentinenſi Epiſcopatus Curienſis Abbatiæ conceſſit. (*i*)

§. IV.

Burgundica.

Vt Rector Burgundiæ omne jus, quod in Civitate Viennæ ei competebat, Delphino Viennenſi, Guidoni Andreæ, Anno 1155. Bertoldus tradidit. Traditionem Cæſar firmavit. (*l*)

(*e*) SCHANNAT *Vindem. Lit.* Collect. II. pag. 115.

(*f*) In Diplomate Friderici I. Imp. pro Monaſterio S. Albani Baſil. A. 1152. & pro Altorſina Abbatia Alſatiæ A. 1153. nec non in Charta Ortliebi Epiſc. Baſil. pro S. Albani Eccleſia A. 1154. Inſtrumenta hæc in Cod. Diplom. Alſatiæ prodibunt.

(*g*) GUNTHER. in *Ligurino* L. II. v. 411. ſq. 650. ſq.

(*h*) Diploma extat in *Chronico Reichersperg.* ad A. 1154. apud LUDEWIG *Script. Rer. Bamberg.* Vol. II.


(*i*) LANG *Grundriß der Schweizeriſchen Kirchenhiſtorie* Tom. I. pag. 448. ſq.

(*l*) CHORIER *Hiſt. de Dauphiné* Lib. XI. pag. 821.

Digitized by Google


…toldi IV.

…Brisacensis.



…Inscriptionis.

…ur, a quo pro fraude Burgundia depopulatur.



BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Ab hoc tempore Delphini, Comitivæ illius urbis participes facti, unum ex Palatiis Burgundiæ Regum occuparunt Viennæ; partemque adeo jurisdictionis una cum Archiepiſcopo exercuerunt; qui jam A. 1088. partem a Stephano, Burgundiæ Comite, fratre ſuo, pro octies mille ſolidis emerat.

In Comitatu Burgundiæ vero Bertoldus noſter acceptum a patre bellum, contra Rainaldi filiam & heredem *Beatricem*, continuavit. (*m*) Teſtimonium rei ſervat turris quadrangularis Briſaci, tunc temporis ab eo exſtructa, ubi epigraphe hæc ſupereſt:

„ Hanc Dux Berchtoldus portam ſtruxiſſe notatur,
„ A quo pro fraude Burgundia depopulatur.

§. V.

Quum autem Anno 1156. Cæſar Herbipoli Beatricem duxiſſet uxorem, cum Bertoldo noſtro ita tranſegit, ut ea Burgundiæ Comitatum retineret, Burgundia Transjurana vero penes Bertoldum maneret; quidquid autem in veteri Arelatenſi Regno, proprie olim ita dicto, Bertoldus Imperii nomine huc uſque tenuerat, id omne reſtitueretur Imperio. Ita non modo Comitatus

Transactio cum Friderico Imp.

(*m*) LAUFFER in *Hiſt. Helvet.* Part. II. Lib. X. pag. 342. bellum hoc A. 1152. contra Rainaldum continuatum fuiſſe ſcribit, qui Anno 1148. jam deceſſerat.

Burgundiæ, ſed & Arelatenſis Regni, quod olim *Provinciale* vocabatur, Rectoratum Bertoldus amiſit. In compenſationem tres civitates ei a Cæſare traditas fuiſſe, OTTO FRISINGENSIS (*n*) nos docet; ſed ex illis non niſi Lauſannam & Gebennam (*o*) nominat. Tertiam, quæ Sedunum eſt, ex ejus Continuatore, OTTONE DE S. BLASIO, (*p*) ſupplemus; qui ad Ann. 1167. ita ſcribit: Fridericus I. Imp. „ Burgundiam ingreſſus terram „ ſoceri ſui, Reginaldi Comitis, qui jam obierat, in ditionem „ ſuam redegit, ac Regnum Burgundiæ cum Archiſolio Arelatenſi, „ quod Duces de Zeringen, quamvis ſine fructu, tantum honore „ nominis, jure beneficii, ab Imperio jam tenuerant, a Bertolfo „ Duce extorſit: præſtitis ſibi trium Epiſcopatuum Advocatia, „ cum inveſtitura regalium, ſcil. Lauſanenſis, Genevenſis, „ Sedunenſis.

§. VI.

Trans-actionis annus.

Transactionem ad Ann. 1156. collocamus, quo Beatricem Cæſar duxit uxorem. (*q*) OTTO FRISING. qui biennio poſt obiit

(*n*) *De rebus geſtis Friderici I. Imp.* Lib. II. Cap. XXIX. *Provinciam* tranſactione hac ad Imperatorem perveniſſe, diſerte ibidem ſcribit.

(*o*) Genevam ſec. XI. cœperunt appellare Gebennam. VALESII *Notitia Galliar.* pag. 229.

(*p*) Cap. XXI.

(*q*) DODECHINUS *Append. ad Marianum Scotum* ad A. 1156. apud PISTOR. Tom. I. pag. 677.

Digitized by Google

obiit, (*r*) rem nuper geſtam eſſe obſervat. (*s*) GUNTHERUS (*t*) transactionem vivo Rainaldo Comite factam in *Ligurino* ſuo canit. (*u*) Rainaldus autem Anno 1148. ſuperſtite Conrado III. Imp. & Conrado Zaringio jam e vivis exceſſerat. (*x*) GOLLUTIUM (*y*) qui ad Ann. 1168. hanc epocham poſuit, ut & BUNAVIUM (*z*) aliosque, (*a*) qui ad A. 1169. transactionem

(*r*) RADEVICUS de *Geſtis Frid. I. Imp.* L. II. Cap. II.

(*s*) OTTO FRISING. de *Geſtis Friderici I. Imp.* Lib. II. Cap. XXIX. NIC. VIGNIER. in *Chron. Burgund.* ad Ann. 1156. & *Bibliotheque hiſtor.* Part. III. p. 120. eundem tranſactionis annum aſſumſit.

(*t*) *Ligurini* Lib. V. p. 306. ſqq. ubi:
„ Has inimicitias tandem ſub tempore noſtro
„ Regia ſopivit tali ſollertia pacto:
„ Scilicet ut geminas illis in finibus urbes,
„ Lauſannam gelidaque ſitas in rube Gebennas
„ Bertoldus regeret, reliquas Reinaldus haberet.

(*u*) Manifeſtus eſt error PESLERI in *Hiſtoriſcher Nachricht der Herzogen von Zæhringen* (*Hannoveriſche gelehrte Angzeig.* de Anno 1751.) pag. 326. ubi tranſactionem Zaringorum cum Beatrice Burgundica & Friderico I. Imp. ad Conradi Ducis tempora refert, quem tamen A. 1152. jam obiiſſe tradit.

(*x*) Vid. ſupra in Conrado Zaringio §. XIV. pag. 118.

(*y*) *Memoires des Bourguignons de la Franche Comté* Lib. VI. Cap. XII.

(*z*) *Hiſtor. Frid. I.* pag. 210.

(*a*) STUMPF. *Chron Helvet.* Lib. VIII. Cap. XXIII. fol. 594.

Digitized by Google

hanc rejecerunt, Ottonis Friſingenſis continuator, OTTO DE S. BLASIO, ſeduxiſſe videtur, qui ad Ann. 1167. (*b*) hiſtoriam transactionis exponit. At ſcriptor ille, Burgundica uno intuitu ut ſiſteret lectori; ea, quæ diu ante contigerant, cum rebus poſtea geſtis conjunxit.

Enimvero transactionem hanc ante A. 1158. fuiſſe initam, probat Charta Henrici Arg. Epiſcopi Anno 1174. (*c*) in qua, vivo Amadeo, Lauſannenſi Epiſcopo, res dicitur transacta. De anno mortis Amadei diſſentiunt quidem ſcriptores. At omnes vel Anno 1155. vel 1158. eum obiiſſe tradunt. Anno 1157. eum vixiſſe, teſtis eſt Charta Bertoldi IV. Monaſterio Altæ Ripæ (*d*) hoc anno data, cui inter alios Amadeus ſubſcripſit. Itaque transactio illa neceſſario ante Ann. 1158. facta eſt, quo Amadeus, in cujus fraudem inter Fridericum Imp. & Bertoldum fuit inita, jam fuerat mortuus.

§. VII.

Transactionis ratio.

Ita Annus 1156. qui ob reſtitutam Henrico Leoni Bavariam; ob Auſtriam ex Marchionatu Bavarico in Ducatum converſam; ob Pacem publicam Germaniæ redditam, in Germanorum

(*b*) Cap. XXXI.

(*c*) Ex RUCHAT *Hiſtoria Vaudi* Msct.

(*d*) Tabular. Monaſt. Altæ Ripæ, *Haute Rive.*

Annalibus tam celebris eſt, Burgundici quoque Regni quietem, per ſex luſtra turbatam, magno cum Zaringicæ Domus detrimento & Hohenſtauſicæ augmento reduxit. Transactione hac Burgundia Helvetica cum Lauſanna, cum Geneva & Seduno Valleſiæ, in peculiari poteſtate Bertoldi manere debuerant. Advocatia Turicenſis, quam Bertoldus quoque retinuit, non cum Burgundiæ Regno, ſed jam ante, ob conceſſum Hohenſtauſiis Sueviæ Ducatum, a Ducatu avulſa ad Bertoldum II. pervenerat. (*e*) Cæſar Guelficarum partium, adeoque & Ducum Zaringiæ hoſtis, rebus ſuis conveniens eſſe credidit, ut eorum opes minuerentur; quod ablato illis Arelatenſis Regni Rectoratu obtinuit.

Cum ergo Viennenſis & Lugdunenſis Archiepiſcopi, ut & Valentiæ & Avenionis Epiſcopi, ceterique Arelatenſis Regni Proceres A. 1156. Friderico I. Imp. præſtitiſſent homagium, (*f*) anno ſequenti Eraclium, Lugduni antiſtitem, de omnibus Regalibus & jurisdictione ſeculari in urbem Lugdunenſem Cæſar inveſtivit, eumque Arelatenſis Regni conſtituit *Exarchum.* (*g*) Archi-

(*e*) Errat STETTLERUS *Chron. Uchtland.* Lib. I. pag. 3. ubi tradit, Bertoldum IV. præter tres Epiſcopatus obtinuiſſe quoque Advocatiam Turicenſem, quam obtinuerat jam Bertuldus II.

(*f*) RADEVICUS Lib. I. Cap. XI.

(*g*) Inſtrumentum extat in PARADIN. *Hiſt. de Lyon* Lib. II. Cap. XXXV. add. JAC. SERVETII *Chronologia hiſtorica Antiſtitum Lugdunenſium* Part. I. pag. 79.

Digitized by Google

Cancellariatum vero ejusdem Regni eodem A. 1157. Diplomate Biſcentii ſcripto, Archiepiſcopo Viennenſi in perpetuum conceſſit,(*h*) ipſo Bertoldo IV. præſente, & ſubſcribente Diplomati, quem ab hoc tempore titulum *Burgundiæ Ducis* ſumſiſſe GOLLUTIUS (*i*) exiſtimat. Sed male exiſtimat; quum ſuperioribus annis eo jam fuerit uſus. A. 1158. cum titulo *Burgundiæ Ducis* in Diplomate Friderici I. pro Abbatia S. Cyriaci in Altorff Bertoldus occurrit; (*l*) ſed in Charta Anni 1169. (*m*) ipſe ita loquitur: *Ego Bertolſus Dux & Rector Burgundiæ.*

§. VIII.

Ortæ hinc lites Genevæ.

Jura autem in Lauſannæ, Genevæ atque Seduni Epiſcopatus Bertoldo ab Imperatore conceſſa, ita erant comparata, ut in omnibus eorum terris, poteſtatem, non ut Vicarius vel Rector, ſed proprio ſuperioritatis territorii, quod vocant, jure exerceret Bertoldus, atque adeo de Regalibus inveſtiret Epiſcopos.

Horum acerbæ mox ubique perſonuerunt querimoniæ; qui Eccleſias ſuas non alium, quam Cæſarem, agnoſcere Principem

(*h*) JOHANNIS A BOSIO *Antiquitates Viennæ* pag. 87. quæ annexæ ſunt ejusdem Bibliothecæ Floriacenſi.

(*i*) Lib. VI. Cap. V.

(*l*) HERRG. Tom. II. Num. 250.

(*m*) De qua nobis ſermo erit infra §. XVI.

uno omnes ore profeſſi ſunt. Ardutius Genevenſis præ ceteris commotus eſt, quod Bertoldus Advocatiam, a Cæſare ſibi traditam, in hoſtem ejus Amadeum, Comitem Genevenſem, transtulerat. De temporali enim jurisdictione in Genevam, & in ipſas Epiſcopi terras, inter Epiſcopum & Comitem a longo jam tempore fuit acre certamen. At iſta poteſtatis Cæſareæ in Bertoldum, & a Bertoldo in Comitem, translatione Comes victor evaſit. Itaque non modo apud Metropolitanum ſuum, Taranteſienſem Archiepiſcopum, ſed & apud Lugdunenſem, Viennenſem, aliosque ſacrorum Antiſtites de violatis Eccleſiæ ſuæ juribus contra Comitem Genevenſem, contra Ducem Bertoldum, & denique contra ipſum Imperatorem conqueſtus eſt Genevenſis Epiſcopus. Cæſar ad Epiſcoporum inſtantiam ſolenne Procerum Germaniæ & Regni Arelatenſis judicium, apud Pontem Laonis, (*n*) ſuper Ararim, in Comitatu Burgundiæ, Anno 1162. celebravit. Ardutium pro Principe Civitatis Genevæ, ſuburbiorum & caſtrorum Epiſcopatus, Cæſare non repugnante, declaravit Conſeſſus; ita quidem, ut nullo unquam tempore medius inter Epiſcopum Genevenſem & Cæſarem exiſtere poſſit. Hic in Aurea Bulla (*o*) eo ipſo Anno 1162. data,

(*n*) *S. Jean de Lône* in Archiepiſcopatu Veſontino.

(*o*) Auream Bullam Friderici I. A. 1162. datam, aliaque Documenta, quæ huc ſpectant, dedit SPON. *Hiſt. de Geneve* Tom. II. pag. 24. ſqq. Item *Le Citadin de Geneve* pag. 155.

Ardutium appellat *Vicarium noſtrum*, atque Diploma, quo hæc jura Bertoldo conceſſerat, alio antiquavit Diplomate. (*p*)

§. IX.

Lauſannæ.

In omni hoc negotio bonam Cæſaris fidem multi mecum deſiderabunt.

Enimvero non minores in Lauſannenſi & Sedunenſi Epiſcopatibus, quam in Genevenſi, exorti ſunt motus.

Amadeus quidem, Lauſannæ Antiſtes, ſolenni jurejurando, (*q*) quod ei præſtitit Bertoldus, Eccleſiæ ſuæ libertatibus utcunque proſpexit. At ſucceſſor Landericus, qui ad Pontificem Romanum provocaverat, & provocationem (*r*) urſurus iter Romam ſuſceperat, in itinere ab emiſſariis Imperatoris circa Ann. 1158. captus eſt. Dimiſſus Epiſcopatum depoſuit, poteſtatem, quam Bertoldo IV. dederat Cæſar, indignatus conſtanter. (*s*) Rogerius ſucceſſor Anno 1174. in Procerum Conventu, ut deceſſores, de Cæſare queſtus eſt, quod ille Regalia Lauſannenſis Eccleſiæ, quæ

(*p*) Spon. pag. 30.

(*q*) Juramenti formula legitur in Chartulario Ms. Lauſannenſis Eccleſiæ Fol. 98. Vide Probationes.

(*r*) Provocatio hæc reſpexiſſe videtur Præfecturam Lauſannenſis Eccleſiæ, a Cæſare in Bertoldum translatam.

(*s*) Stumpf. *Chron. Helvet.* Lib. VIII. fol. 594.

Digitized by Google

penes Cæſarem erant, *Bertoldo* tradidiſſet. Conſeſſus, cui Henricus Argent. Epiſcopus præſedit, reſtituenda eſſe huic Eccleſiæ priſtina jura judicavit; expectandum tamen, antequam res decideretur, Bertoldi adventum. (*t*)

Ex Alexandri III. Bulla A. 1178. ad Rogerium, Lauſannenſem Epiſcopum, data, cognoſcimus, in Advocatiæ Lauſannenſis Eccleſiæ poſſeſſione manſiſſe Bertoldum, ita tamen, ut libertati ejus proſpexerit jurejurando, cujus formulam idem Pontifex eadem Bulla probavit. (*u*) Nihilominus lites cum Lauſannenſi Epiſcopo ſub Bertoldo V. ad extinctionem usque Zaringicæ gentis, durarunt. Tum vero Lauſannenſis Antiſtes, Advocatiam ad ſe devolutam eſſe arbitratus, ſolenni Charta (*x*) proſpexit, ne ea in poſterum transferretur in alium.

§. X.

Nec meliora Bertoldus IV. in Sedunenſi Epiſcopatu expertus eſt fata; a Valleſiis, Epiſcopo Sedunenſi ſubjectis, ubi jura ſua exercere voluerat, Anno 1180. armis repulſus. (*y*) Hereditarium hoc bellum filio pater reliquit. Bertoldus V. enim Seduni.

(*t*) Sententiam Henrici Epiſcopi Argent. A. 1174. vid. in Cod. Diplom.

(*u*) Bullam datam Anagniæ exhibet Codex Diplom.

(*x*) Data A. 1219. in Veſtibulo Lauſannenſi. Chartular. Lauſann. Mst.

(*y*) Simlerus in *Valleſia* pag. 134.

Digitized by Google

Anno 1211. cum imperium ejus recuſarent Valleſii, exercitu valido, ex Transjuranis & Helvetiis collecto, per Grimſulam (z) montem in Valleſiam deſcendere decreverat. Valleſii a Transjuranis, qui & ipſi Bertoldo infeſti erant, de Rectoris conſilio moniti, advenientem cum exercitu magna clade ſtraverunt. (a) Epiſcopus Seduni tum fuerat Verinus. Hæc de Bertoldina tranſactione infelici Anno 1156. cum Cæſare. Redimus in orbitam.

§. XI.

Bertoldi Acta varia.

Bertoldus IV. *Dux & Rector Burgundiæ* Anno 1157. Monaſterium Ciſtercienſe Altæ Ripæ a pedagiis & teloniis per *totam terram* & dominium ſuum liberavit. Amadeus, Lauſannenſis Epiſcopus, Chartam inter teſtes ſignavit. (b)

Bertoldus in Italiam Imperatorem ſecutus, (c) in Mediolanenſi obſidione, fractis Mediolanenſium viribus, cum Henrico Leone & Friderico, Conradi Imp. defuncti filio, conciliatoris partes

(z) Grimſula, unus ex altiſſimis Alpium Lepontiarum montibus, in tractu Bernenſium Hasli, ubi ad Valleſios tranſitus.

(a) SIMLERUS loc. alleg. pag. 135.

(b) Ex Chartulario Monaſterii Altæ Ripæ.

(c) RADEVICUS de *Geſtis Friderici I.* Lib. I. Cap. XXV. GUNTHERUS in *Ligurino* Lib. VII. v. 228

partes ſuſcepit. (*d*) Compoſito Mediolanenſi bello, dimiſſus ab Imperatore Bertoldus in Germaniam revertit. (*e*) Sed rediit anno ſequenti; motibus novis Mediolani exortis, & memorabili Cremonæ urbis obſidioni, quæ capta & flammis conſumta eſt, interfuit. (*f*) Mediolanenſes, Papienſium victores, redituros in urbem, Bertoldus cum Imperatore ex inſidiis prorumpens, magna ſtrage affecit. Vexillum ſuum Bertoldo commiſerat Cæſar. (*g*)

Anno 1160. Bertoldus *Dei gratia Dux & Rector Burgundiæ* literas protectionis Abbatiæ Altæ Criſtæ, Ord. Ciſtercienſis in Epiſcopatu Lauſannenſi, conceſſit. (*h*)

§. XII.

Eodem hoc anno Bertoldi noſtri frater Rudolphus, poſt Archiepiſcopi cædem, Moguntinæ ſedis fuit creatus Antiſtes. Imperator Fridericus I. ſpreto Rudolpho, Conradum, Ottonis Wittelsbacenſis fratrem, Archiepiſcopum conſtituit. (*i*) Bertoldus Rudolphi fratris.

(*d*) OTTO DE S. BLASIO Cap. II.

(*e*) RADEVICUS Lib. I. Cap. II.

(*f*) *Urſperg. Chron.* pag. 219. ſeq.

(*g*) OTTO DE MORENA; *Urſperg. Chron.* l. cit.

(*h*) *Hautcrest*, vulgo *Ocreſt*, *Ocré*, duabus leucis à *Vevay*, Germ. *Vivis*; Monaſterium deſtructum.

(*i* Rem, prout geſta eſt, narrat DODECHINUS in *Append. ad Marian.*

dignitatem ut fratri ſervaret, ad Ludovicum VII. Galliæ Regem ſeſe convertit, eique auxilia adverſus Cæſarem obtulit; qui graves tum inimicitias cum Rege alebat, jam jam erupturas in bellum; quod Ludovicus, Victore, cui Cæſar adhærebat, relicto, Alexandri III. Pontificis partes fuerat amplexus. (*l*)

Extant literæ (*m*) Bertoldi, ad Ludovicum Regem perſcriptæ, in quibus Rudolphum, fratrem ſuum, literarum latorem, Regi commendat, ut ejus & Alexandri Pont. auctoritate, Moguntinæ Eccleſiæ, quam ei ex peculiari in Zaringos odio eripuiſſet Cæſar, reſtitueretur. Sed Conradus Wittelsbac. in

Scot. ad Ann. 1160. 1161. 1162. Anno hoc Imp. in ſuperiore agens Italia, adhibitis Eccleſiæ Moguntinæ primoribus Conradum Antiſtitem nominavit, rejecto Rudolpho, poſthabito quoque Chriſtiano, quem jam ante Archiepiſcopum deſignaverat. At bienuio poſt, quum in partes Alexandri Pont. tranſiiſſet Conradus, ſede ſua ab Imp. pulſus & Moguntina Eccleſia Chriſtiano commendata eſt.

(*l*) Ludovicus VII. Galliæ Rex Conventui, ſuper Ararim fluvium pro confirmando Victore Anno 1162. indicto, ſe interfuturum promiſerat, ſed re infecta diſcedens, iram Imperatoris in ſe provocavit. Cf. Epiſtolæ Frid. I. Imp. apud FREHER. Tom. I. pag. 420. ſqq. ROBERTUS DE MONTE ad A. 1163. GODEFRIDUS COLON. ad Ann. 1162. HELMOLDUS *Chron. Slavor.* Lib. I. Cap. XC.

(*m*) Literas has exhibet DU CHESNE Tom. IV. Epiſtolar. Num. 377. & FREHERUS Tom. I. pag. 427.

Digitized by Google

ſede Moguntina a Friderico I. Imp. Anno 1162. conſtitutus & firmatus eſt. (*n*)

§. XIII.

Anno 1161. Heſſo Abbas ex Frienisbergenſi Burgundiæ Helvet. (*o*) Monaſterio progreſſus, XII. monachorum Ord. Ciſterc. coloniam in locum Brisgoviæ, Hachbergæ Caſtro vicinum, deduxit, auſpice Bertoldo IV. cui apud Helvetios verſanti novus hic Ciſtercienſium placuerat Ordo. Colonia deducta eſt in vallem, quam rivus *Tennebach* perluit, unde Monaſterio nomen. Tennebac. Monaſter.

Enimvero jam aliquot ante annos nobilis vir, Cuno de Horwin, (*p*) fundum illum cum adjacentibus prædiis vendiderat monachis pro triginta marcis & mulo; in præſentia *Ducis Berhtoldi, ipſo mediante & ſigillo ſuo confirmante;* ut notitia illius ævi, in tabulario Tennebacenſi ſuperſtes, nos docet. Traditio autem fundi facta eſt monachis *coram Marchione Hermanno in Caſtro Hachberc* Anno 1161. quo notitia illa ſcripta eſt, cui Bertoldus Dux, Rector Burgundiæ, ſuum quoque ſigillum

(*n*) Serarius de *Reb. Mogunt.* Lib. V. pag. 564.

(*o*) Frienisberg, Mons Auroræ, inter Bernam & Arbergam, Monaſterium pridem extinctum.

(*p*) Walterus de Horwen Chartæ S. Petri in Nigra Silva Anno 1112. teſtis apud Schannat. *Vindem. Liter.* Collect. I. pag. 160.

Digitized by Google

appendit. Ita vetus traditio, quæ cœnobii Tennebac. initium ad Annum 1158. ponit, (q) conciliatur cum Charta. Vetus Eccleſia, tum exſtructa, adhuc ſupereſt; at Monaſterium Anno 1726. a fundamentis excitatum eſt novum.

§. XIV.

Bellum Tubing.

Anno 1164. cum inter Welfonem Bavarum & Hugonem, Palatinum Tubingenſem, exoriretur bellum, Bertoldus cum inſigni militum manu Welfoni ſuppetias tulit. Commiſſum eſt acre ad Tubingam prœlium, in quo Palatinus, multis hoſtium captis, victor diſceſſit. Indignatus clade filii Welfo pater, collectis undique copiis Bertoldo ſeſe junxit, atque omnes Palatini ditiones ferro & igne delevit. In reditu tamen a Friderico Duce, cum Bohemicis ſuperveniente militibus, cladem accepit. Imperator, re audita, ex Italia, ubi tum erat, in Germaniam reverſus, Ulmæ A. 1166. Comitia habuit, in quibus Bertoldus quoque cum Henrico & Welfone, Bavariæ Ducibus, comparuit. Ibi cauſa cum Principibus deliberata, Cæſar Tubingenſi Palatino injunxit, ut injuriam,

(q) Tennebaci ad introitum periſtylil hæc lecta fuit inſcriptio:
„ Anno ab incarnat. Dom. 1158. ad laudem Dei omnipot. ac beatiſſ.
„ ſemper Virg. Mariæ Dei genitricis conſtructum eſt hoc Monaſterium
„ Porta Cœli, vulgari nomine Tennebach. „ Jo. GAMANSIUS in *Hiſt. Bad.* Mſct. Cap. XIX.

Welfoni illatam, captivitate vel exilio lueret. Hugone Neoburgi in cuſtodiam tradito, tranquillitati ſuæ reſtituta eſt Suevia. (*r*) In ejusdem anni Charta Ottonis Conſtant. Epiſcopi, Bertoldus IV. *San-Blaſiani Monaſterii Advocatus* appellatur. (*s*)

§. XV.

Anno 1167. cum Friderico I. Imp. in Italia verſatus, Diploma ejus de Marchia Guidonis, conceſſa Henrico Marchioni, teſtis omnium Laicorum primus ſignavit Dux *Bertolfus de Zeringa*, quem ſequuntur nomina Tieboldi & Ulrici, Bohemiæ Ducum, & poſt Principes *Comes Warnerus de Havekesburg.* (*t*) Datum in Territorio Ariminenſi IX. Kal. Maji 1167. (*u*) Iter Italiæ.

Anno 1168. Alexander III. Papa Epiſcopo Baſil. perſcribit, inaudiviſſe ſe, quod *Dux B. de Zæringen* eccleſiam cum decimis & curte in *Hagendorf* (*x*) Monaſterio S. Albani Baſil. abſtulerit. Inde alios plures ejusdem Monaſterii ſpoliatores Papa recenſet, Eccleſ. Baſil.

(*r*) OTTO DE S. BLASIO Cap. XVIII.

(*s*) HERRG. Tom. II. N. 237.

(*t*) Habsburg.

(*u*) Apud MURATOR. *Antiquit. Ital.* Tom. I. Diſſert. VI. p. 317.

(*x*) Intelligitur vicus *Hegendorff*, ditionis Salodurenſis, de quo LEU in Lex. Helvet. voce *Hegendorf.* URSTISIUS in *Chron. Baſil.* Lib. I. Cap. XIV. rem hanc Anno 1180. adſcribit.

Digitized by Google

quos omnes *præter Ducis perſonam*, devovet diris, & eccleſias, *in Ducatu* illius ac poteſtate aliorum conſtitutas, præſertim eccleſiam de Hagendorf, Langelnheim, Uetingen interdictioni ſubmittit.

§. XVI.

Judicium Briſgov.

Anno 1169. Bertoldus noſter, ut Landgravius Briſgoviæ, præſedit Judicio, in quo de jure patronatus eccleſiarum in *Kircheim*, *Eimeldingen* & *Merckt* acriter certatum eſt. Arrogabant ſibi jus hoc Adelgotus, Luipoldus, aliique *Viri conditione liberi de Chilheim.* Arrogabat illud Abbatiæ ſuæ Steinenſi (*y*) Burcardus Abbas, cui ipſe Bertoldus noſter, Monaſterii hujus Advocatus, ſe junxit. Judicis tamen ſeveri officio functus contra Abbatem, pronunciavit, quod ſeptem idoneos teſtes pro ſe Adelgotus & Luipoldus adduxerint. (*z*) In literis his legitur: *Ego Bertolfus Dux & Rector Burgundiæ.*

(*y*) Monaſterium Steinenſe, ad oppidum hujus nominis, ab Henrico II. Imp. inſtitutum, lacui Bodamico finitimum. CRUS. *Annal.* Part. II. Lib. IV. Cap. XI.

(*z*) Charta hujûs Judicii authentica in tabulario San-Petrinæ Collegiatæ extat Baſileæ. In ſigillo cereo, Chartæ appenſo, Eques repræſentatur Bertoldus.

Digitized by Google

§. XVII.

Quod ſi Zaringicæ opes ſub Friderico I. Imp. in Burgundia imminutæ fuerunt, in Turicenſi quoque Alemanniæ Pago, per breve ſpatium, aliquid detrimenti ſunt paſſæ. In Turicenſi enim Advocatia, Zaringicæ genti hereditaria, Guelſum Bavariæ Ducem Anno 1165. ſub Conrado III. Imp. & Albertum Habsburgicum ſub Friderico I. A. 1170. Hottingerus annotavit, exiſtimans, Bertoldum Zaringiæ Ducem nonniſi A. 1187. rurſus occurrere. Interruptionem non nego. At A. 1152. Conradus III. Imp. jam deceſſerat, unde Guelſus cum eo heic nequit conjungi. Turicenſia.

Sed & Zaringenſium in Advocatiam Turicenſem reſtitutio jam ante Annum 1187. quem HOTTINGERUS (*a*) ponit, facta eſt; certa ut nobis documenta perſuadent. Bertoldus IV. jam Anno 1178. Capitulo Turic. poteſtatem eligendi Plebanum confirmavit. Literas HOTTINGERUS ipſe alibi exhibet. (*b*)

Anno 1185. litem inter Canonicos Turicenſes & Plebanum de Schwanlingen compoſuit, hoc titulo uſus: „ Berchtoldus de „ Zaringen, Dux & Rector Burgundiæ, & Kaſtvoget Turegenſis „ Præpoſituræ. „ (*c*) Advocatiæ Turic. ergo, a Bertoldis non

(*a*) *Specul. Tigur.* pag. 33.

(*b*) *Hiſt. Eccleſiaſt.* Tom. VIII. pag. 58.

(*c*) HOTTINGER l. c. pag. 1179.

Digitized by Google

adminiſtratæ, non XXII. annorum, quod Hottingero eſt viſum, ſed XII. intervallum definimus.

§. XVIII.

Varia.

Anno 1170. Friderici I. Imp. Diplomata duo, Curienſe & Beronenſe, Bertoldus *Dux de Ceringe* teſtis ſignavit. (*d*)

Anno 1171. Arnoldus, Trevir. Archiepiſc. beneficium aliquod Henrici, Comitis Namurcenſis, Bertholdo *Duci de Cheringa*, & filio ejus Bertholdo, rogante Friderico I. Imp. contulit. (*e*)

Anno 1173. Bertholdus *Dux Zeringenſis* Chartæ, quam Fridericus I. Imp. dedit Monaſterio Beronenſi, ſubſcripſit.

Anno 1177. Bertoldus ejusdem Imp. reditum ex Italica expeditione, triennio ante ſuſcepta, per Alpes adjuvit. (*f*)

§. XIX.

Friburgum Helvet. conditum.

Anno 1178. III. Kal. Aug. Fridericus Imp. a Raymundo Archiepiſcopo coronatus eſt Arelati. (*g*) Tum vero Bertoldus

(*d*) Herrgott Num. 240. & 242.

(*e*) Hontheim *Hiſtor. Trevir.* Tom I. pag. 603.

(*f*) Otto de S. Blasio Cap. XXIV.

(*g*) Petri Saxii *Pontificium Arelatenſe* in Menckenii *Scriptor.* Tom. I. col. 263.

noſter Rectoratum ſuum Minoris Burgundiæ ut redderet firmiorem, in Aventicenſi Pago, hodie *Uchtlandia*, condidit Friburgum. Taurinenſis tabularii Charta (*h*) Anni 1178. urbem jam tum extitiſſe nos docet: „ Dominus Bertolfus Dux, inquit, „ Villam, quæ vocatur *Friburg*, ædificavit, cujus quarta pars „ in fundo & allodio S. Mariæ Paterniacenſis ſita eſt. „ *Villam* non veteri Romano, ſed novo Franco-Gallorum ſenſu, (*i*) oppidum, muris ac turribus munitum, Bertoldus exſtruxit. Noviſſimus tamen Hiſtoriæ Helveticæ ſcriptor, (*l*) Guillimanni, (*m*) popularis ſui, chronologiam ſecutus, Friburgi ſui origines nonniſi Anno 1179. aſſignat.

Urbis liberæ, (*Freye Burg*) nomen, quod Bertoldus II. urbi ſuæ Brisgovicæ dederat, Helveticæ quoque ſuæ Bertoldus IV. impoſuit. Immunitas, novæ urbi data, multos ad incolatum

(*h*) GUICHENON *Bibliotheca Sebuſiana* pag. 314.

(*i*) *Ville*, urbs, oppidum.

(*l*) Illuſtris Friburgenſium Prætor ALT, in *Hiſt. Helvet.* Gallice ſcripta Tom. I. p. 82. PESLERUS in Hiſt. Ducum Zaringiæ *Hannoveriſche Anzeigen* de Anno 1751. pag. 326. Friburgi Uchtlandiæ origines ad Conradi Ducis tempora rejicit.

(*m*) *De Reb. Helvet.* Lib. II. pag. 287. & Lib. III. pag. 9.

allexit. Nulla, præter Ebrodunum, (n) in Pago Aventicenſi tum fuit munitio. Romontium (o) ſitu, non arte, munitum erat.

Extant literæ Bertoldi ad Friburgenſes, de immunitate Monaſterii Altæ Ripæ, paulo poſt exſtructionem novæ urbis datæ, (p) quibus ſalutem & *contra hoſtes victoriam* eis precatur, claro teſtimonio, Friburgenſes ab ipſis urbis ſuæ incunabulis cum Burgundiæ Nobilibus, Zaringorum hoſtibus, bella geſſiſſe.

Villingam quoque, Nigræ Silvæ vicum, Bertoldus IV. in oppidum convertiſſe ſcribitur. (q)

§. XX.

Reliqua. Anno 1180. regnante Friderico Imp. *sereniſſimo*, *Friderico Duce Suevorum*, *Berchtoldo Burgundiæ Rectore*, fundatio Domus Hoſpitalis in Buchſe per Cunonem de Buchſe, *hominem ingenuum* & ſuæ poteſtatis facta, a Bertoldo, Conſtantienſi Epiſcopo, inſtrumento firmata.

(n) *Yverdon*, ad lacum hujus nominis.

(o) *Romont*, Caſtrum in rotundo monte poſitum, caput Comitatus, in quo Caſtrum Murtena, *Morat*, *Murten*.

(p) In tabular. Altæ Ripæ, Ord. Ciſterc. in Friburgenſi Helvetiorum Pago.

(q) STUMPF. *Chron. Helvet.* Lib. VII. Cap. XXX.

Digitized by Google

Anno 1181. Bertoldus IV. donationem, Collegiatæ Saloduranæ factam, ſuo ſigillo firmavit, ubi Eques ſiſtitur cum vexillo oblongo & inſcriptione: *Berchtoldus Dei gratia Dux & Rector Burgundiæ.* (r) At in Henrici, Epiſc. Baſilienſis, Charta A. 1184. ſimpliciter Dux Burgundiæ appellatur.

In formula pacis, quam cum Italiæ Civitatibus Conſtantiæ A. 1183. Fridericus I. Imp. compoſuit, Bertoldus quoque noſter inter teſtes occurrit; *Dux Zærmone* appellatus corrupte.

§. XXI.

Bertoldus obiit Idibus Sept. A. 1186. gentilitio ſepulcro ad S. Petrum illatus. Elogium ejus extat apud Guntherum in *Ligurino*, (s) ubi eum vocat Bertoldi mors.

„ Virum magnis ſpectatum ſæpe periclis,

„ Allobrogumque Ducem, cujus ſub jure fatigat

„ Levis Arar placidas Rhodano quas commodat undas.

Uxorem Bertoldo IV. tribuit Albericus (t) filiam Comitis Hermanni de Friburg, ex qua Bertoldum Ducem, & duas filias Uxor & liberi.

T 2

(r) Tschudi *Hiſt. Helvet.* Part. I. Lib. I. pag. 90.

(s) Lib. II. v. 411. ſqq.

(t) *Chron.* ad Ann. 1168. pag. 351. edit. Leibnit. ubi:

„ Dux iſte Bertoldus duxit filiam Comitis Hermanni de Frieburc,

„ & genuit Ducem Bertholdum alterum & duas ſorores. Prima

Digitized by Google

reliquerit. At illo tempore Comites Friburgi nondum extiterant. Urbs a Zaringis condita, nonniſi his extinctis ſuos Comites accepit. Imhofius eam Helwigem de Freyburg vocat, non Comitiſſam. In Chronico Conſtant. ſimpliciter dicitur *Heilwigis*.

Liberos Bertoldi IV. ex conjuge ignota ſuſceptos refert ALBERTUS ARG. (*u*) Bertoldum V. cum duabus ſororibus, quas non nominat, eodem tamen, quo Albericus, modo nuptas perſcribit; qua de re infra.

„ Comiti Huguenoni de Eura in Suevia peperit Conradum - - - -
„ Secunda Ducis Berthoidi filia fuit Comitiſſa Kiburg. & plures
„ liberos ipſa habuit. „

(*u*) *Chron.* pag. 99.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT VI.

BERTOLDUS. V.

AB ANNO 1186. USQUE AD ANNUM 1218.

§. I.

Ablato Arelatenſis Regni, proprie ita dicti, Rectoratu, imminuta licet fuerit Zaringicæ Domus potentia, ſatis tamen ei ſupererat opum, ut cumularet theſauros. Perpetua cum Burgundis bella divitias comparandi facultatem Conrado & Bertoldo IV. ademerant. *Divitis* elogium Bertoldo V. ſervatum. (*a*) Initia Bertoldi V.

Patris ſucceſſor Anno 1187. (*b*) Turegici Collegii de conſtituendo Plebano Chartas firmavit. (*c*)

(*a*) SIMLERUS in *Valleſia* pag. 134.

(*b*) STUMPF. in *Chron. Helvet.* Lib. VII. Cap. XXX. male poſuit A. 1185.

(*c*) HOTTINGERI *Hiſt. Eccleſiaſt.* Tom. VIII. pag. 58. BLUNTSCHLI *Memorabilia Tigurina* pag. 195.

Bertoldum noſtrum, Friderici I. Imp. expeditioni, A. 1188. in Syriam ſuſceptæ, interfuiſſe ſcribit GUILLIMANNUS, (*d*) ſed eum cum Bertoldo, Meraniæ Duce, confundit. (*e*)

In Helvetia non minus, quam apud Germanos & Italos, omnia turbis & factionibus tum plena.

Inſitus Bertoldo erat amor juſtitiæ & nativa quædam ſeveritas, quæ Proceribus Burgundis diſplicuit, exterum indignantibus Rectorem; cui libera Burgundiæ jura pertinaciter oppoſuerunt, ab omni Germanorum Imperio ſe immunes arbitrati; ſub ſpecie libertatis exercentes tyrannidem, ſed & inter ſe ipſos ſemper diſcordes. Conatus eorum ut Bertoldus reprimeret, Minnodunum (*f*) & Ebrodunum, (*g*) loca Romanis jam nota, inſtauravit; (*h*) Burgdorſium vicum munivit. (*i*)

(*d*) *Habsburg.* Lib. VI. Cap. I. pag. 312.

(*e*) BUNAVIUS in *Vita Friderici I.* pag. 316.

(*f*) Gall. *Moudon*, Germ. *Milden.* Itinerarium Antonini a Mediolano Moguntiacum per Alpes *Minnodunum*, vel, ut alii Codices habent, *Minnidunum* collocat.

(*g*) *Yverdon.* Tabula Theodoſiana *Eburodunum* inter Arioricam & Aventicum Helvetiorum ponit. Veteres notitiæ provinciarum ac civitatum Galliæ in Maxima Sequanorum caſtrum *Ebredunenſe*, *Ebridunenſe*, *Ebrodunenſe* produnt.

(*h*) GUILLIMANN. *Habsburg.* Lib. V. pag. 199.

(*i*) Romanice *Berthou* vocatur. Supra portam oppidi hæc inſcriptio olim

Digitized by Google

§. II.

Vt autem Burgdorſium inter atque Friburgum, quam urbem pater ejus condiderat, conſtitueret nexum, in peninſulæ colle, quem circumfluens Arola, murus, foſſa & propugnacula defenderent, Bernam conſtruxit. Epocham conditæ Bernæ ſcriptores A. 1191. aſſigunt. (*l*) Sub Friderico I. Imp. condi coepta, ſub Henrico VI. abſoluta; ſub Friderico II. qui in urbium Imperialium numerum eam recepit, privilegiis inſignibus Anno 1218. munita. **Berna condita.**

In Vincentiana Bernenſium Eccleſia hæc Inſcriptio legitur: „ In memoriæ monumentum perpetuæ Berchtoldi V. Zaringiæ „ Ducis fortiſſ. urbis Bernæ conditoris inclytiſſ. P. Patriæ illuſtriſſ. „ Senatus Bern. G. L. 2. P. MCXCI. Frid. II. Rom. Imp. Ber. „ cond. (*m*) At Fridericus II. nonniſi Anno 1212. Germaniæ Rex coepit agnoſci. Memoriam conditoris ſui ad Annum uſque 1656. in nummis celebravere Bernenſes. Bertoldus urbi nomen impoſuiſſe creditur, quod in ſilvæ deſtructione occurrerit

poſita: *Bertholdus Dux Zeringiæ, qui vicit Burgundiones, fecit hanc portam.* WAGNER in *Mercurio Helvetico* pag. 58. *Etat & Delices de la Suiſſe* Tom II. pag. 208.

(*l*) ROLEWINCK in *Faſciculo Temporum*, ad hunc annum.

(*m*) Vid. WAGNERUS in *Mercurio Helvet.* pag. 49. Auctor Libri: *Etat & Delices de la Suiſſe*, Tom. II. pag. 79. vitioſe ponit Ann. MCXI.

Digitized by Google

urſus. (*n*) Veriſimilius eſt, ex Bertoldi conditoris nomine illud fuiſſe petitum. Burgdorſium ſane, quod & ipſe exſtruxit, ab ejus nomine *Berthou* Romanica appellatione hodieque vocatur.

§. III.

Bertoldus eligendus Imp.

Anno 1197. Henricus VI. Imp. ad debellandum Bertoldum noſtrum, miſit fratrem ſuum Conradum, Ducem Suevorum, cum exercitu. Sed in ipſa expeditione hac Conradus obiit Durlaci; in Monaſterio Loricenſi ſepultus. (*o*) Imperator ergo Sueviæ Ducatum alteri fratri ſuo Philippo conceſſit, & paulo poſt mortuus eſt. Philippus in Hagenoenſi Conventu Imperatoriam dignitatem, cujus inſignia tenebat in manibus, ambire ſe prodidit. (*p*) At Colonienſis & Trevirenſis Præſules, ut & quidam

(*n*) Ita STETTLERUS in *Chron.* pag. 5. Ingenioſior eſt conjectura Illuſtris WATTEVILLII *Hiſt. de la Confederat. Helvet.* Lib. II. pag. 94. qui a voce *Bar* nomen urbis *Bern* derivat. *Bar* locum judicii, prætorium ſignificat. Vid. WACHTERI *Gloſſar.* Caſtrum *Nideck*, prope quod Berna fuit exſtructa, ſedes erat frequens Zaringenſium Burgundiæ Præfectorum & Judicum. Ceterum Eccleſiam Bernæ Miſſali & Corporali, gemmis ornato, Bertoldus donavit, ut ex indice Theſauri hujus Eccleſiæ, qui ſec. XVI. confectus eſt, quem Illuſtris ZURLAUBIUS Tugii poſſidet, didici.

(*o*) *Urſperg.* pag. 233.

(*p*) Philippus in Epiſtola ad Innocent. III. apud BALUZ. *Regiſtr. Negotior. Imperii* Num. 136. pag. 747.

quidam Epiſcopi, una cum Henrico, Palatino Rheni, A. 1198. convenerunt Andernaci & Coloniæ; vocaverunt Bertoldum Zaringum, ut eum in Regem eligerent. (*q*) Venit, ſed intelligens, Henrici VI. filium, Fridericum, & fratrem Philippum potentiores habere fautores, deliberandi ſibi petiit tempus, obſidesque reliquit; (*r*) reverſurum ſe die conſtituto promittens; ſed non rediit. Fautores Bertoldi noſtri in locum ejus elegerunt Ottonem IV. qui ex Pictavis advenit. Bertoldus in Philippi, Sueviæ Ducis, partes tranſivit. Hæc Otto Blaſianus, illius temporis ſcriptor, quibus Urſpergenſis nonnulla adjecit. (*s*)

(*q*) Otto de S. Blasio in *Append. ad Ottonem Fris.* Cap XXXXVI.

(*r*) Nauclerus in *Chronographia*, Generat. XL. fol. 205. ſcribit, obſides fuiſſe nepotes ex ſorore Bertoldi Agnete, Comitis Uracenſis uxore, quorum nomina Cuno & Bertoldus, qui ſe denique redemerint. Addit, Cunonem dein factum eſſe Abbatem Ciſtercienſem, inde Cardinalem Portuenſem. Bertoldus autem factus eſt Abbas in Lützirach (in Tennebach.) In captivitate eos promiſiſſe ait Nauclerus, ad monaſticam vitam ſe ituros, quum ad libertatem redierint.

(*s*) En ejus verba: „ Bertoldus Dux Zaringiæ tunc denominatus fuit in „ Regem, non propter hoc, quod juſtus poſſet eſſe videri, aut „ diligere veritatem, - - ſed propter hoc, quia pecunioſus videbatur, „ cum eſſet avariſſimus & omni iniquitate plenus. „ Ita Urſpergenſis, faventior Gibellinis. Paullo poſt addit: „ Attamen cum præfatus Dux „ Zaringiæ diffidere coepiſſet de expenſis, ad obtinendum Imperium

Digitized by Google

GODEFRIDUS. COLONIENSIS, (*t*) ſynchronus quoque teſtis, tradit, in eo fuiſſe Principes factionis illius, ut opus electionis Andernaci pro Bertoldo perficerent, quum nuntius illis eſſet allatus, cum Philippo tranſegiſſe Bertoldum, XI. mille marcis argenti in præmium a Philippo acceptis. Princeps, impenſarum in rem dubiam pertæſus, (6000. marcas enim jam impenderat) factioni ſuæ, quæ debilior fuit, diffidens, Philippum, terris ſuis vicinum, veritus, a conſilio ſuſcepto deſtitit. (*u*)

„ neceſſariis, rediit ad gratiam Regis Philippi, accepitque ab eo „ beneficia, quæ ſibi conferri curavit, & hominium ſibi fecit & „ fidelitatem & vades &c. Adde CONRADUM DE FABARIA *de Caſibus Monaſterii S. Galli* Cap. VII. in GOLDASTI *Scriptor. Rer. Alamannicar.* pag. 79.

(*t*) Anno 1198. ubi rem ita enarrat: „ Colonienſis & Trevirenſis Duci „ Bartolfo de Zaringon fidem fecerunt; quod ipſe repatrians exercitum „ ſecum duceret, & ſtatuto ſibi die Andernacum rediret, eum ibi „ remota omni dubitatione Regem crearent. Hoc & ipſe promiſit & „ juravit & inſuper obſides dedit. Deſignato igitur die cum apud „ Andernacum ab Epiſcopis & omni multitudine cum apparatu & deſiderio „ maximo expectaretur, ecce rumor peſſimus & ejus ignaviæ dignus „ intonnit, ipſum ſcilicet cum Duce Sueviæ concordaſſe, & ut ipſe „ regno & electioni renuntiaret, XI. millia marcarum & Ducatum ab „ eo accepiſſe. FREHER. *Scriptor.* Tom. I. pag. 363. edit. poſtr.

(*u*) Philippus in Regem electus ad Innocentium III. Pontificem ipſe ita ſcripſit: „ Berchtoldus pro electionis negotio plus quam ſex millia

§. IV.

In literis, quas Principes Imperii, qui Philippum elegerant, ad Pontificem Innocentium III. ſcripſerunt, poſt Regem Bohemiæ, ante omnes alios Duces, *Dux Zaringiæ & Rector Burgundiæ* ſignavit; eumque Saxoniæ, Auſtriæ, Meraniæ Duces ſequuntur. (*x*) Philippo Suevo adhæret.

Pontifex in epiſtola, ad Bertoldum noſtrum, hac ſuper re data, ei perſuadère conatur, ut deſertis Philippi partibus, Ottoni adhæreat: „ Cum & tu, inquit, nobis ſæpe per literas „ tuas duxeris ſuggerendum, ut eidem Duci (Philippo) „ nullatenus faveremus. „ Hæc eſt memorabilis illa *Decretalis* epiſtola, in qua Innocentius III. Regem electum in Imperatorem promovendi jus ſibi arrogat. (*y*) Extant & aliæ epiſtolæ, vivo

„ marcarum expendit. Qui cum poſt multam hanc expenſam in negotio „ proceſſum optatum habere non poſſet, ipſe tanto labori & futuris expenſis „ ſe ſubtrahens ab incepto negotio conticuit. „ Conf. BALUZII *Regiſtr. de Negotio Imp.* num. 136. pag. 747.

(*x*) BALUZII *Regiſtr.* num. 61. Add. aliæ literæ Principum ad Pont. num. 14. ejusdem fere tenoris, in quibus Zaringiæ quoque Ducis inter Proceres, Philippo adhærentes, mentio fit.

(*y*) BALUZII *Regiſtr.* num. 62. pag. 719. Excerpta inde ſunt ea, quæ Decretalium Lib. I. Tit. VI. Cap. XXXIV. leguntur. Decretalis hæc ad Bertoldum V.

Digitized by Google

Philippo, & poſt cædem ejus, ad Bertoldum directæ, in quibus ſtudioſe id agit Pontifex, ut Bertoldum ad amplectendas Ottonis IV. partes permoveat. (z) Philippo tamen adhærere Bertoldus non deſtitit, ne falleret fidem, metuve compulſus; animo licet forſitan adhæſerit Ottoni. Innocentium eundem in aliis ad Bertoldum literis audiamus: (a) „ Meminimus, nos olim tuæ Nobilitatis „ literas recepiſſe, quibus nos monebas humiliter, & efficaciter „ inducebas, ne nobili viro, Philippo, Duci Sueviæ, ſuper facto „ Imperii præſtaremus aſſenſum &c. Nos autem ex his „ intelleximus mentem tuam, videlicet, quod etſi ei favere forſitan „ tum propter ejus potentiam, tum propter vicinitatem & alias „ circumſtantias videreris, ipſi tamen animo non favebas &c.

§. V.

Bertoldi acta varia.

Anno 1208. Rudolphus Comes de Thierſtein Monaſterio Frienisbergenſi nonnulla donavit, *Ducatum Burgundiæ regnante Berchtoldo.* (b)

haud dubie ſcripta fuit, uti ex Baluzio patet, licet Decretalium Codices, alii Zerangiæ, ſeu Zarengiæ, alii Laringiæ, alii Saringiæ, alii Carinthiæ habeant.

(z) BALUZ. *Regiſtr.* num. 58. 158. 171.

(a) Ibidem num. 43. pag. 707.

(b) Codex Diplom. noſter.

Digitized by Google

Eodem anno Advocatiam Abbatiæ S. Galli, Philippi Imp. morte vacantem, ambivit Bertoldus, pro ſe & deſcendentibus ſuis, ſi quos habiturus eſſet. Pro dignitate hac obtinenda, Monaſterio quatuor millia marcarum argenti obtulit. At Ulricus Abbas, Miniſterialium, nimiam Ducis formidantium potentiam, conſilio uſus, ejus petitum rejecit, quod CONRADUS DE FABARIA (c) improbat.

Otto IV. Imp. Anno 1209. Auguſtæ Vindelicorum inſtituit Conventum, cui *Dux de Ceringe* interfuit. (d) Eodem Ottone deinceps Romæ diris devoto, Bertoldus ejus partes deſeruit. (e)

Idem Abbatiæ Turicenſi privilegia antiqua Anno 1210. ut Advocatus firmavit. (f) Seldenſis quoque in Nigra Silva Monaſterii Advocatiam ad Bertoldum V. pertinuiſſe, San-Petrini tabularii Acta me docuerunt.

§. VI.

Poſtremis vitæ ſuæ annis Aulæ Romanæ gratia excidit Bertoldus; quod Friderico II. Imp. quem Ottoni IV. oppoſuerat Pontifex, haud favit. Aulæ Romanæ diſplicet.

(c) *De Caſibus Monaſterii S. Galli* Cap. VIII.

(d) ARNOLDVS LVBEC. in *Chron. Slavor.* Lib. VII. Cap. XX.

(e) ALBERICI *Chronicon* ad A. 1210.

(f) HOTTINGERI *Specul. Tigur.* pag. 237.

Anonymus ſcriptor Vitæ B. Hugonis Ord. Ciſterc. haud diu poſt vivens, (*g*) narrat, ægre tuliſſe Bertoldum Ducem, quod Bertoldus, Tennebaci Abbas, qui nepos ex Agnete, ſorore Ducis, fuiſſe videtur, Monaſterii ſui cauſa iter Romam ſuſceperit. Abbas, Roma redux, declaravit avunculo, in Pontificis Aula ſiniſtros de eo ſe audiviſſe ſermones. Quin & in Comitem Egenonem de Urach, Bertoldi V. heredem, ſe aluiſſe *rancorem*, Fridericus II. Imp. (*h*) profeſſus eſt.

§. VII.

Mors ejus & mores.

Obiit Anno 1218. (*i*) Bertoldus Friburgi Brisgoviæ. Virtutes ejus, præſertim juſtitiam, extollit Stettlerus, omnibusque eum præfert Bertoldis. Nimiæ parſimoniæ tamen a ſcriptoribus non ſine ratione accuſatur, quæ in negotio electionis ejus ad ſolium Imperiale apparuit. Promiſerat multa.

(*g*) Cujus excerpta Codex Diplom. exhibet.

(*h*) In Charta A. 1219. Vid. Cod. Diplom.

(*i*) D. XIV. Febr. SATTLERI *Chron. Friburg.* pag. 23. In *Chronico Colmar.* ab initio legitur: „ Natus eſt (Rudolfus Habsb.) de progenie Ducis „ Zeringie Anno 1218. Cal. Maji, eodem ſcil. anno, quo Dux Zeringiæ „ viam carnis ingreditur univerſæ. „ In *Annal. Colmar.* ad Ann. 1218. brevius: „ Dux Zeringiæ Bertoldus obiit. „ ALBERT. ARG. *Chron.* pag. 99. anno huic addit diem Cal. Maji.

Digitized by Google

Duos ſororis filios Coloniæ Agrippinæ in cuſtodia prædes reliquit. At mox eum poenituit promiſſi. Mortuo Bertoldo Lauſannenſis Epiſcopus gravi invectiva eundem, „rapinas, incendia, homicidia „ leſiones, membrorum mutilationes non ſolum in Laicis, ſed „ in Clericis & Sacerdotibus exercuiſſe, nec malitie ſue meritis „ filium vel filiam reliquiſſe „ ſcripſit. (*l*)

§. VIII.

Lapidea Bertoldi V. loricati ſex pedum ſtatua (*m*) in Baſilicæ Friburgenſis Brisgoviæ navi haud procul a baptiſterio hodieque extat. Ea primitus lapidi ſepulcrali, ſupra pavimentum eminenti, impoſita jacuit. (*n*) Cum autem hic ſeculi XVI. initio Statua Bertoldi.

(*l*) Charta Ann. 1219. Vid. Cod. Diplom. Albericus in *Chron.* ad Ann. 1218. pag. 499. ait: „ Moritur Bertholdus, de cujus interitu & damnatione „ multa referebantur auditu horribilia.

Cum Bertoldo V. æmulorum quoque Ducatus Carinthiæ feriem concludit Erasmus Froelich in *Archontologia Carinthiæ* pag. 4. qui *Zaringiæ* Ducum nomen a Bertoldis noſtris pro *Carinthia* uſurpatum fuiſſe credidit, ut jus ſuum in Ducatum hunc ſibi conſtanter ſervarent. Vide ſupra Lib. II. Cap. I. pag. 44.

(*m*) Munsterus *Coſmograph.* Lib. III. Cap. 266. ait: „ Fuit Princeps magnæ „ ſtaturæ, id quod indicant indumenta ejus ferrea, quæ mihi Bernæ „ in armamentario ſunt oſtenſa. „

(*n*) Sattleri *Freyburg. Chronic.* pag. 23. Kieffervs de *Habsburgo-Auſtriaca Domo* pag. 145.

Digitized by Google

ad altare majus reparandum adhiberetur, ſtatua inde ablata in loco, ubi jam viſitur, repoſita eſt. Sepulcro aperto, corpus integrum repertum fuiſſe, Friburgenſium traditio eſt. Statuæ baſi, translationis tempore, hæc inſculpta Inſcriptio eſt:

BERCHTOLDUS V.
ULTIMUS ZAERINGIAE DUX
XIV. FEBRUARII ANNO MCCXIIX.
CUJUS OSSA SUB HAC STATUA
IN CRYPTA LAPIDEA
REQUIESCUNT.

In monumento ſepulcrali verſus hos olim lectos fuiſſe refert SIMLERUS: (o)

„ Dum bis ſexcentis ter ſenus jungitur annus,
„ In Friburg moritur Berchtoldus Dux Alemannus.


Thorax & arma Bertoldi hujus in Bernenſium armamentario hodieque cuſtodiuntur. (p)

§. IX.

(o) In *Valleſia* pag. 135.

(p) *Deliciæ urbis Bernæ*, Cap. XIX. pag. 337.

Digitized by Google



Statua VII. pedum et VI. pollic.

Digitized by Google

Digitized by Google

§. IX.

De matrimonio Bertoldi mirus eſt juniores inter ſcriptores diſſenſus; rara enim ejus apud veteres mentio. Uxores fabuloſæ.

GUILLIMANNUS (q) & LAUFFERUS, (r) uxorem ei ex Comitibus Vohburgi Bavariæ, NAUCLERUS (s) ex Kiburgica Domo aſſignant. Hunc STUMPFIUS, (t) STETTLERUS (u) & WALDKIRCHIUS (x) ſequuntur. Waldkirchius anonymam ſuperaddit, quæ præceſſerit Kiburgicam. DROLLINGERUS (y) ejusdem ſententiæ eſt, atque priorem appellat Mechtildem; poſterior ei dicitur Agnes. Fama de Kiburgica conjuge inde prognata, quod Kiburgenſis Ulricus Annam, ſororem Bertoldi V. duxit uxorem. At in alia omnia diſcedit PISTORIUS, (z) qui nec Vohburgicam, nec Kiburgicam, ſed Bononienſem Comitiſſam Idam, Gerhardi, Comitis Geldriæ, viduam, Bertoldo V. conjugem

(q) *Rer. Helveticar.* Lib. II. Cap. XIV. & Lib. III. Cap. VIII.

(r) *Geſchichte der Schweitzer* Tom. III. pag. 9.

(s) *Chron.* Part. II. fol. 184.

(t) *Chron. Helvet.* Lib. VII. Cap. XXX.

(u) *Chron. Uchtland.* Lib. I. fol. 3. & 5. ad Ann. 1191.

(x) *Eidgenoſſ. Hiſt.* pag. 120.

(y) *Lex. Baſil. Hiſtor.* in voce *Zæhringen.*

(z) In Tabula Genealog. ad *Chron. Conſtant.* apud PISTORIUM.

X

Digitized by Google

adſcribit, nullo teſte adducto. Non equidem diffiteor, *Aquicinctinum Auctarium*, quod Anſelmo Gemblacenſi, Sigebertino Continuatori, ſubjunctum, vel interpolatorem ejus, (*a*) hoc tradere conjugium. En verba Auctarii: „ Gerardus Comes de Gelra Idam, filiam „ Matthæi & Mariæ Comitiſſæ Bolonienſis, duxit uxorem, & „ brevi poſt mortuus eſt. „ Additur dein ad Ann. 1183. „ Idam „ prædictam, filiam Matthæi Comitis, Boloniæ Comitiſſam, „ Bertoldus Dux de Saringes duxit uxorem. „ Matthæus Comes, Idæ pater, filius erat Theodorici, Flandriæ Comitis, frater Philippi, qui in eodem Comitatu patri ſucceſſit. Duxit Matthæus uxorem Rummeſienſis Monaſterii Abbatiſſam, Mariam, (*b*) filiam Stephani, Regis Angliæ, A. 1154. & cum ea accepit Comitatum Bononiæ; (*c*) ex quo matrimonio prodiit Ida, quam Bertoldo noſtro Aquicinctinus aſſignat uxorem. Sententiam hanc quoque ſequitur PONTANUS. (*d*) OLIVAR. VREDIUS (*e*) autem, res Flandricas ex ipſis ſcriniorum fontibus illuſtrans, hoc ignorat matrimonium, poſtque Gerhardum, Geldriæ Comitem, Idæ maritum tribuit Reginaldum, Domni-Martini

(*a*) Ad Ann. 1181. & 1183. apud MIRÆUM & PISTOR. *Rer. Germ.* Tom. I.

(*b*) MEJERI *Annal. Flandr.* Lib. V. pag. 56.

(*c*) VREDIUS Probat. Tab. III. pag. 73. & 221.

(*d*) *Hiſt. Gelric.* Lib. VI. pag. 113.

(*e*) *Genealogia Flandriæ Comitum* Part. I. Tab. VII. pag. 223.

Comitem, quem ab A. 1192. usque ad A. 1212. cum Ida vixiſſe conjuge plura illius ævi documenta apud Vredium demonſtrant. Quodſi ergo Ida nupſit Bertoldo, breviſſimi modo temporis conjugium fuit; quod Bertoldus V. A. 1218. moriens, Clementiam Burgundicam, non Idam Bononienſem, reliquerat viduam. Unde mors Idæ in A. 1210. incidere non potuit, quum ea A. 1212. adhuc conjux fuerit Reginaldi. Verum omnino ſuſpectum mihi eſt Idæ cum Bertoldo noſtro conjugium. Auctarii Aquicinctini de Bertoldo verba a juniore quadam manu adjecta eſſe videntur.

§. X.

Quum itaque nec Mechtildis, nec Agnes, nec Ida, ut Uxor vera. certæ uxores Bertoldo V. poſſiut adſcribi, certiſſimam ei daturus ſum conjugem, quam nullus ſcriptorum, at duæ Chartæ regales ei diſerte aſſignant; in quibus Clementia Burgundica, Stephani, Auſonæ Comitis & Beatricis filia, (*f*) vidua Bertoldi V. vocatur. (*g*) Hic minoris Burgundiæ Caſtrum Burgdorf & alia illius tractus

(*f*) Genealogiam ejus dedit du Chesne *Hiſtoire de Bourgogne* Lib. IV. Cap. XXVI. pag. 548. Gollut. *Memoires Sequanoiſes.*

(*g*) Eruditam Diſſert. de Beatrice hac dedit Petrus Franciscus Chifletius, cui Tit. *Lettre touchant Beatrix Comteſſe de Chalon* 4. Dijon. 1656. Adde *Hiſtoire de la Ville de Chalon ſur Saone* Tom. I. p. 306. Beatrix heres fuit Guilielmi II. Comitis Chalonii ad Ararim.

bona in dotalitium ei deſtinaverat. Sed mortui Bertoldi ſororius, Egeno de Urach, Caſtrum & omnes dotalitias Clementiæ terras occupavit, eamque in captivitatem abduxit. Sexennio poſt (*h*) Henricus VII. Romanorum Rex, Bernæ in judicio ſedens, „ Clementiam in poſſeſſionem Caſtri Burcdorf & omnium bonorum „ quæ divæ memoriæ Bertoldus, Dux Zaringiæ, ei contulit, „ mittendam decrevit. (*i*) At Egeno ſententiam Regis contempſit. Poſt undecim enim annos (*l*) Stephanus, Clementiæ pater, in Moguntinis Comitiis Fridericum II. Imp. adivit; petiitque ab eo, ut filiam captivam liberaret, Caſtrumque Burgdorf cum reliquis bonis Clementiæ tradi juberet. Cæſar pro Clementia pronuntiavit. Quem effectum ſententia habuerit, non liquet. Id liquet, quod ab A. 1218. ad A. 1235. adeoque per totos XVII. annos Clementia fuerit captiva, adeoque dotalitium ejus omne per tempus illud uſurpaverit Egeno, Comes Friburgi, Zaringicarum in Brisgovia terrarum heres. Memorabiles has Zaringicæ hiſtoriæ circumſtantias binæ illæ Chartæ nos docent, quas ex chartophylacio Dolenſi Comitatus Burgundiæ Chiffletius, ut oſtendi, produxit. (*m*)

(*h*) Ann. 1224.

(*i*) Verba ſunt ſententiæ ab Henrico VII. latæ apud CHIFLETIUM l. c. p. 113.

(*l*) Ann. 1235.

(*m*) *Lettre ſur Beatrix* &c. pag. 97. & 113.

§. XI.

Ab uxoribus tranſimus ad liberos. Bertoldo V. pueri duo a ſcriptoribus junioris ævi tribuuntur, Bertoldus atque Fridericus, (*n*) quem alii Conradum appellant. Bertoldum A. 1208. adeoque decennio ante mortem filiis caruiſſe, ipſe hoc profeſſus eſt anno, quo Advocatiam Abbatiæ S. Galli ambivit. (*o*) Quod ſi ergo filios habuit, neceſſe eſt, eos intra decennium hoc natos fuiſſe & mortuos. Ducentis poſt Bertoldi V. mortem annis reperti ſunt ſcriptores, qui eum filios habuiſſe, hosque ante patrem mortuos, & quidem venenis interemptos tradiderunt; de veneficii modo tamen inter ſe diſcordes. Filii.

§. XII.

Sunt enim, qui produnt, Nobiles Burgundos Zaringicis pueris propinaſſe toxicum, & potione matrem eorum reddidiſſe ſterilem, ut Zaringica, quam oderant, extingueretur familia. Variæ de illis opiniones.

Sunt, qui ipſam puerorum matrem; ſunt, qui Agnetem novercam ad committendum hoc in privignos facinus a Burgundis

X 3

(*n*) Ita eos vocat GUILLIMANNUS *Rer. Helveticar.* Lib. II. Cap. XIV. & Lib. III. Cap. VIII.

(*o*) CONRADUS DE FABARIA *de Caſibus Monaſterii S. Galli* Cap. VIII. ſcribit: „ Hoc pacto, ut Advocatiam ſibi ſuoque heredi filio & non alii, ſi forte „ filium, quem tunc non habuit, acquiſiviſſet. Conf. ſupra §. V. pag. 157.

Digitized by Google

corruptam arbitrantur. Omnes facinoris theatrum conſtituunt Salodurum, annumque 1217. rei geſtæ aſſignant.

Tragœdiæ primæ ſubjicitur ſecunda. Bertoldus, intellecto uxoris ſuæ facinore, eam gladio punivit, ejusque caput eodem cum pueris loculo in Baſilica S. Urſi & Victoris condidit; cujus eccleſiæ chorus cum A. 1544. repararetur, oſſa puerorum cum capite matris reperta dicuntur in eodem ſarcophago; quæ ſe vidiſſe ſcribunt Munſterus & Stumpſius. Tam diverſæ ſunt de re dubia narrationes.

Equidem primam veneficii mentionem apud CONRADUM JUSTINGERUM, Archigrammateum Bernenſem, reperio; qui A. 1420. Reipublicæ juſſu Hiſtoriam Uchtlandiæ conſcripſit. (*p*) Hic Burgundicæ Nobilitati ſoli attribuit facinus, ſiletque matrem & novercam; de cetero rem vulgi rumoribus traditam eſſe profeſſus.

Narrationem hanc STUMPFIUS, (*q*) MUNSTERUS, (*r*) CRUSIUS, (*s*) VIGNIERIUS, (*t*) STETTLERUS, (*u*)

(*p*) *Helvetiſche Bibliothec* Part. IV. pag. 26. Juſtingeri Chronicon, nondum typis impreſſum, Tiguri Bernæque inſpexi.

(*q*) *Chron.* Lib. VII. Cap. XXX.

(*r*) *Cosmograph.* Lib. III. Cap. CCLXVI. aliter Cap. LXXII.

(*s*) *Annal. Suevicor.* P. II. L. XII. pag. 505.

(*t*) *Chronicon Burgund.* pag. 143.

(*u*) Ad A. 1191. *Uchtland. Chron.* Lib. I. p. 5.

Digitized by Google

Guillimannus, (x) Haffnerus (y) ſecuti ſunt; ſolisque Nobilibus veneficium adſcribunt. (z) Tschudius (a) autem, Waldkirchius, (b) Drollingerus, (c) & rerum Zaringicarum Epitomatores Dillius (d) & Peslerus (e) novercam criminis complicem reddunt.

Juſtingero cautior fuit Henricus Lupulus, (f) Canonicus Bernas, Chronici quoque Bernenſis non editi ſeculo XV. auctor, qui nullam plane filiorum Bertoldi noſtri facit mentionem. „ Ea tempeſtate (inquit) Berchtoldus Dux illuſtris Zaringiæ

(x) *Rer. Helveticar.* Lib. II. Cap. XIV. & Lib. III. Cap. VIII. & *Habsburg.* Lib. VI. Cap. II. pag. 343.

(y) *Solothurner Schauplaz* Part. I. pag. 291. & Part. II. pag. 35.

(z) Felix Faber in *Hiſt. Suevorum* Lib. I. Cap. XIX. filios nonniſi poſt mortem patris a Nobilibus veneno ſublatos eſſe ſcribit.

(a) *Chron. Helvet.* Part. I. pag. 115.

(b) *Eidgenoſſiſche Hiſtorie* pag. 120.

(c) In Lexico Baſil. Hiſtor. voce *Zæringen.*

(d) In Oetteri *Sammlung Hiſtor. Nachrichten* num. XXIV pag. 376. Ampliſſ. Dillii, Conſiliarii Bada-Durlac. ſtrenui rerum Badenſium indagatoris, Synopſis, ſolide ſcripta, Peslerianæ præferenda.

(e) Hiſtor. Ducum Zaringiæ in *Hannoveriſche gelehrte Anzeigen* A. 1751. p. 327.

(f) Vernacule *Wölflin*, cujus Chronici Codicem, manu exaratum, in Bibliotheca publica Turicenſis Civitatis vidi.

Digitized by Google

„ claruit, hujus clariſſimæ ſobolis ultimus. Nam illius fatalis ab „ humanis migratio inclytam hujus nominis proſapiam, ſtirpe „ truncata, reſtinxit.

Stettlerus narrat, oſſa puerorum holoſerico panno involuta cum oſſibus novercæ reperta, certis oſtendiſſe indiciis, quod fuerint oſſa filiorum Bertoldi; ſed indicia non exprimit. Nec exprimit ea Stumpfius, qui A. 1544. ipſe oſſa conſpexit; nec, qui biennio poſt idem vidit ſepulcrum, Munſterus. (*g*)

Salodurenſium Archigrammateus, HAFFNERUS, in Chronico A. 1666. edito de repertis puerorum oſſibus ſilet; annotaſſe contentus, illa retro altare majus in deaurata theca ſervari. At ſi olim ſervata fuerunt, noſtris diebus non amplius ſervantur. Equidem repetitis in Helvetiam itineribus (*h*) Urſanam Eccleſiam ejusque theſaurum ac bibliothecam Saloduri inſpexi. Nulla ibi Zaringorum oſſa occurrunt.

§. XIII.

(*g*) *Coſmogr.* L. III. Cap. LXXII. ubi hæc ſcribit: „Minor puer, quantum „ ego ex viſis oſſibus judicare poſſum, fuit ſesqui aut duorum annorum, „ major autem novem vel decem annorum.

(*h*) A. 1744. & 1758.

§. XIII.

Filios habuiſſe Bertoldum, qui tenera ætate Saloduri mortui fuerint atque in San-Urſana ſepulti Eccleſia, non temere negandum. Potuerunt illi naſci poſt A. 1208. quo Bertoldus adhuc fuerat improlis, & An. 1217. morte naturali defungi. Nec nego, oſſa eorum A. 1544. fuiſſe reperta. At veneficium, ob circumſtantias minime veriſimiles, excludo. Sentent. noſtra.

Enimvero qui fieri potuerat, ut tam illuſtris, tam potentis familiæ interitus, tot tragicis circumſtantiis comitatus, a ſeculorum XIII. & XIV. ſcriptoribus præteriretur ſilentio? Nihil hac de re Jo. Vitoduranus, nec Conradus Ursperg. nec Dominicani Colmar. Nec Albertus Argentinenſis. Clementia, quam Bertoldo, marito ſuo, ſuperſtitem fuiſſe, duabus Chartis oſtendi, annon famam de veneficio & ſupplicio novercæ omnino evertit? (i)

Res tam digna memoratu, ducentos per annos ignorata, unde junioribus innotuit? Quam parum ſimile vero eſt, novercam, quæ ipſa cum marito nullos liberos ſuſcepit, deſtructuram privignos, ex quorum deceſſu nulla ad eam redundaverat utilitas.

(i) TSCHUDIUS novercæ corpus ſub patibulo ſepultum, caput autem cum corporibus puerorum in ſepulcro reconditum fuiſſe, exiſtimavit.

Digitized by Google

Ad temeraria judicia quam pronum eſt vulgus, magna ubi concidit Domus. Berna, contra Nobilium injurias nuper exſtructa, defenſoribus privata Zaringis, ſiniſtros rumores eo facilius arripuit, quod naſcenti huic urbi vindictam in Nobiles commendaſſe Bertoldus jactabatur.

Urbs potens Transjuranæ Burgundiæ Nobiles, cum pedetentim evertiſſet, atque adeo ruinis eorum ſuam ſuperſtruxiſſet potentiam, Zaringicis manibus juſta perſolvit. Abſona porro apud Saloduranos traditio eſt, ab eo tempore, quo uxor Bertoldi ſuos privignos occiderit, municipalem ibi legem fuiſſe latam, ne mater heres eſſet liberorum. Lex aliis quoque locis recepta.

In Saxonico (*l*) & Suevico (*m*) Speculis patris tantum, non matris, fit mentio, ubi de liberorum mortuorum hereditate eſt ſermo. (*n*)

Burgundica lex nec matri, nec patri proſpicere videtur. (*o*)

STUMPFIUS, qui veneficii crimen Nobilibus ſolis adſcribit, originem hanc Saloduranæ legis ſolide confutat. (*p*)

(*l*) Lib. I. Art. 17.

(*m*) Cap. CCLX.

(*n*) Idem fit in Statutis Argentinenſibus; ſed æqua interpretatione ad matrem quoque extenditur.

(*o*) Tit. XIV. §. II.

(*p*) *Chron. Helvet.* Lib. VII. Cap. XXX.

Digitized by Google

WATTEVILLIANA SERIES ZARINGIÆ DUCUM.

§. XIV.

Genealogicus Bertoldorum, Zaringiæ Ducum, quem expoſui, ordo Chartarum & Hiſtoricorum certa ac indubitata ſtat fide. Wattevilli ſyſtema Zaring.

In alia tamen omnia haud ita pridem diſcedere viſus eſt Illuſtris WATTEVILLIUS, Rerum Helveticarum florentiſſimus Scriptor, in Bernenſium Republica dignitate ac multis meritis conſpicuus, non uno mihi nomine carus, qui labores noſtros generoſe & liberaliter juvit. Hic enim non modo Bertoldum I. ex Zaringico ſtemmate plane expungit, ſed & Bertoldum II. ita diſponit, ut a Transjuranis Burgundiæ Regibus Rudolphis ejus genus derivet. Pro Bertoldo I. Rudolphus quidam Dux, Conradi, Regis Transjurani, frater, Domus Zaringiæ conſtituitur ſator. Marchiones Badenſes autem a Bertoldo I. Carinthiæ Duce, Landoli, Comitis Habsburgici, filio, ita derivantur, ut cum Zaringiæ Ducibus nullum habeant nexum. (q)

(q) Syſtema ſuum WATTEVILLIUS expoſuit in ſcripto, cui Tit. *Lettre ſur l'origine des Ducs de Zaringuen*, quod legitur in Diario: *Mercure Suiſſe* A. 1746. menſe Septembr. pag. 230. Adde Ann. ſeq. ubi ſcripta eriſtica.

SCHEMATIS WATTEVILLIANI
forma hæc eſt:

RUDOLPHUS II. Rex Burgundiæ Transjuranæ † 937.

CONRADUS Rex Burgundiæ † 993.	RUDOLPHUS III. Ignavus † 1032.	Burckardus Archiep. Lugd.	RUDOLPHUS Dux memoratus in fundatione Patern. Monaſt. circa A. 966. apud Guichenon. *Biblioth. Sebus.* p. 25.

BERTOLDUS Comes, qui Chartam Rudolphi III. Regis An. 1016. firmavit apud Guichenon. *Hiſtoire de la Savoye* Tom. III. pag. 3.

RUDOLPHUS Comes, qui cum Bertoldo Comite conjunctim occurrit in ejusdem Regis Charta A. 1014. apud Guichenon. loco alleg. pag. 2.

BERTOLDUS II. Dux Zaringiæ idem, qui cum Rudolpho patre memoratur in Diplomate Ann. 1076.

CONRADUS Rector Burgundiæ.

BERTOLDUS III. Dux Burgundiæ.

BERTOLDUS IV. Zaringenſium ultimus.

Digitized by Google

§. XV.

Præcipuum novæ hujus Genealogiæ fundamentum ex Charta An. 1076. deducitur, qua Rueggisbergenſi minoris Burgundiæ Monaſterio donatio facta eſt *per manum Bertholfi Ducis*, interveniente patris *Rodolfi* Ducis auctoritate. Infertur hinc, patrem & filium ex Burgundiæ Regum ſanguine cretos, Zaringenſium Burgundiæ Ducum extitiſſe ſatores. Examen ejus.

Verum enimvero Charta hæc non unum ex Burgundiæ Regum proſapia ſed Rudolphum illum, Rheinſeldæ Comitem, intelligit, qui ex Comite non modo Dux Sueviæ, ſed & Burgundiæ, ex Duce Anti-Cæſar creatus, filium quoque habuit Bertoldum, in juvenili ætate A. 1090. ſine prole defunctum. (*r*) Hic pater, hic filius in Charta Rueggisbergenſi intelliguntur.

Rectoratum hunc Burgundiæ, a Rudolpho Suevo adminiſtratum, non obſervarunt juniores.

(*r*) WALTRAMUS NAUMBURG. *de unitate Eccleſiæ* Lib. II. Cap. XXXVI. ad A. 1090. „ Bertolt filius Rudolfi, Regis quondam Saxonum, „ in ipſo juventutis ſuæ flore defunctus eſt. „ Apud FREHER. „ *Scriptor. Rer. German.* Tom. I. p. 309.

Burgundiam tamen ab Agnete Imperatrice regendam accepit Rudolphus noſter, ut WALTRAMUS NAUMBURGENSIS teſtis illius ævi, nos docet; (*s*) ideoque a ſcriptoribus nunc Sueviæ, nunc Burgundiæ Dux dicitur, (*t*) atque cum filio Bertoldo, vel ut Advocatus Monaſterii, cui donatio fiebat, vel ut Burgundiæ Dux, in Charta memoratur. (*u*) Hic autem ex Alemannico ſanguine, non ex Burgundico, prodiit. Acta Murenſia Cunonem ei patrem aſſignant.

Rudolphus ergo ille, Conradi, Burgundiæ Regis, frater, apud Guichenonium memoratus, maſcula ſine prole deceſſiſſe dicendus eſt. Et tamen filium ei Wattevillius aſſignat Bertoldum Comitem, eumque patrem facit Rudolphi cujusdam Comitis, quos ambos Guichenonianæ Chartæ A. 1014. & A. 1016. Comites ſimpliciter nominant. Quo autem indicio patet, Bertoldum illum Comitem habendum eſſe pro filio Rudolphi, Burgundiæ Ducis, &

(*s*) Loco alleg. Cap. XVI. ſcribit: „ Tum quidem erat Rudolfus Dux „ Suevorum, cui etiam dederat Hagna Imperatrix *cum Regno*; „ *Burgundiæ* filiam ſuam in conjugium.

(*t*) SIGEBERTUS GEMBLAC. ad An. 1077. eum *Ducem Burgundionum*; CONRADUS URSPERG. ad A. 1075. *Alemanniæ atque Burgundiæ Ducem* appellat.

(*u*) Ipſe Henricus IV. Imp. in Charta alleg. donationem *per manum* Rudolfi Ducis feciſſe ſe dixit.

Digitized by Google

patre Rudolphi Comitis. An ideo filius eſt dicendus Bertoldi, quod in Diplomate A. 1014. Bertoldo ſubjungitur, nulla addita nota?

In alia ſane Charta Lauſannenſis Eccleſiæ A. 1009. Rudolpho Comiti Bertoldus ſubjicitur Comes. Hi duo cum aliis Burgundiæ Proceribus Rudolpho III. Regi donationem ſuaſerunt; non autem ut Regii ſanguinis Principes in eam conſenſiſſe dicendi ſunt, quod novi ſyſtematis auctor exiſtimat.

§. XVI.

Sunt & præter hæc alia, quæ huic hypotheſi obſtare videntur. Rationes contrariæ.

I. Num veriſimile eſt, unum eundemque Rudolphum fuiſſe, qui A. 1014. *Comes*, A. 1076. *Dux* appellatur, quod intervallum LXII. annorum eſt?

II. Num Rudolphus Burgundus dici poteſt pater Bertoldi II. Zaringiæ Ducis, quem Bertoldi I. Carentani filium Annales tam aperte declarant? (x)

(x) LAMBERTUS SCHAFFNAB. OTTO FRISING. *de Geſtis Frid. I. Imp.* L. I. Cap. IX. ANNALISTA SAXO; CONRADUS URSPERG. ad A. 1057.

Google

III. Ex Bertoldis duobus, quos LAMBERTUS SCHAFFNAB. (y) memorat, quorum alter Carinthiæ Dux, Cæſaris adverſarius, alter amicus, ratio vetat, ne poſteriorem Zaringenſibus annumeres, adeoque Rudolphi Ducis filium, generumque Rudolphi Anti-Cæſaris conſtituas, quoniam Bertoldus ille, Henrico Imperatori fidelis, ex militari tantum ordine fuerat oriundus; nonniſi poſt Ulricum de Cosheim & Eberhardum, Regis miniſterialem, a Lamberto poſitus. (z)

IV. Bertoldum I. Carinthiæ Ducem, Zaringenſis Domus ſatorem indubium, ſyſtema Wattevillianum ex Genealogia Zaringica omnino eliminat; Bertoldum II. vero, qui certus quoque, ut oſtendimus, Bertoldi Carentani filius fuit, in partes diſcerpit. Uno in loco effictæ Burgundo-Zaringicæ Domui adſcribitur; alio Landolus ex Habsburgica gente ei avus aſſignatur. Bertoldus III. vero, Bertoldi II. filius, præteritur ſilentio, geſtaque ejus patri tribuuntur, atque adeo omnis Bertoldorum ſeries intervertitur, quam per evidentia documenta ſtabilivimus ſupra.

§. XVI.

(y) A. 1077. apud. PISTOR. Tom. I. pag. 423.

(z) Ejusdem fortis fratrem habuit hic Bertoldus Lupoldum, quem inter familiares Henrici nominat BRUNO *de Bello Saxonico* pag. 208. apud FREHERUM Tom. I.

Digitized by Google

§. XVII.

Aliæ rationes.

Vinculum ergo, quod inter Rudolphos, Burgundiæ Reges, & Bertoldos, Zaringiæ Duces, hoc ſyſtemate effingitur, nequit admitti. Conradus Zaringiæ, Dux, ex Zaringenſibus primus à Cæſare conſtitutus eſt Burgundiæ Rector, & Burgundica bona primus acquiſivit; uti Advocatiam Helvetico-Turicenſem pater Conradi, Bertoldus II. obtinuerat primus. Cæſarem politicæ induxerunt rationes, ut Rectoratum extero potius, quam Burgundo committeret. Burgundis intolerabile viſum eſt, gubernari ab extero.

Ex maſculo Regum Burgund. ſanguine Zaringi ſi duxiſſent originem, cum Rudolpho III. qui communi conſenſu poſtremus Transjuranæ Burgundiæ Rex dicitur, non finita fuiſſet illa Burgundica Domus, ſed in Zaringico ſuperſtite ramo conſtanter duraſſet. Rudolphorum, Burgundiæ Regum, ſucceſſores fuiſſent in Burgundiæ Regno Zaringiæ Duces. Unde ex Regia Burgundionum ſtirpe eos prodiiſſe, aſſeri nequit. (a)

(a) Aſſerit idem VIGNIERIUS in *Chron. Burgund.* pag. 120. ſed nexum non oſtendit, quem per feminas deduxiſſe videtur.

Digitized by Google

Burgundicarum Rerum noſtri temporis ſcriptor DUNODUS (*b*) Zaringiæ Duces non quidem ex Regio, at ex Burgundicorum tamen Magnatum ſanguine deſcendere exiſtimat, qui poſt Rudolphum III. in Dynaſtiis ſuis ſibi vindicaverint primatum; ſed aſſerta non probat.

Amica hæc diſputatio non offendet Scriptorem, quem præter alias virtutes amor veri commendat.

(*b*) *Hiſtoire du Comté de Bourgogne* Lib. III. pag. 121.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT VII.

POTENTIA, PRÆROGATIVÆ ET JURA ZARINGICÆ DOMUS.

§. I.

Memorabiliora Zaringicæ Domus fata cum revolvimus animo, ſingulos ejus Duces ſingulare quid apud poſteros commendare reperimus. Singulor. Ducum; memorabilia.

Bertoldus I. Genti ſuæ intulit *Ducis* axioma ; ſecundus Advocatiam Turicenſem. Tertius condidit Friburgum Brisgoviæ. Conradus Rectoratum Burgundiæ accepit. Bertoldus IV. Helveticum Friburgum exſtruxit. Bertoldus V. fuit conditor Bernæ. Primus in Monaſterio Hirſaugienſi ; poſtremus Friburgi Brisgoviæ, intermedii omnes in San-Petrina Nigræ Silvæ eccleſia ſepulti ſunt. (*a*)

(*a*) Vide ſupra in Bertoldo II. §. IX. & X. pag. 81. ſqq.

Digitized by Google

§. II.

Guelphicæ factionis Patroni.

Iidem Duces nunc ad Carinthiæ, nunc ad Sueviæ Ducatus, nunc ad Burgundiæ & Arelatenſis Regni Rectoratum, denique ad Imperii ſolium vocati, in Hohenſtaufiis perpetuos experti ſunt æmulos, qui Guelphis & Zaringis ſemper fuere infeſti.

Communem Familiarum hæc triga patriam Alemanniam habuit. Enimvero vicinæ Hohenſtaufìcæ Domus potentia non potuit non odium inſpirare Zaringis, quos bis ablatus eis per Hohenſtaufios Sueviæ Ducatus urebat; Ducatus, quem bis fortuna Zaringis obtulerat. Fomes funeſtæ inter has Domos æmulationis, quæ pactionibus quidem ſopita, at nunquam penitus fuit ſublata. Zaringi minuendis Hohenſtaufiorum opibus intenti, communia fere ſemper cum Guelphis contra eos conſilia fovegrunt. Unde de Zaringenſibus BROWERUS: (*b*) „ Bertoldi „ Zeringenſes, inquit, ſurrexere longa ſerie fidiſſimi Romanæ „ Sedi, atque inter ſchismatum tumultus pacis catholicæ „ propugnatores acerrimi. „

BERTHOLDUS CONSTANT. (*c*) terras Bertoldi I. & Welfonis vocat terras *Ducum Catholicorum*. Conradus Zaringius adverſus Conradum III. Imp. pro Henrico Superbo, Guelficæ

(*b*) *Annal. Trevir.* Lib. XIV. p. 75.

(*c*) Ad A. 1078.

Digitized by Google

factionis principe, arma corripuit. Bertoldus IV. licet pluribus Friderici I. Imp. expeditionibus interfuerit, ei tamen non adhæſit ex animo; uti patet ex epiſtola, quam pro Rudolpho fratre, in Archiepiſcopum Moguntinum electo, ad Ludovicum, Galliarum Regem, perſcripſit; quæ internecinum utriusque Gentis inter ſe odium teſtatur. Bertoldus V. denique Zaringenſium poſtremus, a Guelfica factione in Imperatorem electus, electioni quidem renunciavit, atque ad Philippi, æmuli ſui, adeoque ad Gibellinas partes, tranſivit, ſed potentiæ Philippi metu eum id feciſſe ex Innocentii III. literis ſupra oſtendimus.

§. III.

Splendorem Zaringicæ Domus omnia ejus ævi monumenta loquuntur. Bertoldus II. in Charta San-Petrina A. 1123. apud Schannatum (*d*) *præcelſæ Nobilitatis Vir*, & in alia A. 1126. *egregiæ Nobilitatis Vir* dicitur. Otto Frising., (*e*) Zaringis haud æquus, de eodem ſcribit Bertoldo: „ Hujus Rudolphi „ (Sueviæ Ducis, dein Anti-Cæſaris) filiam quidam *ex Nobiliſſimis* „ *Regni Optimatibus* Bertolfus nomine de Caſtro Zæringen „ habuit. „ Idem alibi (*f*) Conradum Zaringum, quem Fridericus, Nobilitas Gentis.

Z 3

(*d*) *Vindem. Literar.* Collect. I. pag. 161. ſq.

(*e*) *De Geſtis Friderici I.* Lib. I. Cap. I.

(*f*) Lib. I. Cap. XXVI.

Sueviæ Dux, poſtea Imperator creatus, A. 1138. debellaverat, *fortiſſimum* & *ditiſſimum* Ducem appellat. Et in genere de Zaringis verba faciens, quamvis caruerint Ducatu, *rerum tamen & honoris non parva* pollere magnificentia pronuntiat. (*g*)

§. IV.

Poſſeſſiones amplæ.

Primaria Zaringiæ Principum bona in Briſgovia, Ortenavia, Nigra Silva & in Suevia fuerunt. Ex Ortenavia in Franciam Teutonicam, in Alemanniam & Burgundicam ſe extenderunt Helvetiam.

Briſgovicæ.

In Briſgovia, præter Briſacum & Landgraviatum, inſignes terras allodiales habuiſſe Zaringos, vel ex ipſis illis fundationibus conſtat, quas Bertilones, Zaringorum majores, paſſim in Briſgovia feciſſe leguntur. (*h*)

Friburgum, nobiliſſimam Briſgoviæ urbem, & San-Petrinam Nigræ Silvæ Abbatiam, in ipſo Zaringorum ſolo fuiſſe exſtructas, oſtendi. (*i*) Villingam oppidum ad Friburgi hujus formam eosdem condidiſſe Duces, veteri traditione Villingani tuentur; unde Abbatia S. Georgii, a Villinga bihorio diſtans, eos ſibi Advocatos elegit. (*l*) Villingam certe bonum fuiſſe Zaringenſe, Agnetis,

(*g*) Lib. I. Cap. IX.

(*h*) Conf. HERRG. Tom. II. num. 24. & 163.

(*i*) Supra in Bertoldo II. §. IX. pag. 50. & in Bertoldo III. §. III. pag. 90.

(*l*) *Bericht von dem Gotteshauſs S. Georgen* A. 1714. pag. 13.

Digitized by Google

Bertoldi V. ſororis, charta A. 1236. docet, qua proprietatem curtis ſuæ in Villa *Vilingen* ad exſtruendum ibi Parthenium ſanctimonialibus donavit. Poſtea eum Agnetis nepotes, Conradus & Henricus, duas gentis ſuæ familias condidiſſent, Friburgenſem & Furſtenbergicam, Henricus, auctor Furſtenbergieæ, Villingam poſſedit, Caſtrum & Civitatem, teſtibus literis A. 1268. quibus Monaſterium Fratrum Minorum ibidem inſtituit.

In Ortenavia quoque Zaringos habuiſſe bona, ex confirmatione fundationis Omnium Sanctorum in Nigra Silva A. 1203. cognoſcitur, ubi Innocentius III. ait: „ a bonæ memoriæ „ Welfone Duce & Uta uxore ipſius, Duciſſa de Schawenburg, „ Hugone Duce de Ullenburg & Nobili Viro Bertholdo Duce de „ Zæringen, fundatoribus Monaſterii Omnium Sanctorum. &c. „ Bertholdos Ortenaviæ Comites, Chartæ ſeculi XI. ineuntis declarant. (*m*) Ortenavicæ.

Gentilitias quoque terras in Sueviæ Ducatus meditullio poſſediſſe Zaringos, Friderici I. Imp. Charta A. 1157. Goslariæ data, nos docet. (*n*) Nec prætereundæ ſilentio Ducum Teccenſium terræ; quæ allodia Zaringicæ Domus Adelbertus, Teccenſium ſator, Conradi Zaringi filius, accepit. Suevicæ.

(*m*) Vid. ſupra Lib. I. Cap. IV. §. VIII. pag. 35.

(*n*) Vide in Conrado Duce §. XVI. pag. 121.

Digitized by Google

Annumerandæ his denique terræ Badenſes & Backnangenſis ille tractus, ubi Hermannus II. & III. ſepulti.

§. V.

Advocatia Turicenſis.

Patrimonialibus his Zaringenſium bonis ſub Henrico IV. Imp. Advocatia Turicenſis; (*o*) ſub Lothario II. totius Burgundiæ & Arelatenſis Regni Rectoratus acceſſit. Advocatiæ Turicenſis natura & indoles ſub Zaringiæ Ducibus ex ipſis Advocatorum titulis dijudicanda eſt. Bertoldus V. in literis ſuis, Collegiatæ Turicenſi A. 1187. datis, ita loquitur: „ Berchtoldus de Zaringen, „ Dux & Rector Burgundiæ, Dei & Imperiali gratia Thuregici „ loci legitimus Advocatus, quod Kaſtvoget dicitur. „ (*p*)

In Charta Burgdorfii ſcripta A. 1210. Bertoldus de ſe ſcribit: „ in oppido Turicenſi & locis & diſtrictibus circumquaque „ vicinis, Imperatoris gratia ipſius locum tenens. „ (*q*) In alio ejusdem anni & loci inſtrumento idem „ Dei & Imperatorum ac „ Regum dono conſtitutus Judex & Advocatus, qui vulgo Kaſtfogt „ dicitur, id eſt, in omne Thuregum Imperialem jurisdictionem „ tenens, „ Ludovici Regis acta roboravit. (*r*) Addit ibidem hæc

(*o*) Vid. Bertoldum II. §. VII. pag. 77.

(*p*) Ex autographo Turic. Minus accurate HOTTINGER. *Hiſtor. Eccleſiaſt.* Tom. VIII. pag. 58.

(*q*) HOTTINGER *Spec. Tigur.* pag. 32.

(*r*) Ibid. pag. 237.

hæc verba : „ Imperiali auctoritate , qua ſuper univerſum „ Thuregum nos aliique noſtræ proſapiæ deceſſores Dei Regumque „ ac Imperatorum dono præditi ſumus.

Advocatia Turicenſis ergo non tantum in Monaſteria urbis, ſed in ipſam urbem & ejus agrum ſeſe extenderat ; unde ea ab OTTONE DE S. BLASIO (s) *Comitatus Turicenſis* vocatur.

Ad diverſos hos Bertoldi V. titulos annoto, quod in Chartis Turicenſibus formulam *Dei & Imperiali gratia*; in Burgundicis *Dei gratia* adhibuerit. Peculiari Friderici I. Imp. favore Advocatiam Turicenſem , aliquandiu amiſſam , Bertoldus recepit.

Præter Advocatiam Turicenſem vicinæ quoque Turicenſi Pago Abbatiæ Benedictinæ Steinenſis ad Rhenum Advocatiam poſſederunt Zaringi, ut ex Rotuli San-Petrini Charta, circa Ann. 1152. ſcripta, addiſcimus ; in qua Conradus, Zaringiæ Dux, San-Petrinæ & Steinenſis Eccleſiarum Advocatus vocatur. (t) Advocat. Monaſt. Stein.

(s) Cap. XXI.

(t) Monaſterium hoc , primitus fundatum in Hohentwiel A. 966. ab Hedwige, Burcardi, Sueviæ Ducis, uxore, translatum eſt in Steinam A. 1005. Henrici II. Germaniæ tum Regis conſenſu. Twiela a Sueviæ Ducatu in Bertoldi II. Ducis , Duçatui huic renuntiantis , gratiam avulſa fuiſſe videtur. BLUNTSCHLI *Memorabilia Tigurina* pag. 435.

Digitized by Google

§. VI.

Regnum Burgund.

Burgundici Regni Rectoratus in Zaringica Gente præſertim memorabilis eſt.

Arelatenſis & Burgundici Regni nomina tum fuere promiſcua; quod ſub Rudolpho II. Burgundiæ Rege, Regna hæc duo in unum coaluerant corpus.

Conradus in ſolenni Procerum Burgundiæ Conventu An. 1038. filio illud ſuo tradidit Saloduri, ubi eum *Burgundiæ* Regem juſſit coronari. (*u*)

Henricus ad Imperii Germaniæ ſolium promotus, Burgundiam ſibi retinuit, atque ſine Rectore, inter varia fata (*x*) dum viveret, adminiſtravit. Poſt mortem ejus vidua Agnes, tutrix Henrici IV. Rudolpho, Rheinfeldenſi Comiti, Mathildim filiam in matrimonium collocavit, & præter Sueviæ Ducatum, Regnum quoque Burgundiæ ei adminiſtrandum commiſit. (*y*)

Extincto Rudolpho, qui Anti-Cæſar electus fuerat, Burgundia ad Henricum IV. Imp. rediit, An. 1080. qui Henrico filio hoc regnum reliquit. Turbæ illis temporibus inter Imperium & Sacerdotium commotæ, fecerunt, ut Burgundiæ curam

(*u*) WIPPO in *Vita Conradi Salici* apud PISTOR. Tom. III. pag. 482.

(*x*) HERMANNUS CONTRACT. ad A. 1042. 1044. 1045.

(*y*) Vide Caput præced. §. XV. pag. 174.

Digitized by Google

Imperatores negligerent, donec Lotharius Saxo Imp. priſtina Regum jura ſibi denuo vindicaret, eorumque adminiſtrationem, ſub *Rectoratus* nomine, ut vidimus, Conrado, Zaringiæ Duci, committeret.

§. VII.

Rectoratus hic ab initio Transjurenſe Burgundicum Regnum omne & Arelatenſe reſpexit; ſed poſt Transactionem cum Friderico I. Imp. Ann. 1156. initam, (z) Burgundia Transjurenſis ſeu Helvetica ſola, a Juraſſo ad montem uſque Jovis, obedivit Bertoldis. Tractus iſte Pagum Aventicenſem, (a) Vaudenſem, (b) Argoviam, Valleſiamque complectitur. **Rectoratus Burgund.**

Reperimus in eo potentes Comites atque Dynaſtas; quos inter præcipui Thunenſis, Kiburgenſis, Burgdorſienſis, Novi-Caſtrenſis, Nidoviæ, Arbergæ, Strasbergæ, Romontii, (c) Froburgi, Bucheckii, Montenachii, de Turre, (d) Granſonii, Falckenſteinii, aliique. Hi omnes indigne tulerunt, exterum a Cæſare datum eſſe Præfectum, lingua moribusque diſſimilem, qui titulo Rectoris jura Regis exerceat.

Aa 2

(z) De qua in Bertoldo IV. §. V. pag. 127.

(a) *Uchtland.*

(b) *Pays de Vaud*, Germ. *die Waat.*

(c) *Remund* Germanice, Rotundus Mons, oppidum in Helvetico Pago Friburgi.

(d) *Von Thurn.*

Perpetuæ hinc Zaringorum cum illis ceteriſque cum Primoribus Burgundicis lites. Hi indigenis Regibus ſuis, Rudolphis, quum non bene paruerint, ut Wippo nos docet, quid mirum, Rectoribus exteris eos male paruiſſe? Burgundicus Rectoratus per XC. fere annos in Zaringorum manibus fuit, & cum illis Ann. 1218. concidit. Burgundia ergo Helvetica cum Præfectura Turicenſi & reliqua Helvetia Alemannica ad Imperium rediit; à quo deinceps pedetentim avulſæ ſunt. Præcipuas Rectoratus Burgundici partes Bernenſes, Friburgenſes & Salodurenſes nunc poſſident.

Rectoratus hic per univerſum Burgundiæ vel Arelatenſe Regnum ſeculi fere ſpatium explens, evidentiſſimum hujus Regni cum Germanico Imperio nexus documentum eſt. Et tamen vel nulla, vel obiter tantum ejus mentio fit apud ſcriptores Juris publ. Germaniæ, ſpeciatim eos, qui Burgundici Regni cum Germanico nexum tractarunt.

§. VIII.

Zaringorum in Burgundia poteſtas non propria, ſed adminiſtratoria fuit. (e)

Indoles ejus.

(e) GUNTHERUS in *Ligurino* ait:

Nomine Conrado fiſci conceſſit habendam.

Ipſum *Rectoris*, ut & *Advocati* nomen poteſtatem vicariam, non propriam, denotat.

Bertoldus IV. omne jus, quod ſuper Civitatem Viennenſem Allobrogum habuit, in Guidonem Andream, Delphinum, A. 1155. transtulit. Cæſaris approbatio deinceps acceſſit. Zaringi enim Rectores & Gubernatores Burgundiæ, nonniſi Vicarii Cæſaris in Burgundia erant. Ita ſane Fridericus I. Imp. in Aurea Bulla, A. 1162. Genevenſi Epiſcopo Arducio data, (*f*) Bertoldum IV. appellat. Adminiſtratoria autem hæc poteſtas cum ſimul quoque hereditaria fuerit, multa pedetentim allodia in Helvetia Burgundica & Alemannica acquiſiverant Zaringi, quæ deinceps ad Kiburgios tranſierunt.

Securitatis publicæ cauſa Morgeam, Minidunum & Ebrodunum (*g*) condidit vel inſtauravit Conradus. Filius & ſucceſſor ejus Bertoldus IV. Friburgum, Bertoldus V. Bernam, Uchtlandiæ urbes, ædificarunt. Hic An. 1190. muris quoque cinxit Burgdorſium. (*h*)

Rectores porro belli temporibus evocati a Rege, copias in auxilium ejus duxerunt.

Bertoldus IV. crebris Friderici I. in Italiam expeditionibus iuterfuit, & ipſe nonnunquam Ducis munia obiit. (*i*)

(*f*) SPON. *Hiſt. de Geneve* Tom. II.

(*g*) *Morges*, *Moudon* & *Yverdon.*

(*h*) Supra in Bertholdo V. §. II. p. 151. Add. TSCHUDI Part. I. L. II. pag. 94.

(*i*) Vid. ſupra in Bertoldo IV. §. XI. pag. 136. ſq.

Advocati Eccleſiarum ſanguinis banno licet inveſtirentur a Rege, ipſi tamen ſubordinati erant Rectori, cauſam coram eo dicturi, quoties officii ſui limites migraſſent. (*l*) Terræ quoque ad fiſcum regium pertinentes, ſuberant poteſtati Rectoris. Rex donationem ex ejusmodi bonis facturus, Rectoris adhibebat conſenſum. Ita ſane Henricus IV. Imp. Monaſterio Rueggisbergenſi Minoris Burgundiæ, conſenſu Rudolphi Ducis & *per manum ejus*, fecit donationem. (*m*) Conradus III. Imp. Eccleſiæ Interlacenſi fiſcalia quædam bona collaturus, conſenſum Ducis expetiit, & tum demum donatio facta. (*n*) Rector tamen Advocatiam in bona donata nonnunquam retinuit. (*o*) Sic & feudorum in Burgundia conceſſio a Rectore firmata eſt. Burcardus, Salodurenſis Præpoſitus, & ejus Confratres An. 1181. feudum dederunt Udalrico de Novo Caſtro. Bertoldus IV. donationem roboravit. (*p*) Burgundi denique Chartas ubi expediverunt, addita quoque fuit mentio Ducis. Literæ fundationis Monaſterii Frienisbergenſis A. 1131. ſcriptæ dicuntur, *Ducatum Burgundiæ nobiliter regente*

(*l*) Conf. Privilegia Eccleſiæ Interlacenſi a Lothario & Conrado Imperatoribus conceſſa.

(*m*) Conf. Charta Henrici IV. Monaſterio Rueggisberg. data An. 1076.

(*n*) Privilegium Eccleſiæ Interlacenſi datum An. 1146. & aliud Frid. I. vid. in Cod. Diplom.

(*o*) Conf. Privileginm modo alleg.

(*p*) TSCHUDI *Chron. Helvet.* pag. 90.

Digitized by Google

Duce Conrado. Rudolphus de Thierſtein Monaſterio Frienisberg. quædam A. 1208. donaſſe ſcribitur, *Ducatum Burgundiæ potenter regente Duce Berchtoldo.*

§. IX.

Inter Bertoldi III. Miniſteriales atque Clientes An. 1112. comparent: „ Cuno de Blanckenberg, Reinhardus de Weiler, „ Gervordus de Verſtatt, Henricus de Owen, Giſilwerdus de „ Weder. „ (*q*) Fratri ejus, Conrado Duci A. 1123. adſcribuntur: „ Rudingerus miles, Bertholdus de Muſinheim & duo filii ejus, „ Rodolphus & Bertholdus, Egilolfus de Blanckenberg, Wernherus „ & frater ejus de Altinchoven, Hugo de Modelheim, Bivo de „ Heppenheim. „ (*r*) *De Domo Ducis* A. 1148. memorantur: „ Adalbertus de Scopfheim, Adalbertus & frater ejus Conradus de „ Stouſinberc, Sarnagal de Appinwilre, Sighelm de Tatenwilre, „ Burchart de Stouſinberc, Adalbertus de Baden &c.

Miniſteriales Ducum Zaring.

Cum Bertoldo IV. Conradi filio, An. 1152. in Abbatia S. Petri clientes occurrunt: „ Odalricus de Alemar, Wernherus „ de Roggenbach, Wernherus de Reinvelden, Dapifer, & frater „ Gerhardus, Waltherus de Tachwangen, Cono de Blankeneck. „ (*s*)

(*q*) SCHANNAT. *Vindem. Liter.* Collect. I. pag. 180.

(*r*) Ibidem pag. 161.

(*s*) Ibidem.

Digitized by Google

Traditioni, eidem Abbatiæ circa hunc annum factæ, cum Clementia Ducifſa, Conradi vidua, *de Domo Ducis* interfuerunt „ Conradus de Rinvelden, Odalricus & fratruelis ejus Conradus „ de Aleina, Gotefridus de Rotwila, Heinricus de Scopfheim, „ Gerunc de Tittinshuſen, Reginboto de Oſmaningen, Reginhardus „ de Valchenſteina, Reginboto de Slatta, Conradus de Zaringen. „

Bertoldi IV. ſoror Clementia dotis loco a patre, adeoque inter allodia, Miniſteriales centum, uti ſupra docuimus, (*t*) An. 1157. acceperat.

§. X.

Tituli. BURCKHARDUS, Monachus S. Galli, ſeculi XIII. ſcriptor, (*u*) Bertoldos I. & II. titulo *Marchionis* præfracte inſignivit, forte, quod Marchiones Badenſes, ipſorum nepotes, Marchionis quoque axiomate inſignitos conſpexit. *Carinthiæ* vero *Ducis* titulo Zaringenſes non uſi ſunt, quod Ducatu hoc carerent. Uſos tamen eſſe titulo inani aſſerit ERASMUS FROELICH, (*x*) Carinthiæ & Zaringiæ unum idemque exiſtimans nomen. Verum Chartæ, quas allegat, corruptæ ſunt. (*y*) Extant quidem ſcriptores, qui Bertoldos,

(*t*) Vid. in Conrado §. XVI. pag. 121.

(*u*) Vid. ſupra in Bertoldo I. §. VII. pag. 50.

(*x*) *Archontologia Ducum Carinthiæ* pag. 26.

(*y*) Ut ipſe fatetur pag. 44.

Digitized by Google

Bertoldos, Bertoldi I. nepotes, *Carinthiæ Duces* appellant, (*z*) ſed nominum Zaringiæ & Carinthiæ affinitas eos decepit. Prius nomen ex poſteriore prognatum crediderunt.

Titulus *Zaringiæ Dux* ante Bertoldi III. tempora, ut dictum eſt, nec in Chartis, nec in ſynchrono ſcriptore occurrit. Lambertus Schaffnaburg. Bertoldum I. vel ſimpliciter Ducem, vel Carentinorum aut Carentanorum Ducem, memoria geſti nuper Ducatus, appellat. Otto Frising. (*a*) qui Ann. 1158. deceſſit, Bertoldum II. de *Caſtro Zeringen*, Rudolphi Anti-Cæſaris filiam in matrimonio habuiſſe ſcribit. Albertus Argent. in *Fragmento Urſtiſiano* (*b*) eundem Bertoldum *de Zeringen*, Ducem Sueviæ electum fuiſſe obſervat, ſed uterque anticipando eum ita vocavit.

Advocatiam Turicenſem Domui ſuæ, ut vidimus, junxerat Bertold[illegible] II. Nepos & pronepos Bertoldus IV. & V. *Advocati Turicenſis* titulo in Chartis ſunt uſi. (*c*)

Acquiſito Burgundiæ Rectoratu, acceſſit titulus *Rectoris Burgundiæ*; quo nomine ab Imperatoribus inſigniuntur in Chartis,

(*z*) Annalista Saxo hinc inde. *Chronicon S. Pantaleonis* ad An. 1106. 1114. apud Eccard. Tom. I. pag. 924. 926.

(*a*) *De Geſtis Friderici I.* Lib. I, Cap. VII.

(*b*) Ad An. 1092.

(*c*) Conf. §. V. pag. 157.

Digitized by Google

& ipſi in ſigillis Burgundicis ſe deſignare ſolebant; (*d*) ubi *Duces* & *Rectores* Burgundiæ conjunctim vocantur. Axioma Ducis ad Burgundiam referri non debet, cum diu ante acquiſitam Burgundiam *Duces* dicerentur. Unde nonniſi improprie ſe Burgundiæ Duces (*e*) ſubinde ſcripſerunt, uti & ipſum quandoque Burgundiæ Regnum improprie Ducatus nomine venit. (*ſ*)

Burgundiæ vel Arelatenſe Regnum, poſt eorum conjunctionem, promiſcue appellatur. Fridericus I. & Carolus IV. Imperatores, Regni Arélatenſis corona coronati fuerunt. (*g*)

Rem omnem decidit Charta, quæ literas Bertoldi IV. ad Abbatem Cluniacenſem continet, in qua Bertoldus diſtincte *Dux* de *Zeringen* atque *Burgundiæ Rector* nominatur. (*h*) Idem in ſigil'o Bertoldi IV. obſervamus, quod Chartis ejus hinc inde

(*d*) Sigillum Bertoldi IV. adjectum Chartæ A. 1157. Altæ-Ripenſibus datæ.

(*e*) Rudolphus quidem Sueviæ Dux, qui regnum quoque Burgundiæ ab Agnete Imperatrice acceperat, hinc inde jam Dux Burgundiæ a ſcriptoribus appellatur, cui errori originem dedit Sueviæ Ducatus, quem cum Regno Burgundiæ Rudolphus tenuerat.

(*ſ*) Conf. Charta fundationis Monaſterii Frienisburg. de A. 1131. & alia Charta donationis, eidem Monaſterio factæ, A. 1208.

(*g*) Elector Trevirenſis vocatur Archi-Cancellarius per Regnum Arelatenſe

(*h*) GUICHENON. *Biblioth. Sebus.* Centur. II. num. 64.

Digitized by Google

appenſum, ubi ille diſtinctis dignitatibus *Dux Zeringiæ & Burgundiæ Rector* exprimitur. (*i*)

§. XI.

Gentilitia Zaringiæ Ducum inſignia primum exprimuntur in Charta A. 1157. qua Bertoldus IV. Abbatiam Ciſtercienſium Altæ Ripæ a pedagiis & teloniis liberat. Sigillum in ea viſitur cereum, ubi leo aureus in area rubra, a dextra ad ſiniſtram ſaliens. Ejusdem formæ aliud eſt Bertoldi IV. ſigillum, quod literis ejus ad Friburgenſes pro immunitate Monaſterii Altæ Ripæ ſcriptis A. 1179. adhæret. Leonem rubrum, auro coronatum, in area argentea Landgraviatus Brisgovici inſigne fuiſſe arbitratur SPENERUS. (*l*) Sed ſigillum Altæ Ripæ eum facile confutat. Zaringos Brisgoviæ Landgravios fuiſſe nulli dubitamus. Burgundiæ autem Rector Landgraviatus Brisgovici ſigillum Burgundicæ cur adpenderet Chartæ? Inſignia Gentilitia.

Sed & porro legiſſe ſe perhibet Spenerus, Landolinum & Bertilonem, Guntramni Divitis filios, circa milleſimum annum, in ſigillis fundationis Sulzbergenſis Cœnobii comparere,

(*i*) Miror equidem TOBIAM PFANNERUM in Libro de *Præcipuis Germaniæ Principum Gentibus* Cap. IX. pag. 270. ſcribere auſum, Zaringios Burgundiam titulo magis tenuiſſe, quam uſu.

(*l*) *Operis Herald.* Part. Spec. Lib. II. Cap. IV. §. II. pag. 380.

Digitized by Google

ut & leonem coronatum, cauda biſulca & in pavoninas oculatas pennas terminata. Addit: „ Apex protome leonis rubei coronati, „ cujus collum & dorſum ornamento dentato aſperatur, cujus „ ſinguli dentes pavoninis pennis ornantur; cui apici poſtea „ ſucceſſere duo cygnorum colla & capita. „ Verum enimvero hujus generis nihil in ſigillo Bertilonis & Bertoldorum occurrit; nec occurrere poteſt. Simpliciſſima fuerunt illius ævi ſigilla, (*m*) omnis ornatus & apparatus, quem ſequentia ſecula addiderunt, ignara.

§. XII.

Sedes Ducum.

Primi Zaringiæ Duces Briſaci & in Caſtro Lyntberg haud procul Hirsaugia; poſteriores in Caſtro Zaringiæ commorati ſunt. Florentibus eorum in Helvetia rebus, ſedem ſuam ſæpe habuerunt Saloduri, quandoque Burgdorſii. (*n*) Bertoldus IV. in Suevia Uberlingæ habitavit nonnunquam, ut ex Charta An. 1152. apparet. (*o*)

(*m*) Heinneccius *de Sigillis*, Part. I. Cap. X. num. 3. pag. 131. & Part. II. Cap IV. num. 4. pag. 215.

(*n*) Joachimus Vadianus de *Obſcuris Alemannicorum verborum ſignificationibus*, in Goldasti *Scriptor. Rer. Alemannicar.* Tom. II. pag. 63.

(*o*) Schannat. *Vindem. Liter.* Collect. I. pag. 163.

Digitized by Google

§. XIII.

Monumenta Zaringica perpauca cognoſcimus. Ex ſtatuis ſola Bertoldi V. ſupereſt, quam ſupra (*p*) exhibui, ſervatam Friburgi. Monaſterium San-Petrinum, niſi flammis toties fuiſſet conſumptum, pleraſque, ſepulcris impoſitas, adhuc nobis oſtenderet. Monumenta Ducum.

Baſilica Friburgenſis, cum nobili ſua turri, artificio operis nulli ſecunda, ſplendidum Zaringicæ magnificentiæ & pietatis monumentum eſt.

Annumeramus ei eccleſias & turres, quas in Helveticis & Burgundicis partibus apud Bernates, Friburgenſes, Burgdorſienſes &c. pietas Zaringorum erexit.

Ex monumentis profanis rudera deſtructi Zaringiæ Caſtri haud procul Friburgo, & ferrea illa turris Briſaci, a nobis quoque ſuperius exhibita, ſuperſunt. Turris hæc ad annum usque 1745. perſtiterat integra, quo everſæ ſunt Briſaci munitiones. In duas turris tum fiſſa eſt partes; prouti icon, ſuperius (*q*) à nobis exhibita, eam repræſentat.

(*p*) Vide pag. 160.

(*q*) Pag. 127.

Ex nummis Bertoldinis cujuscunque metalli, eorum tempore cuſis, mihi nullus obvenit. Illos enim non computo, quos, extincta jam Zaringorum gente, Berna, conditoris ſui memoriam conſtanter venerata, percuſſit; in quibus Bertoldi nomen, ſed non imago ſpectatur

Inter diplomata Zaringica Friburgenſis illa privilegiorum & Juris ſtatutarii Charta, ut & Rotulus San-Petrinus primum occupant locum.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

ZARINGICARUM TERRARUM DIVISIO.

§. I.

Prima Zaringicorum bonorum diviſio facta eſt mortuo Bertoldo I. inter filium ejus Bertoldum II. & ex Hermanno I. triennio ante apud Cluniacenſes defuncto, nepotem, Hermannum II; quorum ille Zaringicas Brisgoviæ præcipuas cum Suevicis terras; hic paternum *Marchionis* titulum continuans, Hachbergica, Ortenavica & Uſgovica bona avi ſui accepit. Unde Bada Uſgoviæ, Marchioni ſubjecta, pedetentim *Marchionatus* elogio cœpit ornari. Secunda diſtractione Adelbertus, Bertoldi IV. frater, terras illas Teccenſes, ut peculiarem Dynaſtiam, ſortitus eſt, quæ deinceps conſuetudine & uſu formulam induerunt *Ducatus*, quod Adelbertus, ejusque ſucceſſores Teccenſes, Ducali ſanguine nati, nomine Ducum inſignirentur. Poſtrema Zaringenſium terrarum diſtractio

Diviſiones tres.

Digitized by Google

facta eſt, quum linea Zaringenſis A. 1218. periiſſet. Tum vero ad proximos agnatos, TeccæDuces, Bertoldi V. patrueles, & Hermannum IV. Marchionem Badenſem, patrimoniales Zaringicæ terræ tranſituræ videbantur; ſed omnia allodia ad Bertoldi V. ſorores, Agnetem & Annam, tranſierunt.

§. II.

Bertoldi V. heredes.

Ex feudis ad lineam Badenſem præter Landgraviatum Briſgoviæ (*a*) nihil, quantum novi, pervenit. Teccenſes jura ſua, ut in iis mox videbimus, Friderico II. Imp. vendiderunt. Fridericus hic Civitatem Friburgi in Briſgovia, Bernam, Friburgum (*b*) & Salodurum in Helvetia Burgundica, Turicum cum Præfectura in Helvetia Alemannica, & Rheinfeldenſem Comitatum in ſuam, Imperii nomine, poteſtatem revocavit; unde lites inter eum & ſorores Bertoldi V. earumque maritos.

Uraci Comes.

Uracenſis Egeno, (*c*) maritus Agnetis, anno ſequenti, Ulmæ primum, dein Hagenoæ cum Imperatore tranſegit; (*d*) qui

(*a*) Vid. infra Lib. III. Caput de Landgraviis Briſgoviæ.

(*b*) Bernam & Friburgum a Bertoldo V. adhuc vivente traditas fuiſſe Friderico II. Imp. ſcribit GUILLIMANNUS *Habsb.* L. VII. Cap. II. p. 343.

(*c*) Caſtrum *Urach* non Wirtenbergicum illud notum, ſed aliud Nigræ Silvæ Caſtrum fuit. Utrumque ad Furſtenbergios pertinuit.

(*d*) Ut ipſe Fridericus II. Imp. in Charta A. 1219. Hagenoæ data teſtatur, quam in Documentis exhibemus.

Digitized by Google

qui Friburgum & alia eidem reſtituit. Hoc modo Egeno, cognomento *Barbatus*, (*e*) Suevicas & Silvæ Nigræ terras cum Friburgo, Brisgoviæ civitate, in proprio Zaringorum fundo exſtructa, (*f*) accepit. Idem Egeno ſane in Charta An. 1219. Friburgum Civitatem *ſuam* vocavit. Hic deinceps in monte vicino caſtrum exſtruxit, ut Friburgenſes in obſequio contineret. In Caſtro hoc, quod *Burghald* vocabant, (*g*) diu habitavit Egenonis progenies, titulo Comitum Friburgi clareſcens; a quibus urbs An. 1368. libertatem redemit; brevi poſt in Auſtriacam tranſitura ditionem, ut infra docebitur. (*h*)

§. III.

Altera Bertoldi V. ſoror, Anna, uxor Ulrici, Comitis Kiburgi, ex quo matrimonio Heilwigis, mater Rudolphi Kiburgi Comes.

(*e*) Egino Comes, Agnetis maritus, in Charta Tennebac. An. 1220. Friburgum Civitatem fundatam eſſe ſcribit „ ab illuſtribus Ducibus Zaringie, „ progenitoribus uxoris mee, Domine Agnetis Comitiſſe, cujus ego „ jure matrimonialis conſortii advocatus exiſto &c. „

(*f*) Vide ſupra in Bertoldo III. §. III. pag. 90.

(*g*) KIEFFER *de Domo Habsburgo-Auſtr.* pag. 146.

(*h*) Cap. X.

Habsburgici, nata eſt, (*i*) allodialia Helvetiæ bona accepit, quæ Conradus Zaringus, ex familia ſua primus Regni Burgundici Rector, ut & filius ejus neposque ab A. 1127. usque ad A. 1218. acquiſiverunt. Burgdorſii Comitatus Helvetiæ in Kiburgenſium Comitum manibus ad extinctam eorum gentem usque permanſit. Sedes Comitum in ſublimi fuit caſtro, quod imminet oppido. Comitatus hic Clementiæ, Bertoldi V. viduæ, a marito in dotalitium

---

(*i*) *Kiburgi Comitum Tabula* :

ULRICUS. (*Charta A. 1218. Herrgott.*) Uxor Anna Zaringica, Bertoldi V. ſoror. *Chron. Conſtant.*

Filii Ulrici. Charta 1223. Herrg.

HARTMANNUS. *Charta* A. 1271. apud *Herrg.* Rudolphus I. eum vocat avunculum. *Herrg.*	WERNER. Hunc Annæ Zaring. maritum facit *Guillim.* de *Reb. Helvet.* L. II. C. 15.	HEILWIG. Uxor Alberti Habsburgici.
	HARTMANNUS junior, Rudolphi I. conſobrinus, poſſeſſor Burgdorſii. *Charta Ann.* 1275. ap. *Herrg.*	RUDOLPHUS HABSBURG. Romanorum Rex nat. 1218.

Unde *Annales Colmar.* ab initio : „ natus eſt (Rudolfus) de „ progenie Ducis Zeringiæ eodem Anno 1218. quo Bertoldus „ deceſſit.

deſtinatus fuerat. Sed Comes Egeno captivam eam tenens, occupavit Comitatum, qui tamen deinceps ad Kiburgenſes pervenit. Reliquæ Burgundicæ apud Helvetios terræ ita diviſæ, maximam ut Pagi Vaudenſis partem Sabaudiæ Comes, (*l*) aliam ejusdem Vaudi & Uchtlandiæ partem Lauſannenſis Epiſcopus, Kiburgi, Grierii, Novi Caſtri Comites & Granſonii Dynaſta aliique acceperint.

§. IV.

Berna Ottonem Comitem de Regenſperg Advocatum Imperii ab initio habuit; ſed brevi poſt ab omni Advocatia liberata, (*m*) Civitas Imperii libera evaſit. Henricus VII. Romanorum Rex A. 1224. V. Kal. Jan. Bernæ judicium habuit. (*n*) Berna.

Friburgum ejusdem, uti Berna, Uchtlandiæ civitas, a Friderico II. Imp. An. 1219. Hagenoviæ libera Imperii urbs agnita, protectorem primo Comitem Kiburgi, qui Burgdorfii Friburg. Helvet.

(*l*) Guichenon. *Hiſt. de Savoye.*

(*m*) Nauclerus Vol. II. Generat. XXXIX. fol. 754. Simlerus in *Helvetia*, Art. *Berna.*

(*n*) In ſententia, quam pronuntiavit, Henricus ait: „ Coram nobis jam „ pridem apud Bernum in judicio reſidentibus &c. „ In fine ait: *Datum* „ apud *Bernum.*

ſedebat, atque deinceps extinctis Kiburgiis, Habsburgenſes ſibi Advocatos elegit; (*o*) fœderi denique acceſſura Helvetico. (*p*)

Turicum. Turicum, poſt Zaringos, pleniorem quoque immunitatem Civitatis liberæ, uti Friburgum accepit & Berna. Zaringenſes jus eligendi ſenatum & Advocatiam in Monaſteria illius urbis exercuerunt. Hanc Fridericus II. Imp. in ſpecialem Imperii tutelam recepit, ac jus eligendi ſenatum transtulit in cives, (*q*) addiditque, urbem ab Imperio nunquam poſſe ſejungi. A. 1251. foſſa fuit munita & vallo, atque cum Suitenſibus & Uraniis fœdus inivit; donec Helvetico majori fœderi A. 1351. acceſſit.

(*o*) GUILLIMANNUS de *Rebus Helveticis* Lib. III. Cap. IX.

(*p*) An. 1481.

(*q*) BLUNTSCHLI *Memorabilia Tigurina* pag. 344.

CAPUT

CAPUT IX.

TECCAE DUCES.

§. I.

Tecca Caſtrum cum Dynaſtia in Suevia ad flumen Lauter, haud procul ab oppidis Kirchheim & Weilheim, antiquum Zaringicæ Domus allodium fuit, ut ſupra oſtendimus; *(a)* a Ducalis dignitatis Dynaſtis poſſeſſa, nunquam verus Ducatus. Dynaſtia Teccenſ.

§. II.

Duces hos e Zaringico ſanguine fuiſſe oriundos, juniores quidem magno numero ſtatuunt, *(b)* ſed nexum non probant. Origo Ducum.

(a) Crusius in *Annalib. Suev.* Lib. II. Part. III. pag. 124. tradit, Agnetem quandam Teccenſem ad Habsburgenſes matrimonio; atque deinceps dono Henrici IV. Imp. ad affinem ejus Rudolphum, Sueviæ Ducem; ab hoc ad Bertoldum II. Zaringiæ Ducem perveniſſe. Quam falſa hæc ſint, ex iis, quæ in Bertoldo I. §. XII. pag. 56. ſq. ſupra docui, elucet.

(b) Manlius, Crusius, Henninges, Herzogius, Lucæ, Imhoffius, Spenerus.

Digitized by Google

Nexum nec chartæ, nec ſcriptores antiqui diſerte tradunt; eum tamen ut credamus, non una nos ratio, ut oſtendemus, inducit.

Prima Ducis Teccenſis mentio in Diplomate Laureacenſi Henrici VI. Imp. occurrit A. 1193. ubi poſt Ducem Sueviæ *Dux Albertus de Tecke* legitur teſtis. (*c*) Inter Conradi, Ducis Zaringiæ, filios Adelbertus tum floruit, in Charta San-Petrina An. 1152. poſt patris obitum cum Rudolfo & Hugone fratribus, & quidem ante Hugonem, memoratus. (*d*) Idem Adelbertus in literis Burcardi, Salodurenſis Præpoſiti, A. 1181. cum Bertoldo IV. Duce, Rectore Burgundiæ, fratre quoque ſuo, laudatur. (*e*) *Adelbertus frater Ducis Bertholdi* in alia Charta San-Petrina, poſt An. 1152. conſcripta, occurrit. Terræ itaque Teccenſes certiſſimum Domus Zaringicæ cum fuerint patrimonium, primusque Teccæ Dux cum fuerit Albertus, Alberti autem, ſive Adelberti nomen in Zaringica illius temporis extiterit gente: Duces Teccenſes a Zaringicis deſcendere, vix licet dubitare. Teccenſes titulo *Ducis*, uti Zaringici, uſi ſunt, nullius licet poſſeſſores Ducatus.

(*c*) BESOLDI *Documenta Wirtemberg.* pag. 727.

(*d*) SCHANNAT. *Vindem. Liter.* Collect. I. pag. 163.

(*e*) TSCHUDI *Chron. Helvet.* pag. 90.

Digitized by Google

§. III.

Sed & Teccenſium cum Zaringicis nexus poſt Zaringorum ſeſe manifeſtavit interitum; quum inter heredes eorum quoque comparuerint, Teccenſes, qui jus ſuum Friderico II. Imper. vendiderunt. Probatio alia.

Ægre id tulerat Egeno, Comes de Urach, qui per uxorem ſuam, ultimi Zaringiæ Ducis ſororem, in terris ejus Brisgoicis Suevicisque ſolum ſe ſucceſſorem jactavit. Lis XIV. Kal. Octobr. MCCXIX. Hagenoæ compoſita, ubi Cæſar Egenoni Comiti donavit „ totam partem hereditatis illius & bonorum illorum, „ quam vel que de pecunia noſtra a Nobilibus viris Ducibus de „ Tek comparavimus, & quod ipſi de jure nobis vendere & dare „ potuerunt.

§. IV.

Sattlerus, Baſilicæ Friburgenſis Capellanus, *Chronici* Friburgi Brisgoviæ (*f*) ſub Carolo V. ſcriptor, ad faſtos, codici Miſſalis caſtri Teccenſis inſertos, provocat, in quibus catalogum inveniſſe ſe tradit Teccæ Ducum, qui ab Adelberto deſcenderint, & longa ſerie poſſederint Teccam. Codex ille noſtrum ævum Series Ducum Genealogica.

(*f*) In Append. *Chronici Koenigshov.* pag. 17.

Digitized by Google

non vidit. Seriem tamen Ducum daturus ſum, prouti eam Chartæ authenticæ & critica veriſimilitudo ſuppeditant. (*g*)

§. V.

Albertus.

Teccenſium Ducum ſator Albertus, Conradi III. Ducis Zaring. filius natu minor, in diviſione patrimonii Suevica Zaringenſium bona ſortitus eſt. (*h*) Fratri ſuo Bertoldo IV. diu ſuperſtes, Advocatiam in Schina Henrico de Fridingen A. 1215. dediſſe in feudum legitur. (*i*) Mortuus tamen ſine dubio ante Bertoldum V. Zaring. cujus hereditatis partem a *Ducibus de Tek*, uti vidimus, Fridericus II. Imp. A. 1219. coëmerat. Non unus itaque, ſed plures tum vivebant Teccenſes, Adelberti filii, Bertoldi V. patrueles, Conradus atque Bertoldus; quorum ille avi, hic proavi ac patrui nomen acceperat; Zaringici indicium ſanguinis.

§. VI.

(*g*) Suppeditavit quoque nobis non levia Viri Rerum Würtembergicarum periti, Dom. CHRISTIANI FRID. SATTLERI, Ser. Ducis Würtemberg. a ſcriniis ſecretis, Liber ante decennium editus, *Hiſtoriſche Beſchreibung des Herzogthums Würtemberg.* 4to.

(*h*) Vide ſub Conrado Duce Zaring. §. XIV. p. 119. PETRUS GREMMELSPACHIUS, Monaſterii San-Petrini in Silva Nigra Abbas, A. 1497. ad calcem veteris Necrologii de Rudolpho, Epiſcopo Leod. Alberti fratre, differens ſcribit: „ Tertius exſtitit frater ejus Adelbertus, qui ſecedens Caſtrum Tegg cum „ omnibus appenditiis ſibi vindicavit.

(*i*) SATTLER *Beſchreibung des Herzogthums Würtemberg.* Part. II. pag. 100.

§. VI.

Bertoldus Eccleſiaſticum in ordinem cooptatus, A. 1223. electus eſt Epiſcopus Argent. faſtis hujus Eccleſiæ multis rebus commendabilis. (*l*) Fragmentum Hiſtoricum Urstisii (*m*) *Bertoldum Ducem de Teke* ad An. 1228. eum diſerte vocat, ubi bellum triennale, toti Alſatiæ grave, refert, inter Bertoldum hunc & *cognatos ejus Comites de Pfirt* exortum. Bertoldus Epiſcopus nempe & Fridericus II. Phirretenſis Comes, proavum habebant communem, Bertoldum II. Zaringiæ Ducem, cujus filia Petriſſa avo Friderici nupſerat, Friderico Comiti; unde Phirretenſium cum Zaringis & Teccenſibus orta cognatio. Idem Bertoldus Diploma Cæſareum, An. 1235. Moguntiæ in Comitiis datum, quo Brunsvicenſis Ducatus inſtitutus eſt, teſtis ſignavit, hac formula: *Bertoldus Princeps Teccenſis, Argent. Epiſcopus.* (*n*) Bertoldus.

§. VII.

Conradum, Adelberti filium, ignorant omnes, quicunque de rebus Teccenſibus huc usque commentati ſunt. Prodit eum Charta Alſatica An. 1232. qua Henricus, Rex Rom. feudum Conradus I.

(*l*) Koenigshoven *Chron. Alſat.* Cap. V.

(*m*) *Scriptor. Rer. German.* Part. II. pag. 90.

(*n*) *Origines Guelph.* Tom. IV.

Digitized by Google

Dattenried a Murbacenſi Abbatia ſuſcepit Hagenoæ, ubi poſt Bertoldum Epiſcopum, Conradi fratrem, & Abbates duos, teſtes aderant Laicorum primarii *C. Dux de Tecke* & H. Marchio de Baden. Biennio poſt literas ejusdem Regis, Eccleſiæ Wormat. apud Wimpenam datas, H. Marchio de Badin, *Dux de Teke*, B. Dux Spoleti ſignarunt teſtes; (*o*) ubi Marchio ante Duces poſitus & Conradi nomen omiſſum. Huic Conrado jam tribuendus eſt filius Ludovicus I. pater Ludovici II. & Conradi II. de quibus in ſequentibus.

§. VIII.

Ludovicus I.

Menſe Martio A. 1249. *Ludovicus D. G. Dux de Teche* Adelheidi cuidam aliisque Miniſterialibus ſuis fœminis in Kirchheimenſe Monaſterium ſe ſuaque ut conferrent, atque in regulari ibi diſciplina viverent, permiſit. Permiſit inſuper cuilibet ſubditorum ſuorum, ut poſſeſſiones qualescunque vel res in idem Monaſterium conferrent; in quibus omnibus unius denarii cenſum annuum *in noſtræ*, inquit, *memoriam dominationis* ſibi ſtipulatus eſt. Actum apud *Teche*. (*p*) Biennio poſt *Ludewicus D. G. Dux de Tekke* litem de jurisdictione Abbatis Alpirſpacenſis in villa Dornheim

(*o*) SCHANNAT. *Hiſtor. Wormat.* Probat. num. 128.

(*p*) BESOLDI *Docum. Wirtenberg. Virg.* pag. 549. SATTLER *Beſchreibung des Herzogth. Würtemb.* Part. II. pag. 108.

arbiter judicavit. (*q*) A. 1258, U. Comes de Wirtenberc, *L. Dux de Tecke* & H. de Niſep Hainricum ſeniorem de Clozberc & filium ejus, Wernherum, poſſeſſiones ſuas apud Betzingen ſanctimonialibus de Pfullingen tradidiſſe teſtantur. (*r*)

§. IX.

Anno 1278. ſigilla Nobilium virorum *Ludewici* & *Cunradi Ducum de Tekke*, *fratrum*, appenſa ſunt inſtrumento, quo Hermannus, Comes Sulz. villam Hopſow Monaſterio Alpirſpac. vendidit. (*s*) Ludovicum & Conradum hos fratres Ludovico I. aſſignamus filios, Idem anno ſequenti fecere hi fratres in Charta Miniſterialis ſui, Eberhardl de Straſsberg, qua Ludovici Ducis filii teſtes memorantur, Ludovicus & Hermannus, cum quibus pater jus patronatus in Kürnbach Brunoni de Hornberg A. 1250. vendidit; mortuus triennio poſt atque Owenæ ſepultus. (*t*) Ludovicus II.

Ad Ludovici II. filios & poſteros infra poſt Conradum II. & ejus prolem extinctam redibimus.

Dd 2

(*q*) *Docum. Wirt. Virorum* pag. 252.

(*r*) *Docum. Wirt. Virg.* pag. 330.

(*s*) *Docum. Wirt. Viror.* pag. 256.

(*t*) Sattler Lib. alleg. Part. II. pag. 100.

§. X.

Conradus II.

Conradus hic vicum Kirchheim prope Caſtrum Teck An. 1270. in oppidum convertiſſe dicitur. (*u*) A. 1282. cum Rudolfo I. Imp. Auguſtæ verſatus, inveſtituræ filiorum ejus de Auſtriæ Stiriæque Ducatibus interfuit, inter Principes hujus rei teſtes memoratus. (*x*)

Biennio poſt Rudolfus Conrado noſtro indulſit, ut vicum ſuum *Heiningen* in oppidum converteret, mercatibus ceteriſque Friburgenſium juribus gaviſurum. (*y*) Bertoldum III. Zaringiæ Ducem, abavi ſui fratrem, Civitatis Friburgi auctorem, imitari voluit Conradus, oppido conſtruendo jura Friburgenſia cum petiiſſet a Cæſare.

An. 1287. Conradus hic cum fratris ſui filio, Hermanno, cauſam quandam arbitris decidendam commiſit, cui judicio quoque ſubſcripſit Eberhardus, Wirtenbergiæ Comes. (*z*)

(*u*) SATTLER l. c. pag. 105.

(*x*) Diploma extat in *Deduction des Droits de la Maiſon de Baviere a la ſucceſſion d'Autriche* Tom. II. pag. 428. ubi *Conradus Dux de Tekke.*

(*y*) SATTLER l. c. Part. II. pag. 100.

(*z*) Ibid. pag. 101.

Anno ſequenti Conradus & Hermannus jus patronatus in Zwifalten, quod Waltherus de Anemerkingen ab ipſis in feudum tenuerat, Monaſterio cognomini dono tradiderunt. (*a*) *Conradus Dux de Tecke* inter Nobiles viros poſt Principes Eccleſiaſticos legitur in diplomate Imperiali, quod eodem anno Simoni, Wormat. Epiſcopo, Moguntiæ datum. (*b*) In Hohenloica Domo tunc temporis Cunradus *Nobilis de Thekke* nuncupatus floruit, (*c*) qui cum Duce noſtro Teccenſi non eſt confundendus.

§. XI.

Obiit An. 1292. quatuor relinquens filios, Simonem, Conradum, Ludovicum atque Fridericum, qui patrueli ſuo, Hermanno, Caſtrum Gutenberg ac dimidiam Teccenſis Caſtri partem tradiderunt pignori; hereditatem paternam, antequam creditoribus ſatisfecerint, ſe non adituros polliciti. (*d*) Filii hi quatuor Conradi I. ſine maſcula prole deceſſerunt omnes, Simon A. 1316. Conradus A. 1329. Ludovicus A. 1334. quorum primus Agnetem, Comitem de Helffenſtein, ultimus Margaretham de Truchendingen duxerant uxores. Filii ejus.

(*a*) Sattler loc. cit.

(*b*) Schannat. *Hiſt. Epiſc. Wormat.* Probat. num. 171.

(*c*) Hanselmann *de Domo Hohenl.* pag. 424.

(*d*) Sattler. loc. cit.

An. 1305. Regi Rom. Alberto I. nihil bonorum ex Dynaſtia Teccenſi concedendum ſtatuerunt. Faciliores longe fuerunt in alios, Comitem Wirtenberg. præcipue, cui oppidum Roſenfeld, caſtra Aiſtaig & Beuren, vicos Leydringen, Yſingen, Bückelſperg &c. agnatis eorum Ludovico, Hermanno, Lutzmanno & Friderico triennio ante oppignerata, A. 1317. pro quatuor millibus, (*e*) annoque ſequenti Præfecturas Hainingen & Boll cum Seningen & Lotenbach multisque villis ac bonis pro duobus millibus Librar. Hallenſ. vendiderunt. (*f*) Owenam autem & Kirchhemium An. 1322. eidem Comiti oppignerarunt.

§. XII.

Ludovicus III.

Sobole Conradi II. extincta, omnis Teccenſium hereditas ad lineam ſeniorem, a Ludovico II. conditam, rediiſſet, niſi pleraque jam aut vendita aliis, aut oppignerata fuiſſent.

Ludovicum II. duos filios reliquiſſe vidimus, Ludovicum III. atque Hermannum.

Hermannus proprietatem bonorum in Welden, quorum uſumfructum Ludovicus frater conjugi ſuæ Luitgardi, ex

(*e*) SATTLER l. c. Part. I. pag. 176. ſq.

(*f*) Ibid. Part. II. pag. 102.

Digitized by Google

Burgoviæ Marchionibus natæ, adſcripſerat, A. 1295. Parthenio Kirchheimenſi, ſeptennioque poſt homines ſuos in Marbach, Murr, Lauffen, Kirchberg &c. Eberhardo Comiti Wirtenberg. vendidit; unde Ludovicum, maſcula deſtitutum prole, fato præmaturo conceſſiſſe intelligimus. Hermannus autem continuavit ſtirpem, relictis quatuor filiis, Ludovico, Hermanno, Lutzmanno atque Friderico. (*g*)

§. XIII.

Ludovicus IV. Teccenſis Ludovicum IV. Imp. ſecutus eſt Romam, ubi diploma erectionis Lucæ in Ducatum menſe Febr. A. 1328. poſt Henricum, Ducem Brunsvic. *Ludovicus Dux de Tech* teſtis ſignavit. (*h*) A. 1346. ejusdem Imperatoris Curiæ Judex aulicus fuit. (*i*) Ludovicus IV.

Ludovici hujus frater Hermannus II. jus patronatus in Waldmeſſingen A. 1343. & eccleſiam in Hoefslingen A. 1347. alienavit. (*l*) Herm. II.

(*g*) Sattler l. c. Part. II. pag. 101.

(*h*) Leibnit. *Cod. Jur. Gent.* Part. I. pag. 132.

(*i*) Senckenb. *de Sigill. Jud. Cur. Imp.* pag. 357.

(*l*) Sattler Part. II. pag. 102.

Digitized by Google

An. 1361. Carolus IV. Imp. eum Ducem in *Oberndorff*, (*m*) ubi ſedem habuiſſe videtur, nominat in literis, quibus ille Advocatia Alpirſpacenſi juſſus eſt abſtinere.

§. XIV.

Friderirus I.

Fridericus, natu minimus fratrum, Advocatiam Monaſterii Alpirſp. adminiſtravit An. 1319. quo univerſos homines Alpirſpacum migraturos a tributis & oneribus pronuntiavit immunes. (*n*)

An. 1347. a Carolo IV. Cæſ. Advocatus provincialis conſtitutus eſt Auguſtæ Vindelicorum. (*o*) Menſe Aprili anni ſequentis in Aula eius verſatus eſt Pragæ, quatuor Diplomatum teſtis, quibus Regñ ſui Bohemiæ ſucceſſioni, juribus ac dignitati Carolus proſpexit. In his poſt Colonienſem & Saxoniæ Electores, leguntur Rudolphus junior Saxoniæ & *Fridericus de Deck Duces.* (*p*)

An. 1349.

(*m*) BESOLD. *Docum. Wirtenb.* pag. 262. ubi: *Dem Edlen Herzog Herman zue Oberndorff.*

(*n*) BESOLD l. c. pag. 259.

(*o*) PAUL. a STETTEN *Geſchichte der Statt Augſpurg* Tom. I. pag. 102.

(*p*) Extant Diplomata hæc in Append. Docum. ad GOLDAST. *de Regno Bohem.* pag. 55. ſqq.

Digitized by Google

An. 1349. pridie Pentec. Carolus IV. Moguntiæ literas dedit ad Fridericum, ut cum ſenatu Auguſtano de Judæorum, quos civitas e medio ſuſtulerat, bonis ad Imper. ſpectantibus, tranſigeret. (*q*) Decennio poſt idem Fridericus Teccenſis Sueviam & Alſatiam Auſtriacam rexit, (*r*) imo & Alſatiam Imperialem. (*s*) An. 1360. Hoſpitale inſtituit Kirchhemii. (*t*)

§. XV.

Temporum vitæque humanæ habita ratione, Friderico I. filius cognominis tribuendus videtur, qui cum Duce Conrado Urslingenſi de Pincernatu Abbatiæ S. Galli & Advocatia Alpirſpacenſi diu certavit, An. 1371. demum ita reconciliatus, ut caſtrum Wasneck & vicos Waldmeſſingen, Betzendorff, Boihingen, Oberndorff, nec non caſtrum Brandeck & Advocatiam Alpirſpacenſis Monaſterii XI. mille & quingentenarum Librarum Hall. pretio redemerit, ſuumque viciſſim jus in Præfecturam Schiltach dimiſerit. (*u*) **Fridericus II.**

(*q*) STETTEN l. c. pag. 103.

(*r*) *Alſat. Illuſtr.* Tom. II. pag. 595.

(*s*) Ibidem pag. 567.

(*t*) SATTLER *Beſchreibung des Herzogth. Würtemb.* Part. II. pag. 106.

(*u*) SATTLER l. c. Part. I. pag. 176.

A. 1381. Dux Fridericus de Tecke, & Dux Conradus, filius ejus, dimidiam caſtri ſui Teck & oppidi Kirchheim partem cum viris caſtrenſibus & villa Lindach Eberhardo, Wirtenberg. Comiti, cui pignori data jam fuerant, pro XVII. mille & quingentis aureis vendiderunt; (x) unde nihil fere bonorum Teccenſibus, præter Dynaſtiam Mindelsheimenſem, ſupererat.

Fridericus brevi poſt extinctus, Conrado filio (y) ac duobus aliis pueris jam defunctis, Fridericum, Ulricum, Georgium & Ludovicum cum ſex filia abus, numeroſam nimis tantillo patrimonio ſobolem, reliquit. (z)

§. XVI.

Frideri-cus III. Fridericus III. Dux oppidum Owen, caſtrum Gutenberg & vallem Lenningenſem cum vicis Biſſingen, Brucken, Eckweiler, Krebſtein, Nabern, Oberlenningen, Unterlenningen, Ohmden,

(x) *Reichsſtænd. Archival-Urkunden* contra Ord. Equeſtr. Tom. I. pag. 1.

(y) Ad Conradum hunc ſpectare videntur verba, veteri Miſſali Abbatiæ S. Galli antiqua manu inſcripta: „ A. 1361. in vigilia Aſcenſ. Dom. natus eſt *der irluchte Fürſte Herre Herzog Conrad der dritte.* Alium ſane Conradum tertium, Ducem illius ævi, nullibi reperio.

(z) SATTLER l. cit. Part. II. pag. 103.

Roswelden &c. Wirtenbergico Comiti Eberhardo, qui loca hæc pignoris titulo poſſidebat, in perpetuum propria reliquit. (*a*)

Ulricus cum uxore ſua Anna, Caſimiri Ducis Poloniæ filia, Præbendam S. Steph. in Mindelheim An. 1409. fundavit; mortuus An. 1432. in Italia, Sigismundi Imp. dux belli atque Vicarius. (*b*) Ulricus.

§. XVII.

Superſtes adhuc unicus Teccenſium Ludovicus, Patriarcha Aquilegienſis, inviſus Venetis & ſede ſua expulſus, (*c*) A. 1439. d. 19. Aug. Baſileæ, quo confugerat ad Concilium, deceſſit, ibique ante Altare Carthuſianorum ſepultus eſt. (*d*) Æneas Sylvius (*e*) virum, non minus animi conſtantia, quam generis nobilitate præſtantiſſimum vocat. Tum vero Dynaſtia Gentis interitus.

(*a*) Sattler l. c. pag. 110. ſq.

(*b*) Idem l. c. pag. 104.

(*c*) Ughelli *Ital. Sacr.* Tom. V. pag. 118. ubi mortem ejus ad An. 1434. jam ponit, ſed peſſime. Concilium Baſil. ſententiam excommunicationis in Remp. Venetam pronuntiavit d. 22. Decemb. 1435. donec Ludovicum hunc Patriarcham in integrum reſtitnerit. Exſtat ſententia in Harduini *Actis Concilior.* Tom. VIII. pag. 1470.

(*d*) Urstis. *Chron. Baſil.* pag. 354.

(*e*) De *Concilio Baſil.* Lib. I.

Digitized by Google

Mindelheim, & ſi qua alia Teccenſium bona propria reſtabant, ad Ludovici ex Irmengarde ſorore, quæ Vito Rechbergio nupſerat, nepotes pervenerunt. (*f*) Dynaſtia illa ſeculo ſuperiore denique ad Bavaros eſt translata. (*g*)

Zaringica ſtirps, poſtquam in tertia generatione palmes Teccenſis pullulaſſet, in quinta exaruit. Teccenſis ad octavam usque a ſatore ſuo Alberto generationem per CCLXXXVII. annos duravit. Utraque Ducalis cum defeciſſet Linea, ſola Badenſis Marchica perſtitit.

(*f*) SATTLER l. c. pag. 104.

(*g*) A. 1618. ſub Maximiliano, Bavariæ Duce, brevique poſt Electore. Vid. ADLZREITERI *Annales Boici* Part. III. col. 32.

CAPUT

Digitized by Google

Digitized by Google

C O M I T E S

EGENO I. Comes de Urach, cognom. Barbatus, A. 1219. r.

EGENO II. Comes de Urach, Dominus de Friburg-
† 1236. Ux. Adelheidis de Niffin marito ſuperſt.

CONRADUS I. Comes de Friburg † 1272. Be-
Ux. Sophia Comes de Zolleren 1248.

EGENO III. Comes Friburgi, Advocatus Abbatiæ n
filio captus Comitatum ei tradit 1316. Ux. Cat 2.
Lichtenberg, ſoror Conradi Epiſcop. Argent.

CONRADUS II. Comes Friburg. 1316. Landgravius a
Brisg. 1318. † d. 10. Jul. 1350. Ux. I. Catharina, Fri-
derici, Ducis Lotharingiae, filia 1290. II. Anna
filia Ulrici de Sigenowe 1330. poſtea Hermanno
Duci Teccenſi nupta 1352.

FRIDERICUS Landgravius Brisg. 1318. Comes Fr s-
† 1356. Ux. Anna, Rudolfi March. de Hachberg, D
ſenberg, filia, quae dotis 700. marcar. pignus a p
Landgraviatum Brisgoviae 1318. † 1331. ſepulta

Clara Ux. Goetzonis Comitis Palat. de
Tubingen, vendit Dominium Friburg.
Egoni patruo A. 1358.

C de
C ta
†

JOHANNES Friburgi & Novi Caſtri Comes ult. †
Marchione Hachb. nepoti, relinquens, cui jam A. 1

Digitized by Google

CAPUT X.

COMITES FRIBURGENSES.

§. I.

Illuſtris Comitum Vracenſium proſapia, ex qua Friburgenſes & Furſtenbergenſes Comites prognati, nomen gentilitium traxit à Caſtro *Vrach*, quod ad rivulum ejusdem nominis, Friburgum inter & Villingam, in Nigra Silva olim conſpicuum fuit, non confundendum cum Wirtenbergico alio, *Aurach* quod hodie vocant. Utrumque caſtrum unus forte Comes poſſedit. Poſterius An. 1254. per Furſtenbergenſes ad Wirtenbergicos tranſiit. (*a*) Comites Uracenſes.

In gente hac Uracenſi Egenonis, contracte Egonis, nomen obvium eſt. An. 1181. *Comes Egeno de Uren* præſens fuit, cum

(*a*) SATTLER *Beſchreib. des Herzogth. Würtenberg.* Part. I. pag. 113.

Udalricus de Novo Caſtro feudum a Præpoſito Solodorenſi acciperet; (*b*) eodemque anno Comes de Urach, Friderici I. Imp. Diploma Denckendorfenſi Eccleſiæ apud Eslingam datum, teſtis ſignavit. (*c*) An. 1185. inter Proceres Sueviæ, Burchardus Comes de Hochenberc... *Egeno Comes de Urach* in Charta Friderici, Ducis Sueviæ, Monaſterio de Salem data, recenſentur. (*d*)

Tum vero ex Militum vel Miniſterialium ordine quoque vixit *Gerundus de Urach*, Diplomatis Friderici I. Imp. fundationem Monaſterii Adelberg. confirmantis, A. 1181. teſtis. (*e*)

An. 1215. *Comes Egeno de Urac* & filius ſuus teſtes leguntur in Diplomate Friderici II. Imp. apud Ulmam exarato pro Monaſterio Laurishamenſi. (*f*) Egeno hic idem eſt, qui Agnetem Zaringicam, Bertholdi IV. Ducis filiam, duxerat uxorem, (*g*) ex qua natus ei eſt filius cognominis, cujus hic quoque ſit mentio.

(*b*) TSCHUDII *Chron. Helvet.* Tom. I. pag. 90.

(*c*) PETRI *Suevia Eccleſ.* pag. 262.

(*d*) HERRG. *Geneal. Habsb.* Tom. II. pag. 196. ſq.

(*e*) PETRI *Suevia Eccleſ.* pag. 2.

(*f*) Idem l. c. pag. 539.

(*g*) Conf. ſupra Cap. V. & VII.

Digitized by Google

§. II.

Mortuo itaque Bertoldo V. ultimo Zaringiæ Duce, Agnetis fratre, An. 1218. de bonis ab eo relictis, allodiis atque feudis, certatum eſt. Nonnulla Fridericus II. Imp. nonnulla Teccæ Duces, Zaringenſium agnati, alia noſter Egeno, alia Kiburgenſis Comes, occupaverunt. Tutiorem partem elegerunt Teccenſes, qui Imperatori, ut Sueviæ Duci, pecuniam offerenti, aurem præbuerunt. At paulo poſt filius Egeno univerſa Zaringiæ bona, non ſolum quæ vi & armis, ſed & quæ ære comparaverat Cæſar, repetiit, unicus, ut ſibi videbatur, legitimus eorum per matrem heres. Neſcio quid Cæſarem Fridericum denique moverit, ut armis odiisque depoſitis, honeſtiſſimam pacem Egenoni concederet. Zaringiæ Ducum heredes.

Facta Ulmæ reconciliatione, Fridericus Hagenoam delatus, VIII. Id. Sept. A. 1219. ad civitates ſuas earumque ſcultetos literas dedit, ut ſignificaret eis, Comitem Egenonem de Urach, conſanguineum ſuum, in gratiam ſe recepiſſe; homines cujuscunque conditionis, durante bello ex civitate Friburg. aliisque locis ad ſe transgreſſos, Egenoni ejusque Miniſterialibus reſtitui jubens. (*h*) Paucis poſt diebus, XIV. Calend. Octobris, omnis de ſucceſſione Zaringica lis Hagenoæ quoque ita compoſita eſt, ut Egeno bona, quæ a Teccenſibus Cæſar coëmerat, dono; alia, quæ donare

(*h*) Cod. Diplom. Bad. ad A. 1219.

Digitized by Google

ille non poterat, in feudum acciperet perpetuum. Quæ præterea Fridericus ex eadem hereditate tenebat, non tradita quidem ſunt Egenoni, ſed benigne promiſſa.

§. III.

Egino pater & filius.

An. 1220. *Egino ſenior Comes de Urach*, & *Egino Comes de Urach*, *Dominus Caſtri de Friburc*, id eſt, pater ac filius, peculiari uterque Inſtrumento donationem curtis & molendini, Monaſterio Tennebacenſi a cive quodam Friburgenſi factam, confirmarunt. Pater de Friburgo ita: „ Civitas ab illuſtribus „ Ducibus Zeringie, progenitoribus uxoris mee, Domine Agnetis „ Comitiſſe, cujus ego jure matrimonialis conſortii Advocatus „ exiſto, ab antiquo fundata eſſe dignoſcitur. „ Filius autem his utitur verbis: „ Civitas ab avis & proavis noſtris, illuſtribus „ Zeringie Ducibus, ab antiquis temporibus fundata eſſe „ dignoſcitur. „ (*i*)

In eodem Inſtrumento *Domini* & *Avunculi* ſui *Ducis Bertholdi*, atque hereditariæ ſuæ ſucceſſionis, mentionem filius facit. Filius itaque, non pater, novum *Domini Friburgenſis* titulum jure materno aſſumſit, unde eidem adſcribenda eſt Charta anni ſequentis, data Friburgi, qua *Egino Comes de Ura*, *Dominus Caſtri*

(*i*) Ex Tabular. Abbatiæ Tennebac. infra in Cod. Dipl.

Digitized by Google

Caſtri de Friburc, Ebirhardo miniſteriali ſuo de Haſilà permiſit, ut, quos vellet, homines proprios Abbatiæ Tennebacenſi donaret.

§. IV.

Eginonem patrem ad An. 1229. vitam protraxiſſe, vocabulum *junior*, quo filius ejus Egino ad illud usque tempus utitur, nobis perſuadet. Superſtes ei fuit uxor, Agnes Zaringica, quæ A. 1236. *Comitiſſa de Ura & de Friburc* dicta cum filiorum ſuorum aſſenſu, poſt mariti fata, curtis proprietatem in Villingen Sanctimonialibus donavit. Peperit autem hæc Agnes, præter Eginonem juniorem, Conradum atque Bertoldum, viros in eccleſia illuſtres. Sunt, qui Bertoldum V. Zaringenſem, in Regem Romanorum An. 1198. eligendum, duos ex ſorore ſua Agnete nepotes, Cunonem & Bertoldum, Electoribus obſides dediſſe ſcribunt, religione ſacramenti deinde obſtrictos, ut ex cuſtodia Colonienſi dimiſſi cœnobia ingrederentur. Cunonem Prædicatorum Eslingæ, Bertoldum Salernitanum, Sueviæ monaſteria, intraſſe tradunt. (*l*) Eginonis I. filii.

De Conrado inſigne teſtimonium extat in Diplomate Friderici II. Imp. quo Egenonem Comitem de Hura, ob dilectionem Conradus.

(*l*) Ita Michael Praun, Conſil. Badenſ. in *Badiſcher Heerſchild* Ms. in tabulario Bada-Durlac. & Wollebius in *Chron. Würtemb.* Ms.

& favorem ſingularem, quem erga fratrem ejus *C. Portuenſem Epiſcopum S. R. E. Cardinalem*, gerebat, in gratiam ſuam recepit. Literæ hæ, uti ex Indictione patet, An. 1226. datæ ſunt, apud Burgum S. Donini, Ducatus Parmenſis oppidulum.

Conradum hunc Pontifex A. 1224. ex Italia in Germaniam miſerat, ut crucem prædicaret; unde Coloniam profectus Fridericum Comitem de Iſenberg & complices ejus, qui Colonienſem Archiepiſcopum obtruncaverant, anathemate percuſſit, multosque per Germaniam cruce ſignavit, Terræ Sanctæ opem ut ferrent. (*m*)

Bertoldus. Ad Bertoldum, Conradi fratrem, quod attinet, is inter Monaſterii Tennebac. Abbates An. 1215. occurrit. Nititur hoc aſſertum fide Anonymi in Vita B. Hugonis, Ord. Ciſterc. qui Bertoldum iſtum Abbatem *filium ſororis Ducis de Zeringen* diſerte vocat, ejusque patrem dicit Comitem de Urach. Illuſtrem Bertoldi proſapiam, Fridericus II. Imperator in Diplom. Hagenoæ IV. Id. Mart. 1214. Tennebacenſibus dato; nec non Hermannus & Fridericus, Marchiones Badenſes, An. 1215. indicant, quando *conſanguineum* ſuum dilectum eum appellant. Hic ipſe Tennebaco Lucellam deinceps translatus videtur Abbas. (*n*)

(*m*) GODOFREDUS MONACHUS ad A. 1224. & ſeq. apud FREHER. *Scriptor. Rer. Germ.* Tom. I. pag. 393. & 395. Adde *Chron. Auguſt.* ibid. pag. 520.

(*n*) BERNARDINI *Faſti Lucell.* pag. 161. ſq.

Digitized by Google

EGINO JUNIOR.

§. V.

Redimus ad Eginonem juniorem, primum Friburgi Comitem, cui conſanguineo ſuo, *Eguenoni Comiti de Hura*, ob fratrem ejus, uti vidimus, Conradum Fridericus II. Imper. A. 1226. ſeditioſa, quæ foverat, condonavit conſilia, pacemque cum Henrico, Rege Rom. Spiræ factam, auctoritate ſua ſtabilivit; ſuadens hortansque vehementer, ut decretum in Terram Sanctam iter bene præparatus ſuſciperet. Friburgi Comes.

Comes Egino Junior de Urach & Dominus de Friburg prædium in Algiswilre & apud Oberkilche agros ac ſilvas, quas Guta de Reinchem & Henricus quidam miles tenuerant, monaſterio Omnium Sanctorum Nigræ Silvæ donavit. Charta donationis notis chronologicis deſtituta (*o*) A. 1229. data videtur, quo Bertoldus, Epiſc. Argent. aliam Gutæ de Reinichen donationem, eidem Monaſterio factam, confirmavit. (*p*).

A. 1229. Conſtantienſis Epiſcopus confirmat ſententiam ab *E. juniore Comite de Urach* latam, in controverſia inter Monaſterium

(*o*) Extat apud SCHANNAT. *Vindem. Liter.* Collect. I. pag. 150.

(*p*) Ibidem pag. 143.

S. Blaſii & Henricum militem de Gephingen, ſuper jure patronatus eccleſiæ in Utinvilare. (*q*)

An. 1230. Henricus Rom. Rex *Comiti Egenoni de Friburc* quod Judæos apud Friburc captivaverat, omnem rancorem & indignationem remittit. Literæ datæ apud Briſacum Idibus Auguſti.

Prima heic Comitis Friburc mentio, cum antea *Comes de Urach*, *Dominus de Friburc* diceretur Friburgi poſſeſſor. At ſub Egenonis filio demum & ſucceſſore Conrado titulus *Comitis Friburg*. compendii cauſa omnino invaluit.

§. VI.

Acta ab A. 1230.

An. 1230. Egeno Comes a partibus Ulrici Comitis Phirret. contra Bertholdum de Teck, Epiſcopum Argent. ſtabat, quod diſſidium per Henricum Rom. Regem compoſitum. (*r*)

An. 1234. XV. Cal. Mart. Henricus Rex Rom. de argentifodinis & cuſtodia ſilvarum Brisgoviæ contra Hermannum, Marchionem Badenſem, qui illis inhiaverat, pro Eccleſia Baſilienſi & *Eginone Comite de Friberc*, Eccleſiæ hujus vaſallo, in Curia Francofurt. ſententiam pronuntiavit. Sed & idem Henricus Rex paulo poſt Egræ *Comitem Egenonem de Friburc &*

(*q*) HERRG. *Genealog. Habsb.* T. II. pag. 237.

(*r*) URSTISII *Chron. Baſil.* pag. 120. ſeq.

Digitized by Google

de Urach „ de fluminibus Renchental, Wiſen, Brigen, Kinzechen „ usque Gengenbach & nominatim Milenbach, Elzach, Treyſonia, „ Brega & Danubio usque ad Ymmendingen cum univerſis rivis, „ qui prediĉtis fluminibus recipiuntur „ inveſtivit, ut quicquid in iis, ſive in montanis adjacentibus auri vel argenti inveneriț, jure feodali in ſuam converteret utilitatem. Privilegium hoç Conradus Comes Friburg. A. 1387. cum Rudolfo Marchione, affine ſuo, communicavit.

Eodem anno 1134 *Egeno Dei gratia Comes de Urach & Dom. in Friburc* cum uxore ſua Adelheide monaſterio Tennebacenſi vites donavit. Actum in Caſtro Friburc.

§. VII.

Egeno hic An. 1236. arcem ſupra Friburgum, in inferiore montis parte, conſtruxit, ad continendam in obſequio urbem. (*s*) Caſtrum hoc perpetuus deinde inter Comites & Cives turbarum fomes evaſit. Mors ejus.

Egeno II. eodem, quo caſtrum conſtruxit, anno deceſſit; cum conjuge ſua Adelhaide in monaſterio Tennebacenſi ſepultus. (*t*)

(*s*) GEORG. KIEFFER, Academiæ Friburg. Juris Anteceſſor, in Differt. de *Habsburgo-Auſtriaca Domo*, A. 1671. edita Friburgi 8vo. Auctor hic ex duobus Egenonibus, patre & filio, nonniſi unum conſtituit.

(*t*) KIEFFERUS lib. alleg.

Uxor & liberi.

Hic ex Adelheide (*u*) quatuor filios reliquit, Conradum, Bertoldum, Henricum & Godofredum, qui mortuo patre A. 1237. cum matre ſua *Adelheide D. G. Comitiſſa de Friburc* jus cenſus, quod in area curiæ monaſterii Tennebacenſis prope Friburgum habebant, dimiſerunt ex manibus. Actum in Eccleſia de Friburc. (*x*)

Iidem quatuor Comitis Eginonis de Urach filii cum matre ſua recenſentur in alia Charta Tennebacenſi, qua progenitorem ſuum, in grangia Monaſterii hujus, in ſuburbio Caſtri Friburg ſita, capellam exſtruxiſſe, ſeque cenſum XII. ſolidorum eidem Monaſterio donaſſe perſcribunt.

Conradus patri ſucceſſit Friburgi. De fatis Bertoldi ſilent Annales. Inter Eccleſiæ Conſtant. Canonicos A. 1275. ut mox videbimus, comparet Gotfridus. Henricum autem familiæ Fürſtenberg. conditorem novimus.

§. VIII.

Comitum Fürſtenb. origo.

Hainricus Comes de Urach, *Dominus in Fürſtenberg* conſenſu Comitis Gotfridi *fratris* ſui, Canonici Conſtant. Eccleſiæ, curiam apud capellam S. Nicolai vendidit An. 1270.

(*u*) *Chron. Friburg.* a SCHILTERO edit. pag. 24. eam vocat Adelheidem Comitiſſam de Niffen.

(*x*) Inſtrum. Tennebac.

Digitized by Google

Henricus Comes de Vurſtenberc A. 1275. pro ſe & Godefrido, fratre ſuo, Canonico Conſtant. nec non *Cunradi quondam fratris, Comitis de Friburch*, filiis, Eginone & Henrico, tranſegit cum monaſterio Omnium Sanctorum, ſuper curiam inferiorem in Nuspach & jus patronatus eccleſiæ ibidem, Monaſterio huic *à quondam matre ipſius Comitis, tunc in minoribus annis conſtituti*, vendita. Transactionem *Egino* & *Henricus Comites de Friburch* ratam habuerunt, Henricum Comitem de Vurſtenberc in eodem Inſtrumento *patruum* ſuum nuncupantes. (*y*)

In aliis ejusdem anni literis Henricus miles de Wilre & Erkenboldus, filius ejus, dictus Mulner, eidem monaſterio Omn. SS. reditus ex officio ſculteti in Korc vendidit, quos ab Illuſtr. Dom. H. Comite de Furſtenberc ac ipſius cohæredibus, Egenone & Heinrico, Comitibus de Friburc, in feudum tenuerat. (*z*) Communem hanc ſuæ ſtirpis originem Furſtenbergæ & Friburgi Comites ſeculo etiam ſequente profeſſi ſunt.

Egeno Comes de Fryburc & Conradus Comes de Furſtenperg literis A. 1365. datis diſerte profitentur, Eccleſiam parochialem villæ Nuspach cum omnibus ſuis capellis & jure patronatus *progenitores* ſuos Omnium SS. donaſſe monaſterio. (*a*)

(*y*) Inſtrumentum hoc edidit Schannat. *Vindem. Liter.* Collect. I. pag. 146.

(*z*) Schannat. l. c. pag. 148.

(*a*) Tranſumptum harum aliarumque hujus Monaſterii chartarum in ſenatu Argent. factum An. 1529.

Rudolfus I. Imperator A. 1289. Conradum de Friburg & H. de Furſtenberg Comites ſuos avunculos vocat. *(b)*

§. IX.

Aliorum errores.

ALBERTUS ARGENTINENSIS *(c)* hoc in argumento dupliciter peccavit. Furſtenbergenſium auctorem non Henricum, ſed *Egenonem* appellat, eumque filium non Egenonis, Comitis Friburg. ſed patris ejus, Comitis de Urach, conſtituit.

BUCELINUS *(d)* Henricum quendam nominat Furſtenbergæ Comitem, ſed Albertum Argentinenſem in reliquis ſecutus, Egenoni Uracenſi, Agnetis Zaringenſis marito, filium eum tribuit, quem nos conſtituimus nepotem, adeoque fratrem Egenonis, Friburgi Comitis, facit, cujus Henricus dicendus eſt proles. Nec SPENERUS *(e)* in Genealogia hac adornanda ſincerus eſt. At longius a veritate aberrat HUBNERUS, *(f)* ſecundum quem Henricus ille Furſtenbergicus patrem habuit Bertholdum, Egenonis Uracenſis, Bertoldi V. Zaring. affinis, patruelem.

CONRA-

(b) *Carlsruher Samml.* pag. 82.

(c) *Chron.* pag. 99.

(d) *Germaniæ Stemmatograph.* Tom. IV. pag. 88. ſq.

(e) *Oper. Herald.* Part. Spec. Lib. III. Cap. XIX.

(f) *Genealog. Tabular.* Tom. I. Tab. 266.

Digitized by Google

CONRADUS I.

§. X.

An. 1244. Conradus Comes de Friburg in Hartmanni ſenioris, Comitis de Kiburg, literis, quibus Eccleſiæ Argent. bona ſua in feudum obtulit, teſtis legitur. (g) Acta ab A. 1244.

An. 1248. Innocentius IV. Papa Nobili Viro C. Comiti de Friburg promiſſionem H. Romanorum Regis de reſtituendis ei caſtris & oppidis *Nuwenburg*, *Offenburg* & *Ortenberg*, jure ſucceſſionis hereditariæ ad ipſum pertinentibus, cum ex poteſtate inimicorum Eccleſiæ fuerint liberata, literis quoque ſuis roboravit. Jus ſuum Conradus num ex avia Zaring. an aliunde acceperit, non liquet. Eandem reſtitutionem oppidi Nuwenburg & omnium aliorum bonorum, in quibus jus proprietatis habuit, *Conrado de Vriburg* Comiti, conſanguineo ſuo, per H. Landgravium Thuringiæ, Rom. quondam Regem, factam, Wilhelmus, Rom. Rex, An. 1251. Argentinæ firmavit.

§. XI.

An. 1255. Conradus Comes de Friburg cum conſenſu filii ſui Conradi, plebani Eccleſiæ paroch. Friburg. parocho Hoſpitalis S. Spiritus jura parochialia conceſſit. Ab initio Chartæ hæc Acta Friburg. ab A. 1255.

(g) HERRG. *Geneal. Habsb.* Tom. II. pag. 277.

Digitized by Google

legimus: „ Cunradus Comes de Friburg & Cunradus filius „ ejusdem, plebanus Eccleſiæ parochialis loci prediẽti. „ Et in fine: „ Ego Cunradus plebanus Eccleſiæ parochialis in Friburg „ proprium ſigillum non habens, ſigillo Domini & patris mei „ Comitis ſum contentus. Datum & actum Friburg anno Dni „ Milleſ. CC. quinquageſimo quinto, XVIII. Cal. Maji, preſentibus „ Cunrado dicto de Unckilch & Baldemaro ſacerdotibus vicariis „ in Friburg, Cunrado dicto Schnewelin, ſculteto noſtro, „ Hermanno Schnewelino ſeniore, Heinrico Bazſario, Ludewico „ de Munzingen, Heinrico de Munzingen, Militibus, & aliis „ quam plurimis civibus Friburgenſibus.

Appenſa ſunt duo ſigilla, primum equeſtre Cunradi Comitis, cum hac epigraphe: *S. Cunradi Comitis de Vriburg.* In ſcuto viſitur aquila expanſa ac ſupra galeam itidem aquila. Alterum urbis Friburg. ſigillum exhibet murum cum tribus fornicibus totidemque turribus, in quarum duabus extremis ſinguli inſiſtunt viri cornua inflantes. In area hinc inde ſtella & in imo lilii forma. Epigraphe hæc eſt: *Sigillum Civitatis de Vriburgh in Briſgaudia.*

§. XII.

Acta externa ab A. 1258.

An. 1258. *Comes Cuonradus de Vriburch*, Comes Ruodolfus de Habspurch & Dynaſta Uſenbergenſis, in cauſa quadam Tennebacenſi arbitri electi, ſententiam ſuam vernacule literis conſignari atque ſigillis ſuis muniri curarunt.

Digitized by Google

Eodem anno *Cuonradus Comes de Friburc* donationem eandem, quam avus ejus *Comes Egino ſenior de Urach dictus cum barba*, & pater Egino Comes ratam habuerunt, (*h*) Abbatiæ Tennebacenſi factam, approbavit, ubi *Domine & avunculi patris ſui*, *Ducis Bertholdi*, quoque mentionem facit.

An. 1261. Conradus Comes de Friburg cum Rudolfo Comite de Habsburg Argentinam venit, ut Civitati huic contra Epiſcopum, Waltherum de Geroldſeck, præſtaret auxilium. (*i*) Charta fœderis ſignata fuit die Dom. ante S. Matthiæ. (*l*)

An. 1262. inter nobiles viros & Comites, diplomatis, a Richardo Imp. Seleſtadii conceſſi, teſtes, Conradus de *Vriburc* occurrit. (*m*)

An. 1269. Wernheri de Stophen chartam, pro monaſterio S. Trudperti Friburgi datam, ſignarunt *Conradus Comes de Vriburg, H. filius ſuus*, Ruod. de Stophen, Gotfridus de Stophen junior, Miles. (*n*)

An. 1271 C. & H. *fratres de Friburg & de Fiurſtenberg Comites* in Charta Rudolfi Comitis de Habsb. qua curiam in

(*h*) Vide ſupra An. 1220. §. III. pag. 224.

(*i*) Koenigshovii *Chron. Argent.* pag. 247.

(*l*) Tabular. Civ. Arg.

(*m*) Herrg. *Geneal. Habsb.* Tom. II. pag. 378.

(*n*) Ibid. Tom. III. pag. 419.

Digitized by Google

Thiengen Monaſterio Cellæ S. Mariæ in Nigra Silva vendidit, teſtes leguntur.

§. XIII.

Mors ejus Uxor & liberi.

Conradus A. 1272. mortuus, in Baſilica Friburgenſi ſepultus eſt. (*o*) Uxor ejus fuit Sophia, filia Friderici Com. de Zolre, poſt multas cædes inter duas has familias ducta A. 1248. teſte Innocentio IV. Papa in literis ad Epiſcopum Argent. (*oo*)

Reliquit tres filios, Eginonem, Heinricum, qui paternas mox opes inter ſe partiti ſunt, atque Conradum, parochum primo, uti vidimus, Friburg. dein Eccleſiæ Conſtant. Præpoſitum, qua dignitate ornatus A. 1289. infra comparet.

Egino Comitatum Friburgenſem, Heinricus Neoburgum, Badevillam & Huſen in valle Kinzingana obtinuit, rivulo, qui Heitershemium præterlabitur, fratrum poſſeſſiones diſterminante.

Vaſalli, Miniſteriales, argentifodinæ manſerunt communes. Neoburgum autem in aliena poteſtate conſtitutum cum eſſet, Egino recuperando ei opem ſuam fratri addixit. Huic diviſioni teſtes interfuerunt Comites Rudolphus de Habesburg, Heinricus de Furſtenberg, Conradus de Friburg, Canonicus Conſtant. Eginonis atque Heinrici frater.

(*o*) KIEFFER *de Domo Habsburgo-Auſtr.* pag. 146.

(*oo*) Notitia Mst. ex tabulario Vaticani. Conf. *Chron. Friburg.* pag. 30.

§. XIV.

Henricus ergo cum Epiſcopo Baſil. de Neoburgo oppido, quod ex hereditate paterna acceperat, litigavit. Negata ei poſſeſſio oppidi, quod civis cujusdam uxorem violaverat. (*p*) Henricus hinc Rudolfum Habsb. in obſidione Baſilienſi adjuvit. (*q*) Uterque Comes A. 1273. ſuam cum Epiſcopo cauſam Burggravii de Nürnberg & H. Marchionis de *Hahberg* judicio ſubmiſit. (*r*) Rudolfus mox in Regem Rom. electus, Neoburgenſes, de Comitis ſui petulantia conqueſtos, ipſe tueri cœpit, eosque valorem decimæ bonorum partis pro redemtione ſui Henrico præſtare juſſit. (*s*) Henricus Comes.

An. 1276. Henricus Comes fratri ſuo Egenoni Badam (Badenweiler) Ougheim & Neoburgum cum omnibus aliis bonis, vaſallis ac juribus vendidit.

Henricus *frater Comitis de Fribourch* legitur in Charta, Friderici Ducis Lothar. qua filiam ſuam Catharinam Conrado, Egenonis filio, deſponſavit A. 1290. (*t*)

(*p*) ALBERT. ARGENT. *Chron.* p. 99. URSTIS. *Chron. Baſil.* pag. 130.

(*q*) TSCHUDI *Chron. Helvet.* Tom. I. pag. 176.

(*r*) URSTIS. l. c. pag. 133. & HERRG. *Geneal. Habsb.* Tom. III. pag. 436.

(*s*) ALBERTUS ARGENT. *Chron.* pag. 100.

(*t*) CALMET. *Hiſtorie de Lorraine* Tom. II. Probat. col. 530.

An. 1293. Egeno & Henricus fratres, *de Vriburg Comites*, in Diplomate Adolphi Naſſovii, apud Eſslingam monaſterio Adelbergenſi dato, ſunt teſtes. (*u*)

Biennio poſt Henricus nihil cum argentifodinis Brisgoviæ ſe moliturum promiſit, fratri quod damno eſſet; imo jus omne ſuum in argentifodinas has, feudum Baſil. A. 1297. eidem reſignavit. Natis autem exinde controverſiis A. 1300. quatuor arbitros & ſuperarbitrum Hermannum, Com. de Sulz, coram Alberto I. Imp. Coloniæ elegerunt.

§. XV.

Heredes ejus.

Henricus duas filias habuit, Margaretham & Verenam, quas Egeno patruus de hereditate paterna ſecuras tum eſſe juſſit. Margaretha Ottoni Comiti de Strasberg nupſit, cui poſt Henrici ſoceri mortem A. 1303. pars argentifodinarum a judice Imperiali adſcripta eſt Noribergæ, præſente Egenone, qui in Regis aula remanere eſt juſſus, donec Strasbergio ſecuritatem rei præſtiterit. Comes Otto de Strazberg Henrici March. de Hachberg literis de judicio feudali, Burghemii habito, ſigillum ſuum An. 1306. appendit.

An. 1322. Margaretha Comitiſſa de Strazberg cum filio ſuo Jemerio fatetur, Meinwarto de Totbikoven & Heinzmanno

(*u*) PETRI *Suevia Eccleſ.* pag. 5.

Digitized by Google

Wollebio decimum ſextum denarium ex argentifodinis deberi, ducentis marcis, quas patri ejus Heinrico dederant, redimendum. Appenſa Chartæ ſigilla *Margarete de Montfort*, *Jemerii Com. de Strazberg*, *Conradi Com. de Friburg*, *Friderici filii C. Comitis de Friburc*, *Ludovici Com. de Strazberg*, *Cantoris Eccleſie Argent.* & *Rudolfi Comitis de Nidowe.*

Margarethæ, Comitiſſæ de Strasberg, ſigillum biennio poſt quoque comparet in literis Henrici de Brülingen, patroni eccleſiæ Badevill. quibus cum monialibus in Adelhauſen tranſegit. Singulare eſt, in hoc quoque ſigillo legi verba: *S. Margarete de Montfort;* unde divinare licet, ipſam nuptam fuiſſe Montfortio Comiti, antequam cum Strasbergio jungeretur, cujus uxor cum eſſet, prioris matrimonii ſigillum retinuiſſe videtur.

E G E N O III.

§. XVI.

Heinrici frater natu major Egino III. & Civitas Friburg. die Jovis poſt S. Bartholomæi A. 1282. cum Domino Veldentiæ de induciis ſemeſtribus, & ſub initium Aprilis ſequentis inter ſe ipſos convenerunt de pace. Acta ab A. 1282.

An. 1284. Turnero Wollebio, eorumque ſociis ad argentifodinas in Suckendal & in monte Ducis (*Herzogenberg*) per fundum Abbatiæ S. Petri, cujus advocatus erat, aquæductum

faciendum permiſit. Epiſcopi Baſil. vaſallus adverſus Reinaldum, Montisbeliardæ Comitem, An. 1288. eidem auxilium præſtitit. (x)

Renatis autem inter Eginonem Comitem & Cives Friburgenſes diſcordiis, hos Rudolfus Imp. An. 1289. induxit, illi ære alieno multum laboranti ut 400. marcas argenti penderent, jus gabellæ in X. annos viciſſim accipientes. Pecuniam iſtam Egino pro parochialibus in Freyburg, Mülnheim & Badenweiler eccleſiis fratri ſuo Conrado, Præpoſito Conſtant. ad quinque annos mutuam dedit.

Menſe Aprili A. 1290. Fredericus, Dux Lotharingiæ, Egenoni Comiti de Friburch, nobili viro, omne damnum, quod ex ſocietate armorum, cum ipſo ad dies vitæ contracta, accepturus foret, reſarcire promiſit.

§. XVII.

Acta Friburg. An. 1291. Jus civitatis Friburg. absque ullo onere, ut pater dederat, Egino Abbatiæ Tennebacenſi A. 1291. ac biennio poſt *Cuonradus de Friburg, Prepoſitus majoris Eccleſie Conſtant. Rector Eccleſie parochialis in Friburg in Briscaug*, & *Egeno Comes Dominus de Friburg* Hoſpitali Friburg. jus parochiale confirmarunt. Teſtes hujus rei fuerant Burchardus dictus Schœnherre, Thomas, Henricus, ſacerdotes, Dietericus de Tuſſelingen, ſcultetus: Zuigo

(x) TSCHUDI *Chron. Helvet.* Tom. I. pag. 197. not.

Digitized by Google

Zuigo Magiſter, Heinricus ſcriba, frater Burchardus de Crozingen, frater Joh. Sibellinger &c. Datum & actum Friburg II. Id. Apr. anno Dni. M. CC. LXXXXX. tertio, Indict. VI. Appenſa ſunt ſigilla tria, quorum primum Præpoſituræ Conſtantienſis effigiem S. Stephani Protomartyris exhibet, adjecto lilio.

An. 1297. Egino Comes, cum Olearios (*öler*) Friburgenſes furti ac falſi damnaſſet, ortaque hinc lis eſſet cum civitate, Otto de Stophen, Heinricus Burggravius de Dorolsheim & Bertoldus de Nuwenburg die Sat. poſt feſtum Paſchale ſententiam tulerunt, judicia ſanguinis, furti & falſi Friburg. Comiti tribuentes.

An. 1298. XVI. Kal. Jan. Albertus Rom. Rex ſpectabili viro Egnoni *Comiti de Vriburch*, qui a partibus ſuis contra Adolphum Naſſovium ſteterat, (y) caſtrum Malberch cum bonis, villis, juribus univerſis pro mille marcis argenti ponderis Argent. oppigneravit.

§. XVIII.

Anno ſequenti Egino Friburgum obſedit, in qua obſidione affinis ejus, Conradus de Lichtenberg, Epiſcopus Argent. periit. „ Carnifex Friburg. Epiſcopum ſuper dextrario in rubea „ Wambaſia circumeuntem & exercitum ſuum ad pugnandum Bellum Friburg.

(y) TSCHUDI *Chron.* Tom. I. pag. 217. URSTIS. *Chron. Baſil.* pag. 156.

Digitized by Google

„ incitantem, cuſpide perforavit „ (z) In loco cædis, mille paſſibus ab urbe, crux erecta, atque capella, quæ adhuc extat, Inſcriptione crucis tamen fere deleta.

Inde circa feſtum nativitatis Mariæ compromiſſum in arbitros, quibus in diverſa abituris, Rex Rom. Albertus, cauſæ judex, additus, qui literas ſigillo ſuo ipſe munivit. Addita quoque ſigilla Epiſcopi Conſtant. Henrici, Conradi Abbatis Campidon. Eberhardi Comitis Wirtenberg. Egenonis & Conradi Comitum de Friburg. Menſe Decembri electi ſunt arbitri ſeptem, Dietericus de Tuſelingen. Egenolfus Küchelin, Joh. Snewelin, Gotfr. de Sletzſtatt, Burcardus der wiße Peger, Bertoldus der Sermitzer de Nuwenburg & Jacobus frater ejus. Exeunte menſe Januario ſequenti ſeptem hi arbitri pronuntiarunt ſententiam, qua vera denique pax inter Comites & Cives Friburg coaluit. Gabellam vini Civitas ad XVII. annos pro 300. marcarum argenti canone annuo ſervavit. Inſtrumentum hoc ſigillis ſuis roborarunt Marchio Heinricus de Hahberg & Marchio Rudolfus, fratres, Heſſo de Uſenberg, Rudolfus de Uſenberg, Heinricus & Waltherus fratres de Gerolzegge, Johannes & Wilhelmus de Schwarzenberg.

§. XIX.

Acta varia. An. 1300. medio menſe Jun. Ludovicus de Bergheim, Miles, Conradus & Wernherus fratres, Egenoni Comiti Friburg.

(z) ALBERTUS ARGENT. pag. 112.

Digitized by Google

caſtrum *Lynperg*, quod pater ipſorum Cuno a Rudolfo Comite Habsb. emerat, in feudum obtulerunt. An. 1307. die Merc. ante S. Georgii Egeno Comes munivit filium ſuum Conradum literis ad Albertum Regem Rom. ut ſubortas novas cum civitate Friburg. controverſias ei exponeret. Eandem ob cauſam die Lunæ poſt S. Matthæi A. 1308. cum Theobaldo Comite Phirret. ejusque filio Ulrico, Domino de Rotenberg, ut & Eberhardo Comite Wirtenberg. Egeno, Conradus & Heinricus Comites Friburg. pater & filii, mutui auxilii fœdus quinquennale inierunt.

§. XX.

Civilibus cum urbe Friburgenſi diſcordiis ſucceſſerunt domeſticæ, inter patrem & filium. Domeſtica.

Egenonem patrem, ne poſſeſſiones ſuas diſſiparet, aliisve venderet, in caſtro Friburg. captivum tenuit Conradus, donec ille Regis Ludovici Bav. & amicorum ſuaſu Comitatum Friburg. Conrado & ejus heredibus ſe ſervaturum promiſit. Ludovicus Bav. hac de re literas ſecuritatis contra quosvis captivitatis paternæ vindices ineunte anno 1315 (a) Conrado Oppenhemii dedit.

Egeno denique pro animæ ſuæ ſalute Dominium *Friburg*, caſtrum & oppidum, miniſteriales & vaſallos, omnisque generis bona, caſtrum *Ceringen*, vallem *Glotterthal*, exceptis hominibus

(a) Die Jovis *vor dem zwölften Tage.*

S. Petri, bona advocatiæ S. Ulrici & Selden, Conrado filio tradidit; curiam dictam *Göllinshof*, vicum *Ebnöte*, advocatiam S. Petri, & reditus annuos 150. marcarum ex civitate Friburg. ſervans. In literis his mentio ſit Egenonis filiæ Claræ, quæ in monaſterio S. Claræ Friburgi vivebat. Appendent ſigilla varia, Egenonis novum, quo Deipara cum infante Jeſu exhibetur; *Conradi Comitis de Friburg*, *Friderici filii C. Comitis de Friburg;* Marchionis Heinrici de Hachberg, Heinrici de Schwarzenberg &c. Egeno brevi poſt in eodem S. Claræ monaſterio Friburgi ſepultus eſt. (*b*)

§. XXI.

Egenonis filii.

Præter Conradum filios Egeno habuit Henricum & Gebhardum, Eccleſiæ majoris Argent. Canonicos. Literas patris, quibus Rudolpho Turnero, militi Friburgenſi, venditus eſt rivulus in Haſela, A. 1310. conſenſu ac ſigillo ſuo munivit *Heinricus de Friburg*, *Eccleſie Argent. Theſaurarius.* Triennio poſt Gebhardus, ejusdem Eccleſiæ Præpoſitus, cum fratre ſuo Conrado, Comite Friburg. militum de Keppenbach fidejuſſorem egit apud Hachbergenſem Marchionem, Henricum. Mortuo Johanni Epiſcopo Argent. A. 1328. Gebhardus hic Præpoſitus a magna Canonicorum parte deſtinatus fuit ſucceſſor; ſed prævaluit

(*b*) KIKFFERUS in Diſſert. alleg. pag. 146. Sed monumentum ejus interiit.

Bertoldus a Bucheck, (*c*) in quem Gebhardus una cum Conrado de Kirckel, Theſaurario, An. 1335. conſpiravit, (*d*) biennio ante mortem. (*e*)

CONRADUS II.

§. XXII.

In Imperii ſchismate Conradus II. Comes a Ludovici Bav. partibus contra Auſtriacos ſtabat. Is An. 1315. Kalend. April. literis Spiræ datis *nobili viro Cunrado Comiti de Friburg* mille marcas argenti promiſit, 500. proxima octava pentecoſtes, reliquas die S. Michaelis ſolvendas. Eo autem promiſſis non ſtante, res Imperii pariter ac ſuas occupandi poteſtatem Cæſar Conrado permiſit. Acta ab A. 1315.

A. 1316. vigilia Palmarum Conradus Comes civitatis ſuæ Friburgenſis jura confirmavit; inter quæ gabella frugum & vini, jus eligendi Conſulem, Tribunos, Ludimoderatores, æditures, jus monetæ, immunitas ab oppignerationibus recenſentur. Appendet *ſigillum Cunradi Comitis de Friburg*, ac *S. Civitatis de*

(*c*) Cujus vitam Albertus Argent. deſcripſit apud Urstis. *Script.* Part. II. pag. 169.

(*d*) Ibid. pag. 172.

(*e*) Ibid. pag. 173.

Digitized by Google

Vriburgh in Briſgaudia. Landgraviatum Briſgoviæ titulo pignoris Conrado huic A. 1318. adſcriptum, in Landgraviis docebimus.

A. 1321. die Merc. poſt nativitatem B. Mariæ ipſe Conradus & filius ejus Fridericus, relictis Ludovici Bavari partibus, cum Friderico Auſtriaco, Rom. Rege, & fratribus ejus in gratiam redierunt, his legibus, ut antiquatis literis & mandatis contrariis, Comites per biennium Auſtriacis opem ferant, nec decennii ſpatio hoſtile quid in eos moliantur, 500. marcas argenti viciſſim accepturi, pro quibus poſſeſſiones quasdam proprias ejusdem valoris Auſtriacæ genti in feudum offerrent. Transactio hæc a Leopoldo Duce, nondum à Friderico Rege, qui longe tum aberat, Seleſtadii fuit ſignata.

§. XXIII.

Acta ab A. 1331.

An. 1331. Dux Conradus de Urſelingen, centum marcas argenti a Conrado repetens, Judicis Imperialis aulici, Conradi de Gundolſingen, ſententia ab Henrico & Johanne, Dominis de Rappoltſtein, in caſtri & oppidi Friburgenſis poſſeſſionem immiſſus eſt, ad breve tempus.

An. 1338. Rudolfus de Bergheim, Miles, inter Comitem Conradum de Friburg & Waltherum de Endingen ſuper bona caſtri Liechteneck; at A. 1341. die S. Matthæi Conradus Comes inter Lutoldum de Krenchingen & Lutoldum, filium ejus, Canonicum Argent. ex una parte, Marchiones Rudolſum &

Ottonem fratres de Hachberg ex altera, litem decidit, prioribus vicum *Nider Eggenheim*, cum jure patronatus, poſterioribus caſtrum *Branbach* (Brombach) cum omni jure adſcribens.

§. XXIV.

Obiit Conradus ſenio confectus An. 1350. & apud Dominicanos Friburgi ſepultus eſt. In choro eccleſiæ hæc legitur ſepulcralis inſcriptio: „ Anno Domini MCCCL. decima die Julii „ obiit inclitus Comes Conradus Dominus Friburgi ac Lantgravius „ Brisgawie. „ Lapidi ſepulcrali duplex ſcutum inſidet, ſuperius, quod aquilam, inferius, quod aquilulas tres, uti videntur, Lotharingicas, ſiſtit, prior Conradi uxor quum Catharina Lotharingica fuerat. **Mors ejus.**

Cum Catharina hac, Friderici Lotharingiæ Ducis filia, Conradus, a patre ſuo emancipatus, An. 1290. ſponſalia iniit, teſte Charta apud CALMETUM, (*f*) qua „ Conradus „ primogenitus nobilis viri Egeno Comitis de Fribourch Conſtant. „ Diœceſis, caſtrum Liethenkke (*Liechteneck*) cum 80. marchatis „ terræ „ ſponſæ ſuæ aſſignavit. **Catharina Lothar. uxor.**

De nuptiis his ANNALES COLMAR. ad eundem annum ita: „ Comes Egino Friburg. dederat filio ſuo filiam Ducis Lotharingiæ

(*f*) *Hiſt. de Lorraine* Tom. II. Probat. col. 535. Errat *Chronicon Friburg.* pag. 30. ubi priorem Conradi uxorem Lotharing. Johannam vocat.

Digitized by Google

„ in uxorem. Conradus de Liechtenberg, Epiſcopus Argent. „ harum nuptiarum cauſa magnam curiam in Argentina celebravit.

An. 1316. Catharina hæc marito ſuo, ut caſtrum Liechteneck, vidualitii nomine ſibi obnoxium, pro 400. marcis argenti aliorum pignus conſtitueret, indulſit.

§. XXV.

Anna de Sigenau uxor.

Mortua Catharina alteram Conradus Comes uxorem duxit Annam, Ulrici Domini de Sigenowe filiam, (g) cui 100. marcarum reditus ex cenſu Friburg. An. 1330. pro vidualitio adſcripſit. Ex manibus ejus oppidulum Ettenheim Bertoldus Epiſcopus Argent. mille trecentis marcis An. 1334. redemit. (h)

A. 1351. menſe Decembri Anna hæc cum Johanne Comite Fürſtenberg. curatore ſuo, coram Johanne Werdenſi, Infer. Alſatiæ Landgravio, Ulrici filio, præſente Bertoldo, Epiſcopo Argent. in ejusdem curia Argentinæ, caſtra *Liechteneck* & *Nünburg*, pro 320. marcis oppignerata, ab Eginone filio, Comite Friburg. libera ad dies vitæ accepit: *S. Anne d. Signowe Comitiſſe d. Friburg.* Menſe Januario ſequente Hermannus Dux de Tecke, Annam hanc viduam ducturus uxorem, quicquid illa de Caſtris *Liechteneck*

(g) ALBERTUS ARGENT. *de Geſtis Bertholdi Epiſcopi* pag 169.

(h) Charta ap. BERLER *Chron.* Ms. fol. 366.

Liechteneck & *Nünburg* cum filio ſuo egerit, ſe ſervaturum promiſit. *S. Herm. Ducis de Tecke. S. Johannis Comit. de Fürſteberg.*

F R I D E R I C U S.

§. XXVI.

Pater 150. marcarum argenti reditus perpetuos medio anno 1330. & octennio poſt Judæos Friburgenſes ad decennium Friderico huic filio conceſſit. Landgraviatum Briſgoviæ, ab affinibus Hachbergæ Marchionibus ſibi oppigneratum, idem vivo patre adminiſtravit, ejusque inveſtituram a Ludovico Imperat. A. 1334. obtinuit, ut in Landgraviatus hiſtoria clarius docetur. Fridericus tamen patri ſuo Conrado judicii Provincialis exercitium pro dimidia emolumentorum parte ad tres annos A. 1336. reliquit. A. 1349. Fridericus Argentinenſibus ſeſe junxit contra eos, qui Judæos combuſtos forent vindicaturi. (*i*) Acta cum patre.

Ortam inter Fridericum & Eginonem fratres de banno ferino & argentifodinis Briſgoviæ controverſiam Johannes Epiſc. Baſil. judicio feudali A. 1351. ita decidit, ut dimidium hujus juris ſive feudi Baſil. partem Egenoni juniori omnino addiceret. Paulo poſt inter fratres hos convenum, ut ſuam quisque banni ferarum Cum fratre.

(*i*) Schilter *ad Kœnigshoven* pag. 1049.

partem alienaret pro lubitu. Partem ſuam Fridericus Comes Marchioni Heinrico de Hachberg jure feudali A. 1356. conceſſit. Sed anno ſequenti, poſt mortem Friderici, Curia feudalis Baſil. bannum illum integrum, excluſo Marchione, ſoli Egenoni Comiti, Friderici fratri, adſcripſit.

Cum aliis. Jus patronatus & vicum Eiſtat, ab Uſenbergicis Dynaſtis refutatum, rogantibus iis, Gerhardo Schultheiſio de Endingen, Militi, aliisque contulit Fridericus, à quo anno ſuperiore vicorum *Betzingen* & *Schaffhuſen* partem Wiſeneccii & Falckenſteinii Nobiles ſe accepiſſe teſtati ſunt.

§. XXVII.

Mors ejus. In ſententia Parium Curiæ Epiſcopatus Baſil. data IV. Mart. 1357. Fridericus Comes mortuus ſcribitur.

Uxor. Uxor ejus fuerat Anna, Rudolfi Marchionis Hachberga-Sauſenbergici filia, cui pro dote 700. marcas argenti debebat frater, Henricus Marchio, qui Friderico affini & patri ejus Conrado Landgraviatum Brisgoviæ A. 1318. oppigneravit. (*l*)

Annum mortis Annæ hujus docet Epitaphium, in Choro Eccleſiæ Dominicanorum Friburgi ſuperſtes: „ Anno Dni „ M. CCC. XXXI. pridie Kal. Marcii ob. Dna Anna Comitiſſa „ Friburgenſis ac Lantgravia Brisgaudie.

(*l*) Vid. infra in Landgrav. Brisgoviæ.

Digitized by Google

Filiam unicam, quam novimus, Fridericus reliquit, Claram, Palatino Tubingenſium Comiti, Gozoni, nuptam, cui Friburgenſes parere maluerunt, mortuo patre, quam Egoni patruo, unde Comitiſſæ & Dominæ Friburgi titulum aſſumſit. (*m*) Pridie Omn. Sanct. 1357. Johanni Uſenbergico, ut vicum Eiſtat ſalvo redemtionis jure venderet, permiſit. Ceſſit tamen mox patruo, mille marcis ac duobus caſtris *Lichteneck* & *Nünburg*, quæ retinebat, contenta. (*n*) Jus reluitionis in Nunburgo poſt 50. annos pro 370. marcis Egenoni ejusve heredibus competere, A. 1368. Clara hæc ſcripto profeſſa eſt. Filia.

EGENO IV.

§. XXVIII.

In feudis Imperii Egeno fratri ſuo Friderico ſtatim ſucceſſit. Horum inveſtituram nomine juſſuque Caroli IV. Imp. a Johanne Epiſcopo Argent. ſub finem A. 1356. impetravit. Quadriennio poſt ab ipſo Cæſare de Friburgenſi Dominio, Landgraviatu Brisgoviæ & Judæis, Friburgi habitantibus, Egeno inveſtitus eſt. (*o*) Inveſtitus de feudis.

(*m*) *Clara Pfallenzgræfin von Tubingen, Græfin und Frau zu Freiburg.*

(*n*) *Chron. Friburg.* pag. 32.

(*o*) Glafey *Diplomatar.* num. 205. Herrg. *Genealog. Habsb.* Tom. III num. 817.

De banno ferarum Briſgoviæ cum Epiſcopo Baſil. A. 1358. convenit, ut is deficiente proſapia ſua ad Eccleſiam Baſil. rediturus, nemini amplius in feudum conferatur. Pars iſtius banni, quam Immerius Comes de Strasberg poſſederat, cum A. 1364. vacaret, Cuno de Valckenſtein & quatuor alii arbitri de illa Friburgenſem inter & Furſtenbergicos Comites dividenda ſententiam tulerunt, præcipua portione Egenoni addicta.

Egeno hic & Conradus Furſtenbergicus Comites eccleſiam parochialem in Nuſsbach a majoribus ſuis Monaſterio Omnium Sanctorum legitime traditam eſſe, anno ſequenti profeſſi ſunt.

§. XXIX.

Friburgum venditum.

Circa hæc tempora veteres inter Comitem & Civitatem Friburg. revixerunt diſcordiæ. Urbis in vigilia Annuntiat. B. Mariæ A. 1366. media nocte admotis ſcalis ab Eginone tentatæ, memoriam tuba, vulgo *Greuſel*, quæ adhuc inflatur, Friburgenſes more Argentinenſium ſervant. Traditur quoque, a civibus, quos Briſacenſes, Neoburgenſes & Baſilienſes juvabant, cum Eginone prope Endingam minus proſpere pugnatum fuiſſe. (*p*) Omnis denique litis ut reſecaretur materia, Egeno Comes A. 1368. die Jovis ante Dominicam Palmar. jura ſua univerſa in Civitate,

(*p*) KIEFFER in Diſſert. de *Domo Habsburgo-Auſtr.* pag. 146.

Digitized by Google

ſuburbiis & agro Friburg. lapidibus cruciferis circumſcripto, ipſaque Caſtra ſua prope Friburgum, quæ tum everſa fuerant, urbi huic vendidit. (q) In juribus iſtis recenſentur judicia, cenſus annuus 150. marcarum, patronatus Eccleſiæ parochialis & Capellæ S. Nicolai; jus monetæ, vectigalia &c. ſive allodia ſint ſive feuda, ad ipſum Eginonem, conjugemque ejus Verenam, ut & matrem Annam, Duci Teccenſi nuptam, ſpectantia. Excipiuntur tantum Vaſalli in urbe habitantes. Civium relinquitur arbitrio, Dominum quemvis alium ſibi præficere. Præter XV. mille marcas argenti, quæ Comiti numeratæ, Caſtrum & Dynaſtia Badevillana, ex Comitum Friburg. manu ad Strasbergicos Comites per matrimonium olim delata, (r) nunc per Civitatem viginti quinque millibus florenorum redempta, Eginoni quoque tradita fuerunt. Sed & Claræ, Comitiſſæ Tubing. Egenonis ex Friderico fratre nepti, ducentas libras denariorum quotannis, ut antea, porro ſe præſtituram Civitas recepit. Reliqua Egenonis jura extra urbem & agrum ejus, Landgraviatus Brisgoviæ cum Vaſallis & Miniſterialibus, argeutifodinæ, venationes, vici, judicia, homines, bona &c. in Comitis poteſtate manſerunt. Conventum etiam, ut invito Comite nemo ſubjectorum ejus Friburgi recipiatur civis. Qui jam admiſſi tum fuerant, vel in urbem tranſire, vel juri ſuo

I i 3

(q) Wencker *de Uſsburg.* Continuat. pag. 71.

(r) Vid. ſupra §. XIV. & XV.

valedicere juſſi ſunt. Placuit inſuper, ut ad feſtum usque Nativitatis Chriſti quieſceret bellum, ante diem XIV. quam indictum fuerit, neutri inferendum. Transactionis hujus literas ſigillis ſuis firmarunt Marchio Otto de Hachberg, Burcardus Dom. de Vinſtingen & Schœneck, Heinricus de Gerolzeck dictus de Tubingen, Johannes de Uſenberg, Jo. de Schwarzenberg, Heinricus de Gerolzeck de Lahr & Heſſo de Uſenberg.

§. XXX.

Conventio alia.

Alio inſtrumento ejusdem diei Egeno, interpoſita avunculi ſui, Burcardi Vinſting. fide, operam ſuam omnem ac ſtudium in eo ſe collocaturum promiſit, ut, quæ ab Imperio Rom. in urbe ejusque agro tenuerit, Domui Auſtriacæ, aut cuivis alii, quem Friburgenſes Dominum ſibi elegerint, in feudum conferantur, & bonorum allodialium venditio judicii Provincialis auctoritate firmetur. Electio novi Domini intra ſex menſes ut fiat, atque Egenoni ſtatim annuntietur promiſſum. Lis ſi qua his de rebus oriretur, Conrado de Berenfels, Militi, ut arbitro, committenda; cui Simon Comes de Thierſtein & Waltherus Dom. à Dicka, ex parte Comitis; Heſſo Miles & Conradus Schnewlin ex parte civium, adderentur. Quinque hi arbitri, Caſtrum & Dynaſtiam Badenweiler cuſtodire juſſi, donec impleta eſſent, quæ Egeno promiſerat, iisdemque XIII. mille & ducentæ marcæ argenti pro Eginone in manus traditæ ſunt.

Digitized by Google

Denique tertia quadam Charta, eodem die, quartam oppidi Stauffen partem Civitas Friburg. Egenoni reliquit. Oppidum hoc & Caſtrum A. 1370. Ulr. Waltherus & Otto de Stauffen fratres, ut & anno ſequenti oppidum Sulzberg, juſſu Heſſonis Dom. de Uſenberg, qui proprietate & dominio ejus ceſſit, ab Eginone Comite in feudum acceperant.

Caſtrum & Dominium *Oltingen* Egoni huic a Kiburgi Comitibus pro octies mille florenis oppigneratum atque ab eo in filium ejus Conradum translatum fuiſſe, Hartmanni Comitis Kiburg. viduæ, Annæ, Comitiſſæ de Nidow, atque filiorum ejus Charta A. 1402. docet.

§. XXXI.

Extat in Eccleſia Badevillana lapis ſepulcralis, qui obitus Eginonis tempus deſignat: „ Anno Dom. Mill. CCCLXXXV. „ in Vig. B. Bartolo. Apoſtoli ob. nobil. Do. Ego Comes de Friburgo „ hic ſepultus. Egonis mors.

Nupſerat ei Verena, Ludovici, Comitis Novi Caſtri filia, cujus vidualitium ex Civitate Friburg. A. 1369. in Sundgoviæ terras, ipſi oppigneratas, Thann, Masmunſter, Sennheim &c. tranſtulit Egeno. Vxor.

Nata ex his parentibus Anna, Rudolphi, Marchionis Hachberga-Sauſenbergici, dein uxor, acceptis ſexies mille aureis, paternæ maternæque hereditati A. 1384. renuntiavit. Filia.

Digitized by Google

CONRADUS III.

§. XXXII.

Egoni IV. filius ſucceſſit Conradus III. qui jure materno Novi Caſtri Comitatum ſuæ genti mox intulit.

An. 1395. Roltiebus Rot, Armiger, a Conrado hoc Comite, & Landgravio Brisgoviæ vicos *Schalſtatt* pro 661. aureis ſibi oppigneratos eſſe teſtatur.

Acta cum March. Hachb. Pridie Kal. Aug. Conradus, ſi absque legitima decederet ſobole, Rudolfum Marchionem, ſororis ſuæ maritum, patrimonii & omnium bonorum ſuorum heredem publico Curiæ Baſil. inſtrumento deſignavit. Rudolphus grato in Conradum animo Landgraviatus Brisgoviæ pignus commutavit in feudum, ut in Hachbergicis & in Landgraviatu expoſiturus ſum. Eodem anno Heſſo, Marchio Hachberg. vicum *Eiſtat* cum jure patronatus a Conrado noſtro in feudum recepit. Ita Conradus vaſallus erat Rudolfi Hachberga-Sauſenbergici, Heſſo Hachbergicus fuit vaſallus Conradi.

Biennio poſt iisdem Marchionibus, Rudolfo & Heſſoni, ut & Conrado Comiti Tubing. Domino in *Liechtenegge*, Caſtrum ſuum Badenweiler Conradus tradidit, mutuam pecuniam ut ab eis acciperet; qua reddita ipſe, ejusque heredes recepturi ſint arcem.

Digitized by Google

arcem. Fecerat hoc forte Conradus, quod ſplendidam Novi Caſtri in Helvetia hereditatem adibat.

§. XXXIII.

Rolinus, filius Amedei, Novi Caſtri Comes, Comitatum ſuum Rudolpho I. Cæſari A. 1288. reſignavit; Cæſar Johanni de Cabilone, Domino de Arlaco, in feudum, (s) Cabilonius Rolino, priori poſſeſſori, in ſubfeudum tradidit. (t) Mortuo Rolino filius Ludovicus, huic filia Iſabella ſucceſſit. Hereditas Comitat. Neocaſtr.

Iſabella, A. 1397. mortua, filium ſororis ſuæ Verenæ, Conradum noſtrum, Friburgi Comitem, teſtamento ſcripſit heredem. Titulo & inſignibus Comitatus ac Dominii Neoburgenſis ab hoc tempore conſtanter uſus eſt Conradus; qui A. 1399. cum Moratenſibus de vectigali tranſegit. (u)

Ipſi Neoburgenſes A. 1407. illum Comitem ſuum ejusque privilegia celebrant, addito promiſſo, ſi Conradus absque legitima prole decederet, ſe non alium, quam Joannem de Cabilone, Arauſionis Principem, agnituros eſſe Dominum. (x) Eodem hoc

(s) Literæ inveſtituræ apud Hohenhard in *Preuſiſches Neuburg.* pag. 306.

(t) Ibid. pag. 308.

(u) Tschudi *Chron. Helvet.* Part. I. pag. 597.

(x) Hohenhard loc. cit. pag. 311. Arauſionenſium Principum ſcriptor, Josephus de la Pise, *Hiſt. des Prince d'Orange* pag. 105. errat,

anno Neocaſtrenſes a Bernatibus jus civitatis obtinuerunt. Inſtrumentum hac ſuper conditum (*y*) ſpeciatim juribus Conradi & heredum ejus his verbis proſpexit : „ Ipſis tamen (Civibus „ Novi Caſtri) in hac re ſignanter excipientibus omnia jura , in „ quibus magnifico ac generoſo Domino , Domino Conrado de „ Friburgo Comiti, ac Domino Novi Caſtri , aut heredibus & „ ſucceſſoribus ſuis , ſecundum antiqua privilegia & veteres „ conſuetudines obligantur. „ Quin & alio Inſtrumento ejusdem temporis profeſſi ſunt Neoburgenſes , ſe hæc omnia feciſſe „ cum „ conſenſu & ſcitu. . . . . Domini Conradi de Friburgo Comitis & „ Domini Novi Caſtri &c. (*z*)

§. XXXIV.

Heredi- tatis jus. Conradum Friburgi Comitem ab Iſabella injuſte ſcriptum fuiſſe Neoburgici Comitatus heredem , Arauſionenſium & Brandeburgicorum jurium propugnatores contendunt. (*a*)

quando primam Neoburgenſis Comitatus obtinendi ſpem Arauſionenſibus tum factam eſſe perſcribit , inveſtituræ Cæſareæ An. 1258. & ſubinfeudationis Rolini , de qua ſupra, ignarus.

(*y*) LEU *Lexic. Helvet.* Tom. XIV. pag. 90. Gallico idiomate hoc Inſtrumentum extat ap. LEIBNIT. *Cod. Juris Gent.* Mantiſſæ Part. II. pag. 108.

(*z*) LEU loco alleg. pag. 94.

(*a*) HOHENHARD, ſeu LUDEWIG in Libro *Preuſiſches Neuburg* pag. 13. ſqq. GUNDLING in *Hiſtoriſcher Nachricht von Neufchatel* pag. 15.

At qua ratione Conradum uſurpationis accuſes, qui non modo a Statibus Neocaſtrenſibus, ſed & ab ipſo denique Joanne Cabilonio, Arauſionis Principe, pro legitimo Novi Caſtri agnitus eſt Comite.

Probat hoc Charta a Statibus Neoburg. An. 1406. data Johanni Arauſionenſi, qua ipſi hi Status eum non ſolum Neocaſtrenſis Comitatus Dominum directum agnoſcunt, ſed & Conradum Comitem ſuum profitentur legitimum, atque Johannis Vaſallum; promittentes diſerte, Comitatum ſe ei tradituros, ſi Conradus absque heredibus, ex ſuo corpore procreatis, moreretur. Heredes autem non reſtringuntur ad maſculos; ſed filiæ filiarumque heredes admittuntur promiſcue. (*b*) Filium autem Conradus quum

(*b*) En verba Inſtrumenti :

„ Nous le Conſeil & la Communauté de la Ville de Neufchatel... „ promettons & jurons... qu'au cas, que Monſ. Conrault à preſent „ Comte de Neufchatel decederoit de ce ſiecle ſans hoirs de ſon corps „ naturel & legitime, ou ſes enfans naturels & legitimes, ou les „ hoirs de ſes dits hoirs deſcendans en droite ligne, trepaſſeroient „ ſans hoirs procreés de leur corps en leal mariage, „ qui par les droits des ſiés d'Alemaigne le pourroient ou devroient „ ſucceder, nous recevrons & ferons tenus de recevoir pour nous „ & nos dits hoirs & ſucceſſeurs le dit notre redoubté Seigneur „ Monſieur Jean de Chalon, Seigneur d'Arlay & Prince d'Orange, „ & ſes hoirs &c.

Hohenhard &c. *Beylagen* pag. 312. ſq.

Digitized by Google

reliquerit Johannem, ſucceſſio ejus Neocaſtrenſis dubia reddi haud potuit. At controverſa fuit, quum Johanni Friburgico Rudolphus ex Hachbergicis Marchio A. 1457. ſucceſſiſſet; qua de re infra in Rudolpho.

§. XXXV.

Badevilla Auſtriacis oppignerata.

An. 1398. Leopoldus, Dux Auſtriæ, literis, apud Thannenſes ſcriptis, a Comite Conrado de Friburg, Domino in Neuenburg, caſtrum Badenweiler & univerſa ejus bona ac reditus in iſtis Brisgoviæ partibus ſe accepiſſe fatetur, ut æs alienum patris ejus diſſolveret, inveſtitura tamen Vaſallorum Conrado ſervata. Anno ſequenti oppigneratam ſibi hanc Dynaſtiam aſſerit Leopoldus Auſtriacus, pro 28000. aureis, quorum bis mille Conrado Comiti ſoluti, reliqui creditoribus ſolvendi eſſent. Brevi poſt idem Dux Paulum Moerſerum de vicis *Betzingen* & *Schaffhauſen* nomine Conradi inveſtivit, ac monaſterio S. Mariæ pro curia in *Tüngen*, dono olim Rudolfi Comitis Habsb. eccleſiam & jus Patronatus in *Herderen*, ut Dynaſtiæ Badevillanæ poſſeſſor, tradidit.

Dynaſtia hæc eandem ob cauſam multa mala perpeſſa eſt bello, quod Auſtriaci cum vicinis Helvetiis gerebant. An. 1409. miſſi Baſilea pedites mille & quadringenti equites, qui octo vicos Badevillanos, Auſtriacis tum ſubjectos, incendio devaſtarunt. Mox tamen induciæ factæ ſunt opera Rudolfi de Hachberg, Marchionis. (c)

(c) URSTIS. *Chron. Baſil.* pag. 216.

Digitized by Google

§. XXXVI.

Proſcripto in Concilio Conſtant. Friderico Auſtriaco, Conradus Comes vexillum Imperii geſtabat in expeditione militari, cum Helvetiis contra Zofingam A. 1415. ſuſcepta. (*d*) Acta reliqua.

A. 1417. Sigismundus Imp. Johanni Comiti ob præclaram operam in Longobardia, alibique præſtitam permiſit, ut Dynaſtiam Badevillanam ex Auſtriacorum manibus 4000. florenis redimeret; (*e*) imo & anno ſequenti ob merita paterna ac propria, Dynaſtiæ hujus poſſeſſionem, duraturam quoque poſt Cæſaris cum Friderico Auſtr. reconciliationem, Conſtantiæ & Argentorati firmavit.

Eodem anno Hartmannus, Epiſc. Baſil. Rudolphum, Marchionem de Hachberg, & Conradum Comitem noſtrum de hominibus, banno ferino & argentiſodinis Brisgoviæ, Silvæ Nigræ &c. inveſtivit.

A. 1421. Conradus Comes Paulum Moerſerum de vicis *Betzingen* & *Schaffhauſen* denuo inveſtivit, annoque ſequenti filii ſui Johannis, Landgravii Brisg. & Dynaſtæ Badevill. literas ſigillo ſuo munivit.

Kk 3

(*d*) Tschudi *Chron. Helvet.* Part. II. pag. 13.

(*e*) Literæ datæ Conſtantiæ die S. Margarethæ.

Digitized by Google

Mors. Mortuus paulo poſt, & in eccleſia Ciſtercienſis monaſterii *Rheinthal* prope Badev illam atque Mulhemium ſepultus eſt. (*f*)

JOHANNES.

§. XXXVII.

Acta vivo patre. Landgraviatum Briſgoviæ & Dynaſtiam Badevillenſem vivo patre, uti vidimus, Johannes hic adminiſtravit.

Johannem Intrepidum, Burgundiæ Ducem, A. 1419. ad colloquium cum Delphino Franciæ, Carolo VII. in ponte apud *Montereau* habendum, ſecutus in Galliam, occiſo ibi Duce, captus ipſe, magnoque ære vinculis liberatus eſt. (*g*)

Inter decem, quos Burgundus ſelegerat, comites, præter Johannem noſtrum Friburgenſem, Guilielmus de Vienna, S. Georgii Dominus, Rudolfi Marchionis Hachberg. ſocer, comparuit.

§. XXXVIII.

Dynaſtiæ Badevill. fata. An. 1424. in Præfectura Badevill. Conrado Theobaldo Waldnero ſucceſſit Johannes de Novo Caſtro, Dom. in Warmeck, qui, datis Comiti Friburgenſi ſexies mille florenis, ex Magiſtratu

(*f*) *Chron. Friburg.* pag. 32.

(*g*) *Dom.* PLANCHER *Hiſt. du Duché de Bourgogne* Tom. III. pag. 524. *Memoires pour ſervir à l'Hiſt. de France & de Bourg.* pag. 213. URSTISII *Chron. Baſil.* pag. 63.

mox factus eſt Dominus, jure oppignerationis, quo etiam Gasp. Meinwartus, ipſo conſentiente, vicos *Mengen* & *Thüngen* obtinuit. At eandem Dynaſtiam, æque ac Landgraviatum Brisgoviæ, brevi poſt invaſerunt Auſtriaci, antiquius oppignerationis jus ſibi vindicantes, id quod Johannem Comitem adeo exacerbavit, ut omiſſis pacis negotiis A. 1428. Alſatiam Auſtriacam cædibus atque incendiis vaſtaret. Terris his Johannes tum præfuit, Thierſteinenſis Comes, qui Wilhelmi, Marchionis Hachberg. aliorumque opera uſus, rem eo perduxit, ut armis utrimque depoſitis, Senatus Baſil. judicio ea committeretur. Receptæ itaque Badevillæ Johannes Friburg. Comes Heinricum de Nuwenfels præfecit, quo adminiſtro Eberhardi IX. Comitis Wirtenberg. viduæ, ultimi Montisbel. Comitis filiæ ac heredi, Heinriettæ, neſcio quam ob cauſam, A. 1443. ad dies vitæ tradita eſt. Brevis hæc fuit poſſeſſio, anno ſequenti jam morte Heinriettæ extincta.

§. XXXIX.

Liberalitas in Hachbergæ March.

Redeuntem ad ſe Dynaſtiam Johannes Comes Rudolfo & Hugoni, fratribus, Hachbergæ Marchionibus, conſanguineis ſuis, libere donavit; imo & Rudolfum hunc Comitatus ſui Neoburgenſis A. 1450. heredem ſcripſit. Ludovicus, Cabilono-Arauſionienſis Princeps, Dominus directus, ægre id ferens, Johannem ad novam inveſtituram Grandſonii accipiendam coëgit; (*h*) quæ ſolennitas

(*h*) LEU *Lex. Helvet.* Tom. XIV. pag. 41.

Digitized by Google

tamen non impedivit, quo minus Johannes in propoſito perſiſteret. (*i*)

§. XXXX.

Bella.

Is jure civitatis Bernenſis cum Neoburgenſibus ſuis gaudens, (*l*) in bello Turicenſi A. 1444. & ſequenti ab Helvetiorum partibus contra Auſtriacos ſtetit & Gallos. (*m*)

Cum Gallis quidem pacem iniit, (*n*) at non cum Auſtriàcis, qui Dynaſtiam Badevill. denuo invaſerant. Hanc recepturus Johannes, cum Alberto, Duce Auſtriæ, menſe Sept. 1454. colloquium Waldshuti inſtituit, aſſumto comite Rudolfo, Marchione Hachberg. futuro herede ſuo. Albertus ſecum habuit Thuringum Hallvilium, Mareſchallum ſuum. Multa ab utraque parte in medium prolata, congreſſi ſæpius Principes, ſed nihil peractum. Placuit dein Epiſcopi Baſil. arbitrium, ob quod Rudolfus de Ringoltingen, Sculcetus Bernenſis, Johannis Comitis nomine, Baſileam profectus eſt, Rudolfo de Ramſtein cauſam Auſtriacorum agente.

§. XXXXI.

(*i*) *Reflexions ſur la Reponſe de Mad. de Lesdiguieres touchant le Droit du Roi de Pruſſe ſur Neufchatel* pag. 37.

(*l*) LEU loc. cit.

(*m*) TSCHUDI *Chron. Helv.* Part. II. pag. 455.

(*n*) SCHILTER *ad Kœnigshov.* pag. 975.

Digitized by Google

§. XXXXI.

An. 1457. obiit Johannes, Friburgenſium Comitum poſtremus, cujus teſtamentum, Veſontione apud Judicem Curiæ Archiepiſcopi depoſitum, Rudolſum Hachberga-Sauſenbergicum bonorum ejus heredem ex aſſe pronuntiavit; contradicente ob Novum Caſtrum Ludovico de Cabilone, Arauſio Principe, qua de re in Hachbergicis agimus. Mors.

Uxorem Johannes duxerat Mariam, Johannis de Cabilone, gentis hujus primi Arauſii Principis, (o) qui A. 1418. deceſſit, filiam, quæ nullam ei ſobolem dedit. Mariæ frater erat idem, quem ſæpe nominavimus, Ludovicus Princeps; ſoror Alienora ſive Alix, nupta Guilielmo de Vienna, S. Georgii & S. Crucis Domino, ex quo matrimonio prodiit Margaretha, uxor ejusdem Rudolfi Marchionis, quem Johannes Comes ſcripſit heredem. Uxor.

§. XXXXII.

Comitum Friburgenſium, quos deſcripſimus, ſeriem & fata conſiderantes attentius, quinque viciſſitudines majores & epochas in eorum hiſtoria deprehendimus. Recapitulatio.

(o) Joseph de la Pise *Hiſt. des Princes d'Orange* pag. 88. & 110. *Genealogies hiſtor. des Souverains* Tom. IV. pag. 314. 316. & Tab. LXIV.

Digitized by Google

Prima *Uracenſis* eſt,qua opes eorum intra vetus patrimonium Uracenſe conſtitutæ.

Secunda *Friburgenſis* ab A. 1218. quo Zaringicam hereditatem Comites Uracenſes adierunt, Friburgum nempe Brisgoviæ, cum inſigni terræ tractu, qui deinceps Comitatus Friburgenſis appellatus eſt. Centum annis hæc abſolvitur Periodus.

Ei ſucceſſit *Landgravialis* A. 1318. quo Comites Friburgenſes à Marchionibus Hachbergæ Landgraviatum ipſum Brisgoicum acceperunt in pignus.

Inde quarta poſt 50. annos ſurrexit epocha, *Badevillana*, quum facta bonorum permutatione, pro urbe Friburgenſi Egenoni IV. Comiti A. 1368. Dynaſtia hæc tradita eſt.

Quinta denique & ultima fuit *Neocaſtrenſis* Ann. 1397. quo Comitatus iſte Helveticus Comitum quoque Friburgenſium factus eſt juris.

Incrementa hæc omnia matrimoniis, Zaringico, Hachbergico, Neocaſtrenſi debuerunt Comites; a quibus eadem ratione ad Marchiones Hachbergæ pleraque tranſierunt.

Atque ita Zaringicis rebus imponimus finem, ad Badenſes, ſtrictius ita dictas, tranſituri, quæ Librum III. Operis noſtri componunt.

Digitized by Google

ad pag. 267.

S A D E N S I U M.

H E R M a Com. Calbenſis † 1091. Vid. Tab. III.

H E R M A N N o B A D E N S I S 1130. quo obiit, ſepultus
Backnang

H E R M A N N Imp. fit M A R C H I O V E R O N E N S I S 1158.
† 1160. ſe

H E R M A N N Orientem, cum quo periit 1190. Antiochiæ
ſepultus.

H E R M A N N s H E N R I C U S I. Marchio- Gertrudis uxor
burg. Ec o num Hachbergen- Alberti, Comitis
mengardi † ſium ſator, de qui- Dagsburgenſis
cum mar 6. bus vid. Tab. VII. ultimi.

H E R M A N N Marchio Bad. Eliſabetha, uxor Ludovici,
Neoburg. lix propa- Dynaſtæ Lichtenber-
Styriæ D Tom. II. genſis.

F R I D E R I C Ulrici Ducis Carinth. 1263. 2. Meinhardi
in Aula bethæ, nuptæ Alberto Imp. primo Auſtriæ
eodem N uci.

Digitized by Google



HISTORIAE
ZARINGO-BADENSIS
LIBER TERTIUS
DE REBUS BADENSIBUS
PERIODUS PRIMA
HERMANNIANA.

CAPUT I.
HERMANNUS I. ab A. 1052. — 1074.

---

§. I.

Periodi appellatio.

Primam Hiſtoriæ Badenſis propriæ Periodum ab auctore & ejus nepotibus Hermannis *Hermannianam* appello. Hermannorum iſtorum quatuor priores caruere fratribus, adeoque ſinguli lineæ ſuæ ſoli

Digitized by Google

Benedictinus Aſceta; hic ſynchronus Hermanni primi, ille ſecundi. Udalricus, Eccleſiæ Ratisbonenſis primo Canonicus, & poſtmodum Cluniacenſis Monachus, vir multæ ſcientiæ & præclaræ virtutis, Cluniaci floruit eo ipſo tempore, quo Marchio noſter eodem in Cœnobio Monachus vixerat. Tanta Udalrici fuit in eum veneratio, ut vitam ejus & epitaphium libro peculiari conſcripſerit, quæ injuria temporum perierunt.

Mellicenſis Anonymus rem ita exponit: „ Udalricus „ compoſuit quoque vitam & epitaphium Sancti Hermanni, ex „ Marchione Monachi, filii Ducis Berchtoldi, fratris Gebhardi, „ Conſtantienſis Epiſcopi. „ Quid enuntiatione hac clarius? quid teſtimonio hoc fortius requiras? Sive enim rubrum vitæ Hermanni, ab Udalrico deſcriptæ, iſtud fuerit; ſive Mellicenſis Anonymus verba poſteriora adjecerit rubro, uterque teſtis omni exceptione dicendus eſt major. Udalrici librum de vita B. Hermanni Marchionis vidit & ante ſexcentos jam annos recenſuit Mellicenſis Anonymus. Hunc autem ante A. 1113. ſcriptum illud ſuum compoſuiſſe, ex eo colligimus, quod ipſe Hieronymum, Gennadium, Caſſidorum, Iſidorum, qui Eccleſiaſticos ſcriptores quoque recenſuerunt, allegans, Sigebertum Gemblac. præterivit ſilentio, qui tamen Benedictinæ quoque adſcriptus familiæ fuit, atque A. 1113. deceſſit.

Digitized by Google

Conjectura hæc non mea tantum eſt, ſed & BERNARDI PEZII, Mellicenſis Bibliothecarii, Viri perdocti, qui Anonymi Benedictini Opuſculum ex Codicum Msſt. quorum cuſtos erat, theſauro in lucem emiſit, (*b*) quem Codicem A. 1738. in Bibliotheca Mellicenſi ego ipſe conſpexi; monſtrante eum mihi Hieronymo Pezio, fratre & ſucceſſore Bernardi, Auſtriæ Scriptorum editore percelebri. Quod ſi hic B. Hermanni vitæ Codex in literariis loculis aut reconditis Manuſcriptorum ſcriniis alicubi lateret, quanti nobis pretii futurum eſſet Marchicarum originum tam lucidum, tam auguſtum monumentum. Hæc de documentis, ex Cluniaco Mellicoque petitis; nunc ad domeſtica progredimur.

§. III.

Ex Actis San-Petrinis.

In San-Petrina Benedictinæ quoque familiæ Abbatia, in extremitate Briſgoviæ & in Martianæ Silvæ meditullio ſita, quam Bertoldus II. Zaringiæ Dux condidit, membranaceum ſeculi XII. extat volumen, quod *Rotulum* (*c*) vocant; in quo Zaringicæ Bertoldorum Chartæ, Monaſterium D. Petri reſpicientes, perſcriptæ ſunt. Brevem Abbatiæ hujus, A. MCXI. inſtitutæ, notitiam hic Rotulus exhibet, in qua inter teſtes *Heremannus Marchio*

(*b*) Anonymum hunc Mellicenſem PEZIUS edidit atque ſubjunxit *Bibliothecæ Benedictinæ Mauriance*, quæ a. 1716. Auguſtæ Vindel. prodiit forma 8va.

(*c*) Rotulus hic XX. pedes longitudinis, unum pedem latitudinis habet.

Digitized by Google

fratruelis præfati Ducis memoratur. Dux ille fuerat Bertoldus II. cujus frater Hermannus I. Cluniacenſis, An. 1074. mortuus, filium reliquit Hermannum II. qui in Rotulo dicitur *fratruelis Ducis*, nempe Bertoldi II. Fratruelis eſt filius fratris. (*d*) Tam gravi teſtimonio aliud, non minus grave, ſuccedit, quod prius confirmat.

Charta eſt ejusdem Rotuli brevi poſt ſcripta, (*e*) referens Donationem, „ qua Herimannus Marchio, beatæ memoriæ „ Herimanni Marchionis filius, pro animæ ſuæ & conjugis nuper „ defunctæ remedio prædium in Amparingen & baſilicam „ ibidem S. Petro donavit; „ ubi inter teſtes *Bertholdus Dux partuelis ejusdem Comitis* &c. Per Comitem heic idem intelligitur Hermannus Marchio, qui antea *fratruelis Ducis* vocabatur Bertoldus II. eodem, quo Monaſterii Petrini exſtructio

(*d*) Ita Hieronymus in Epiſtolis paſſim & vetus Gloſſator. Accedit Chronicon Weingartense in Leibnitii *Scriptor. Rer. Brunſvic.* Tom. I. p. 788. Sigebertus, Gemblacenſis Monachus, Zaringenſibus coætaneus Bertoldis, qui ad A. 942. ita ſcribit: „ Orta diſſenſione „ inter Principes de varietate legis, utrum deberent, avis ſuperſtitibus, „ filii filiorum poſt patres defunctos hereditare, an exheredatis „ *fratruelibus* deberet hereditas ad patruos redire. „ Tandem Charta domeſtica ipſius familiæ Badenſis A. 1296. qua Rudolphus III. Marchio Hermanni VII. fratris ſui filium Fridericum appellat *fratruelem*.

(*e*) Circa A. 1112.

Digitized by Google

perfecta eſt, anno, quum mortuus eſſet, Bertoldus III. ei ſucceſſit. Tum vero idem Herimannus II. Marchio, qui Bertoldi II. *fratruelis* eſt dictus, donationem prædii in Amparingen fecit eidem Cœnobio, teſtemque rei adhibuit Bertoldum III. *patruelem.* Chartæ hæ mutuam ſibi lucem accendunt, altera alterius genealogiam illuſtrat & firmat.

§. IV.

Stemma agnationis.

Agnationem Badenſium cum Zaringenſibus ſchema exhibet ſequens.

BERTOLDUS I. Dux Zaring. † 1078.

Bertoldus II. Dux † 1111.	Hermannus I. Marchio † 1074. Cluniaci, unde Badenſes.
Bertoldus III. Dux. † 1122	Hermannus II. Marchio † 1130. *fratruelis* Bertoldi II. & *patruelis* Bertoldi III. Ducum.

Quod ſi autem Bertoldus III. Zaringiæ Dux, & Hermannus II. Marchio *patrueles* fuerunt, neceſſe eſt, ex duobus fratribus eos prodiiſſe, adeoque communem eos avum habuiſſe Bertoldum I.

Vinculum patris & filii, Bertoldum I. inter atque Hermannum Marchionem, Cluniaci mortuum, JOHANNES PISTORIUS, vivens Friburgi, in Tabula Genealogica, quam MANLII

Digitized by Google

Manlii *Chronico Conſtantienſi*, A. 1606. edito, (*f*) adjecerat, primus aperuit; ita tamen, ut fontem, unde ſua hauſerat, Georgio Friderico, Marchioni Badenſi, tum infenſus, occuleret. Oraculum, quod ipſe tacens conſuluerat, ego aperte adivi, Aulaque Cæſarea meis conatibus favente, in San-Petrinis Brisgoviæ Chartis nexum inveni, qualem nobis indicaverat Piſtorius, quemque Anonymi Mellicenſis Codex me jam in Auſtria docuerat.

§. V.

Hermanni vita & obitus.

Hermannus hic, vivo adhuc patre Bertoldo I. viva uxore, vivoque filio tenero; ſeculum adoleſcens reliquit, Cluniacenſe Monaſterium ingreſſus. Bertholdus Constantiensis A. 1074. ita rem refert: „ Cluniaci vitam angelicam arripiens, „ perfectiſſime adhuc adoleſcens, uxore & unico filio & omnibus, „ quæ poſſederat, derelictis, vere Monachus, migravit ad „ Dominum VII. Calend. Maji. „ Idem ad eundem annum tradit Conradus Urspergensis his verbis: „ Hermannus Marchio, „ filius Bertoldi Ducis, Cluniaci Monachus obiit. „ Monaſticam ergo vitam in Burgundia elegit Hermannus, & paulo poſt mortuus eſt.

(*f*) Inter *Scriptores ſex Rerum German.* pag. 742. edit. Struv. Vide ſupra pag. 61.

Digitized by Google

Bertoldus, pater ejus, An. 1073. Ducatum Carinthiæ & Marchionatum Veronenſem amiſerat, adeoque in Sueviam & Briſgoviam ad terras ſuas patrimoniales redierat, Dux & Marchio ſine Ducatu & Marchia. Infelicia patris fata filium ſecundo genitum induxiſſe videntur, ut valediceret ſeculo; quod conſilium brevi poſt patris depoſitionem executus eſt Hermannus; brevis quoque temporis Monachus; quum An. 1074. jam é vivis exceſſerit.

§. VI.

Monaſtica vita Laicorum.

Monendus hic lector eſt, frequens illis temporibus, Magnates, ſervato etiam ſeculari habitu, ut ingrederentur cœnobia. BERTHOLDUS CONSTANT. ſcribit: (g) „ Jam „ ſeptennio totum Rom. Imperium bello laboravit; aliis Domino „ Apoſtolico, aliis Henrico faventibus; ob hoc utrinque totum „ Regnum præda, ferro & igne miſerabiliter devaſtantibus. „ Pauciſſimi Catholici Epiſcopi ex parte Apoſtolici remanſerunt.... „ Quapropter omnes pene religioſi, ſive Clerici ſive Laici, in „ aliqua Monaſteriorum latibula, hujusmodi mala declinaverunt.„ Alio in loco (h) ſcribit: „ His temporibus in Regno Teutonicorum

(g) Ad A. 1083. Eodem modo ſtatum illius temporis depingit AUGUSTENSE CHRONICON A. 1092.

(h) Ad A. 1091. pag. 365.

Digitized by Google

„ communis vita multis in locis floruit, non ſolum in Clericis & „ Monachis . . verum etiam in Laicis, ſe ſuaque ad eandem „ communem vitam devotiſſime offerentibus; qui etſi habitu nec „ Clerici nec Monachi viderentur, nequaquam tamen eis dispares „ meritis fuiſſe creduntur. Se enim ſervos eorundem pro „ Domino fecerunt. . . . ſe & ſua ad congregationes tam „ Clericorum quam Monachorum . . devotiſſime contulerunt. „ (*i*)

Ceterum Cluniacenſis Abbatiæ magna fuit illò tempore fama. Caſimirus, Poloniæ Rex juvenis, paulo ante, relicto Poloniæ ſolio, illud quoque intraverat Cœnobium. (*l*) Brisgoviæ & Alſatiæ plures Prioratus à Cluniacenſi Abbatia hodieque pendent; (*m*) quæ ipſum Ordinis Cluniacenſis caput eſt.

(*i*) Monachi hi advenæ dicebantur *barbati*, *converſi*, *oblati*, denique *donati*. Trithemii *Chron. Hirsaug.* A. 1082.

(*l*) A. 1036. At A. 1041. à Polonis perſuaſus ad ſolium rediit. Chronographus Saxo A. 1034. p. 244. Dlugossus in *Hiſt. Polon.* Lib. III. pag. 192. & 213.

(*m*) In Brisgovia fuit Prioratus S. Udalrici, Nigræ Silvæ. In Alſatia Oelenberg, Thierbach &c. Baſileæ Prioratus S. Albani. Vid. Andr. Quercetani (Du Chene) *Bibliotheca Cluniacenſis* pag. 1742. ſeq.

Digitized by Google

§. VII.

Hermanni titulus.

Tam pium & religioſum Principem Zaringo-Badenſis Domus veneratur ſatorem; quem more illius temporis, quo hereditaria familiarum nomina nondum invaluerant, Bertoldus Conſtantienſis & Conradus Urſpergenſis ſimpliciter *Marchionem* appellant, non quod Marchionatum aliquem poſſederit, ſed quod Bertoldi, Ducis Carinthiæ & Marchionis Veronæ ſecundo genitus fuerat filius. Primogenito enim titulus *Ducis* adhæſit. Quum autem ante patrem Bertoldum, qui Ducatum & Marchionatum amiſerat, ad Dynaſtias ſuas hereditarias redire coactus, deceſſerit Hermannus, intelligimus facile, nondum compotem eum fuiſſe terrarum Badenſium, quæ nonniſi mortuo Bertoldo, adeoque poſt A. 1078. ad Hermannum II. Cluniacenſis filium pervenire potuerunt; & tamen patrem ejus Hermannum I. appello; a quo Hermanni quinque ſerie non interrupta deſcendunt; unde *Hermannidum* Epocha; quæ ab A. 1052. quo prima mentio Hermanni I. ut Comitis, ad A. 1250. quo Hermannus VI. deceſſit, adeoque per ducentos fere annos duraverat.

§. VIII.

Uxor ejus Juditha.

Hermanni I. & uxoris notitiam Bertholdo Conſtantienſi debemus. Hic enim, qui mortem Hermanni I. ad A. 1074.

Digitized by Google

retulerat, conjugis ejus, Judithæ, obitum ad A. 1091. verbis his refert: (*n*) „ Juditha, piæ memoriæ Marchioniſſa, nobilis genere, „ ſed nobilior ſanctitate, uxor quondam Heremanni religioſiſſimi „ Marchionis, migravit ad Dominum, quinto Cal. Octobris. „ Ipſa enim cum marito ſuo religioſe vixit. Poſt cujus obitum „ XIX. annos in viduitate & ſancta converſatione permanſit. „ Demum ad Dominum Papam Salernum pervenit, ibique ſub „ ejus obedientia diſceſſit. „ Nobilem genere fuiſſe Juditham, Bertholdus dicit, at domum, ex qua prodierit, ſilet. Maritus ſub monaſtica obedientia obiit: Juditha ſub obedientia Papæ, mortua Salerni, in Neapoleos Regno. Urbanum II. coluit Juditha, quod Cluniacenſis quoque Monachus antea fuerat & amicus Hermanni.

§. IX.

Juditha hæc ex divite proſapia prodiit. Vidua enim ad Hirſaugienſis Baſilicæ amplificationem, cui novem annos Wilhelmus Abbas impendit, multas opes contulerat, ut Trithemius tradit. (*o*) Hæc ipſa ejus in Hirſaugiam liberalitas Calvenſis origine.

(*n*) *Chron.* ad A. 1091. pag. 366. ap Urstisium.

(*o*) *Chron. Hirſaug.* A. 1082. & 1091.

facit, ut ad antiquam Calvenſium (*p*) in Suevia Comitum proſapiam ejus referam natales; eamque adeo Adelberti & Wiltrudis filiam fuiſſe exiſtimem. Adelbertus enim, hujus familiæ Comes, Cœnobii Hirſaugienſis reſtaurator fuit, ut Annales ejus Chartæque teſtantur, opusque adeo patris filia continuavit Juditha.

Adelbertus hic Bertoldi I. Ducis, Rudolphi Anti-Cæſaris & Guelfi, Bavariæ Ducis, amicus, Dietericum, Virodunenſem Epiſcopum, cepit An. 1077. cum hic in Italiam ad Henricum IV. Imp. proficiſceretur. (*q*) Henricus IV. Imp. in Diplomate, quod A. 1075. Hirſaugienſibus dedit, (*r*) filias Adelberti Utham (*s*) & Irmingardem nominat. Tempus & reliquæ circumſtantiæ ſuadent,

(*p*) Calba, Germ. *Calw*, oppidum cum veteri caſtro Wirtenbergici Ducatus. Caſtellum *Chalawa in Teutonica Francia* dicitur in Charta Henrici IV. Imp. An. 1075. apud BESOLDUM. LAMBERTUS SCHAFFNABURG. pag. 419. Adelbertum vocat *Comitem de Caſtello Caleuuo.*

(*q*) LAMBERT. SCHAFNAB. pag. 419.

(*r*) Extat apud TRITHEMIUM in *Annal. Hirſaug.* ad A. 1075. Tom. I. pag. 239. & apud BESOLDUM *Monum. Wirtemb.* pag. 513. Cæſar in eo firmat teſtamentum, quod Adelbertus fecit in Hirſaugienſis Monaſterii favorem.

(*s*) Uta, Juta, Juditha unum idemque nomen eſſe, patet ex Annalibus Bebenhuſani Cœnobii apud LUDEWIG *Reliquiar. Mss.* Tom. X. pag. 418.

ut Juditham, Hermanni I. uxorem, conjiciamus eſſe Utham illam, Adelberti, Comitis Calv. filiam, quæ à Trithemio ſimpliciter Marchioniſſa vocatur, (*t*) & vidua Marchionis Hermanni, qui Cluniaci Monachus deceſſit. (*v*) Marchioniſſa hæc cum fratribus ædificium Hirſaugienſe, à patre cœptum, perfecit An. 1091. qui ipſe annus eſt mortis Judithæ, uti ex Bertoldo Conſtantienſi retulimus. Fratres ejus in Henriciano Diplomate, quod modo allegavimus, Bruno, Adelbertus & Gotfridus vocantur.

Leo IX. Papa multas Germaniæ provincias peragrans, A. 1050. Calbæ Adelbertum inviſit, cujus mater fuit ſoror Leonis, filia Hugonis IV. Comitis de Egisheim, adeoque ex Alſatia prodiit. (*x*) Juditha ergo, Sereniſſimæ Badenſis Domus glorioſa progenitrix, Leonis IX. Papæ fuit proneptis, Henrici IV. Imp. cognata, cujus proavia Adelheidis ex Alſatica Comitum Egisheimenſium prodierat Domo. Fuerat enim ſoror Hugonis III. Egishemii Comitis, qui fuit avus S. Leonis.

(*t*) *Chron. Hirſaug.* ad A. 1091. pag. 291.

(*v*) Idem pag. 255.

(*x*) Idem ad A. 1090. Vid. *Alſat. Illuſtr.* Tom. II. pag. 474.

Digitized by Google

BUCELINUS, (y) SPENERUS, (z) IMHOFIUS, (a) Juditham Caluenſem quoque Hermanno Cluniacenſi uxorem adſcribunt, ſed aſſerti ſui rationes non afferunt.

(y) *Germ. Topograph.* Part. II. pag. 352.

(z) *Sylloge Genealog.* pag. 610.

(a) *Notitia Procerum Imperii* Lib. IV. Cap. VIII.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT II.

HERMANNUS II.

ab Anno 1074. usque ad Annum 1130.

§. I.

Hermannum II. filium fuiſſe Hermanni I. Cluniacenſis, ex Actis San-Petrinis Nigræ Silvæ ſupra (a) probavimus, in quibus ille *fratruelis* Bertoldi II. Ducis Zaringiæ & *patruelis* Bertoldi III. vocatur; adeoque certus Bertoldi I. extiterat nepos. Parentes ejus & nomen.

Primus dici poſſet *Marchio Badenſis*, ut ante nos fecerunt fere omnes, Marchiam Bad. per matrimonium cum Juditha primum ab eo Genti ſuæ illatam exiſtimantes; ſed nos in appellatione hac Gentis & ſanguinis potius quam terræ poſſeſſæ habemus rationem; id quod jam ipſius factum eſt ævo. Wolfhelinus de Tonſula

(a) Cap. præced. §. III. ſq.

Digitized by Google

prædium apud Schalchſtadt cum manu Domini ſui Bertoldi monaſterio S. Petri vendidit *præſente Dom. Herimanno ſecundo.* More ſeculi tamen, quo definita familiarum nomina nondum invaluerant, ſimpliciter *Marchio* in Chartis vocatur. Jo. GAMANSIUS & ex eo DROLLINGERUS (*b*) aſſerunt, Hermannum hunc uſum eſſe titulo *Marchionis de Limburg*, cujus tamen nominis nullum mihi exemplum occurrit. Volunt enim, ſedem eum habuiſſe in caſtro Limburg ad Rhenum, paulo infra Briſacum.

§. II.

Acta varia.

In Principum Conventu Wormatiæ A. 1076. comparuit Hermannus, Diplomatis Henrici IV. Imp. Rueggisbergenſi Burgundiæ minoris monaſterio dati, primus inter Marchiones teſtis. An. 1087. Bertolfus Dux & *Herimannns Comes* nomina ſubſcripſerunt Chartæ, qua locus *Cella* in Nigra Silva Prioratui S. Ulrici traditus eſt. Hermannus hoc loco *Comes* vocatur, quod mentio ejus facta ut Comitis Provincialis Brisgoviæ, in quo Comitatu Cella, de qua agitur, ſita fuit.

Anno 1101. Burchardus & *Herimannus* Marchiones cum Henrico IV. Imp. interfuerunt obſidioni caſtri Limpurg in Belgio, (*c*)

(*b*) *Lexic. Hiſtor. Baſil.* voce *Baden*. Zaringicum caſtrum *Lintberg* in Teccenſi Sueviæ regione fuiſſe, in Bertoldo I. ſupra oſtendi, pag. 57.

(*c*) De qua obſidione SIGEBERTUS GEMBL. ad A. 1101.

Digitized by Google

ut diploma indicat, quod Abbatiæ Laubienſi XVII. Cal. Jun. datum. (*d*)

Anno 1111. *Herimannus Marchio* inter Proceres, cum Henrico V. Imp. Argentinæ collectos, privilegium Einſidlenſe teſtis ſignavit; (*e*) eodemque anno *Heremannus Marchio fratruelis* Bertoldi II. Ducis Zaring. aderat Traditioni, Abbatiæ S. Petri a Bertoldi uxore & liberis factæ. Tum temporis quoque, poſt Bertoldum & Conradum Duces, *Heremannus Marchio* alias Traditiones Abbatiæ S. Petri ſignavit. Sequenti Henricus Imp. Wormatienſibus immunitatem confirmans a teloneis exteris, rogatu Principum id ſe feciſſe ſcribit, inter quos *Herimannus Marchio.* (*f*)

Anno 1114. Hermannus hic Marchio Diplomatum, Einſidlenſi (*g*) & Murenſi (*h*) monaſteriis à Cæſare datorum, poſt Bertoldum Ducem & Godefridum, Comitem Palatinum, teſtis occurrit.

Anno 1122. Epiſcopus Spir. Bruno conceſſit Hermanno Marchioni & uxori ejus Judithæ, ut in eccleſia villæ Backenang,

(*d*) Ap. Miræum *Opp. Diplom.* Tom. I. pag. 674.

(*e*) Hartmanni *Annales Eremi Deip.* pag. 172.

(*f*) Moritz *vom Urſprung der Reichs-Stætte*, append. pag. 142.

(*g*) Tschudi *Hiſtor. Helvet.* Part. I. Lib. I. pag. 54.

(*h*) Acta Murens. pag. 34. edit. poſtr.

quam ipſi & parentes eorum decimis ac terris locupletaverant, Canonicos regulares Ord. S. Aug. collocarent. (*i*) Initium hujus rei notitia vetus illius Eccleſiæ ad A. 1116. jam ponit. Hermanni Marchionis poſt Conradum Ducem A. 1123. ut & triennio poſt in Henrici V. & Lotharii II. Imp. Inſtrumentis San-Blaſianis ſit mentio. (*l*)

§. III.

Mors. Obiit Hermannus II. A. 1130. ſeptimo die Octobris, & in Backnangenſi, quam amplificavit, eccleſia ante aram S. Crucis, teſte LADISL. SUNTHEMIO, (*m*) ſepultus eſt.

(*i*) Chartæ ap. BESOLDUM *Theſ. Pract.* Tom. II. pag. 73.

(*l*) HERRGOTT. *Geneal. Habsb.* Tom. II. num. 197. & num. 205.

(*m*) *Scriptores Rer. Boicar.* Tom. II. pag. 583. Sunthemius inter familiares Maximiliani I. Imp. Hiſtoricos fuit. Peccavit in anno mortis Hermanni, at diem & menſem ex Backnangiæ Necrologio ſumſiſſe videtur. In Necrologiis dies & menſes notantur, at rarius additur annus. Annum mortis Hermanni docet ejusdem ſec. XVI. epigramma ap. CRUS. *Annal. Suev.* Part. II. Lib. IX. Cap. 14.

„ Hac cubat Hermannus Badenſis Marchio tumba,
„ Qui clauſtri & templi conditor hujus erat.
„ Anno milleno moritur, centum quoque ſubdas
„ Terque decem a puero, quem pia virgo parit.
„ Huc dum transfertur, cum poſteritate fluebant
„ Quindecies centum cum tribus, adde decem.

Uxor ejus fuit Juditha, ſed originis incertæ, quam cum Juditha, Hermanni I. uxore, multi confundunt. Charta Brunonis, Spirenſis Epiſcopi, quam allegavi, Juditham diſerte conjugem tribuit Hermanno, ſed nihil de ejus familia additur. Sepulta eſt cum marito Backnangæ. (*n*) Uxor.

Interfuerat Hermannus vel ipſe, vel filius ejus, eodem, quo deceſſit, anno 1130. Comitiis Lotharii II. Imp. Baſileæ habitis; ubi prima *Marchionis Badenſis* expreſſa eſt mentio. In ſerie Principum enim Diploma, VI. Eid. Febr. Eccleſiæ Conſtantienſi datum, Conradus Dux Zaringiæ & *Hermannus Marchio Badenſis* ſignaſſe leguntur. (*o*) Biduo ante Lotharius Turicenſis Præpoſituræ jura firmaverat, rogatu quoque Conradi Ducis Zaring. & *Hermanni Marchionis de Bathen.* (*p*) Titulus March. Bad.

§. IV.

Recepta apud multos ſententia eſt, tractum Badenſem ab Henrico Aucupe, Marchionatuum Germanicorum inſtitutore, in Marchiam quoque erectum fuiſſe, ut Rhenenſem Germaniæ Origo hujus tituli falſa.

(*n*) Crusii *Annal. Suev.* Part. II. Lib. IX. p. 351.

(*o*) Herrgott *Geneal. Habsb.* Tom. II. num. 211.

(*p*) Cod. noſter Diplom. Bad.

Digitized by Google

limitem contra Gallos cuſtodiret. (*q*) FRANC. IRENICUS (*r*) Marchiæ Badenſis originem ad Ottonem III. Imp. refert. CHRISTOPHORUS LEHMANNUS (*s*) Badenſem Comitatum a Friderico I. Imp. in Marchionatum converſum exiſtimat.

Quidquid ſit de Marchica dignitate, ipſum Badenſe Dominium à Juditha, incertæ proſapiæ fœmina, Hermanno II. dotis loco allatum fuiſſe, ſcriptorum Badenſium communis traditio eſt. (*t*) Unde Hermannus, quem ego ſecundum appello, communiter Marchio Badenſis primus vocatur. Syſtematis Veronenſis fautores (*v*) Juditham, Badæ & Hachbergæ (*x*) Marchionatuum heredem, A. 1153. Hermanno Veronenſi nupſiſſe volunt, adeoque Hermanno III. tribuunt, quod ab aliis tribuitur ſecundo vel primo. Iſtarum tamen opinionum nulla veritati conformis eſt.

(*q*) DIETHERR. in Addit. ad BESOLDI *Theſaur. Pract.* pag. 73. IMHOF. in *Notit. Proc. Imp.* L. IV. C. VII. SCHURZFLEISCH. *Opp. Hiſt.* pag. 273.

(*r*) *Exeg. Germ.* Lib. III. Cap. CIII.

(*s*) *Chron. Spir.* Lib. IV. Cap. VII.

(*t*) Beſoldus, Imhofius, Schurzfleiſchius locis allegatis.

(*v*) PETRUS DE ANDLO, *de Imperio Rom.* Lib. I. Cap. XV. MUNSTERUS *Cosmogr.* Lib. III. Cap. CCLXXIV. CRUSIUS *Annal. Suev.* Lib. IX. Part. II. Cap. XVIII.

(*x*) Sunt, qui Hachbergam & Badam duas Marchias; ſunt, qui illam primariam, hanc vero ſecundariam conſtituunt. In his SCHURZFLEISCH. *de Reb. Badenſ.* §. III.

Digitized by Google

§. V.

Bada noſtra ſub Romanis, qui, ut alia hujus generis loca, *Aquas* eam vocarunt, in civitatem excreverat, (*y*) ab Alemannis, oppidorum oſoribus, deinceps everſam. Badæ fata varia

Thermas Badenſes, quæ forſan ſolæ remanſerant, Dagobertus Rex Monaſterio Weiſſenburgenſi donavit; donationem ſeculo IX. Ludovicus Germ. Rex confirmavit; qui locum hunc a vaſallis regiis Monaſterio illi ereptum fuiſſe refert. (*z*)

Sec. XI. Bada in *Comitatu Adelberti* ſita erat, Adelberto jurisdictionem Imperatoris nomine ibidem exercente. (*a*) Henricus III. Imp. enim prædium, quod pater ejus, Conradus II. ſibi comparaverat, *in villa Baden, in Pago Ufgouue, in Comitatu Adelberti Comitis*, A. 1046. Eccleſiæ Spirenſi donavit. Comitatus primum ad nutum Cæſaris, dein hereditario jure adminiſtrabantur; feminis tamen ſemper excluſis, quæ officio judicis fungi non

(*y*) *Alſatiæ Illuſtr.* Tom. I. p. 568.

(*z*) Tabular. Eccleſiæ Collegiatæ Weiſſenb.

(*a*) Adelbertus hic potuit eſſe Comes ille Calvenſis, cujus filiam Juditham Hermannus I. Marchio duxit uxorem.

Digitized by Google

potuerunt. Bada ergo tum nec Marchia fuit, nec Comitatus, ſed in alio Comitatu, quem a Pago Uſgovicum diceres, ſita. Sed & ipſam hanc villam Baden cum omnibus ſuis appendiciis & utilitatibus eidem Eccleſiæ Spirenſi eodem anno & die Henricus Imp. tradidit. (*b*) Fiſcalem Imperii aut Ducalem Franciæ Orient. villam, non patrimonialem Familiæ Salicæ, uti prædium in eo ſitum, aut allodialem fuiſſe, inde colligimus, quod alio Inſtrumento donatio ejus fuit literis mandata. Duplicis enim donationis & Inſtrumenti ſimul facti ratio dari nulla poteſt, niſi duplicis quoque naturæ bona dono data fuiſſe ſtatuamus.

§. VI.

Sententia noſtra de Bada.

Bada Uſgovica ergo, thermis adhærens, Henrici III. Imp. & Bertoldi I. Zaringi temporibus Villa Regia fuit, quæ una cum prædio quodam, ibidem ſito, ejusdem Cæſaris liberalitate ad Eccleſiam Spirenſem pervenit.

Veteris

(*b*) Tabularii Epiſc. Spir. Charta, quam excerpſit Jo. SIFRID, a patria ſua *Mutterſtatt* dictus, Vicarius Eccleſiæ Spir. & Notarius Cæſareus, in *Chron. Spir.* quod ſub Matthia Rammung Epiſcopo ſec. XV. conſcripſit. Extat in ECCARDI *Scriptor. Rer. Germ.* Tom. II. pag. 2262. & SENCKENBERG *Selector.* Tom. VI. p. 262. Adde SIMONIS *Beſchreibung der Biſchoffen zu Speyer* pag. 42.

Veteris autem Badæ Caſtrum, a juniore dein quoque thermis adſtructo, leuca diſtans, unde Familiæ Badenſi appellatio, cum villa Bada nil niſi nomen habuit commune; liberum ſemper & francum Zaringo-Badenſis Domus in Francica Terra ad ſeculum uſque XIV. allodium. (*c*)

Quo tempore autem & qua ratione allodiale hoc Caſtrum, ab Hermanno I. vel II. uti videtur, exſtructum, vel certe locus ille ad Zaringo-Badenſes devenerit, nobis non liquet. Unde priſcis Zaringorum bonis illum annumeravimus ſupra. (*d*) Quodſi autem nonnemo Judithæ, conjugis Hermanni I. Alberti, Comitis Calbenſis filiæ, bonis dotalibus illud accenſere voluerit, non equidem refragor. Sed nec liquidum eſt, quo tempore & qua ratione ipſa villa Baden, deinceps converſa in oppidum, a Spirenſi Eccleſia ad Marchiones tranſierit. Illud autem nobis conſtat, Caroli IV. ævo & oppidum & caſtrum franca fuiſſe allodia, a Rudolpho Marchione Cæſari & Imperio Anno 1362. libere & ſponte, ut ſuo loco docebitur, oblata in feudum.

Caſtrum hoc Bada nomen dedit Badenſibus, uti Zaringia Zaringis. Zaringia nunquam fuit Ducatus, Bada nunquam

(*c*) Veteris Eberſteinii Caſtrum, ſemileuca a veteris Badæ Caſtro diſſitum, allodiale quoque fuit, per nuptias cum Eberſteinenſi filia ad Badenſes translatum.

(*d*) Lib. II. Cap. VIII. pag. 199.

extiterat Marchia. Bertoldi Duces cum inhabitaſſent Zaringiam, appellati ſunt Duces de Zaringen. Caſtrum Badenſe cum inhabitaſſent Marchiones, vocati ſunt Marchiones de Baden. At ex his titulis nec Ducatus, nec Marchionatus veri conficiuntur. Zaringia nunquam in Ducatum evaſit. Marchionatus axioma denique Badæ adhæſit. Poſſeſſor dignitatis ſuæ, non officii, nomen Dynaſtiæ communicavit; uti Landgraviatus dicta eſt Haſſia, quod poſſeſſores ejus, ex Thuringico Landgraviorum ſanguine prognati, ſeſe dicerent Landgravios. Quid opus fuit Marchia contra Gallos ad Rhenum, quum omnis Lotharingia a Rheno ad Moſam uſque Germanici juris, adeoque Marchiæ inſtar fuerit Germanis.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT III.

HERMANNUS III.

AB ANNO 1130. USQUE AD ANNUM 1160.

§. 1.

Hermannus hic inter Zaringo-Hermannidas primus bellica effloruit gloria, ſub Conrado III. & Friderico I. Imperatoribus Suevicis in Germania, Italia & Terra Sancta bellantibus, ſtrenuus miles. Acta ejus ab A. 1134.

A. 1134. Marchio Hermannus conſenſu Berthæ, contectalis ſuæ, prædium in Huningen, in Comitatu Adelberti ſitum, Eccleſiæ S. Pancratii in Baggenang dono dedit.

Anno 1139. Conradus III. Imp. Argentinæ concambium Cellæ in Nigra Silva ratum habuit, præſentibus inter alios Duce Conrado, *Herimanno Marchione.* (a)

(a) Vid. Codex Diplom.

Eodem anno XIII. Kal. Junli Hermannus Marchio de *Badun* Conradi III. Diploma Frankenthalienſe teſtis ſignavit in Weiſſenburg. (*b*) Eod. V. Kal. Jur. Diploma Einſidlenſe Argentinæ ſcriptum eſt, aſtipulatione Principum præſentium, Cunradi Ducis, Herimanni Marchionis &c. (*c*) Eadem die literas Cæſaris, Abbatiæ Self. datas, poſt Duces *Hermannus Advocatus ejusdem loci*, ante Comites ſignavit; unde Hermannum noſtrum Abbatiæ Selſenſis, e regione Marchionatus Bad. in Alſatia ſitæ, Advocatum fuiſſe colligimus. Aliud Diploma Fabarienſi monaſterio ab Imperatore tunc conceſſum eſt in præſentia . . . *Hermanni Marchionis de Batha.* (*d*) Denique eodem anno Bertoldus, Brisgoviæ Comes, Conradi Zaringiæ Ducis filius, eccleſiam in Wolvenwilare monaſterio S. Petri, cujus Advocatus erat, nomine Erlewini de Wolvenwil. obtulit coram *Marchione Herimanno juxta villam Oſmanningen.* In fine Chartæ legimus: „ Ego Herimannus „ Marchio præſentem Chartam ſigilli mei impreſſione roborari ac „ confirmari feci.

§. II.

Acta ab A. 1140. Anno 1140. XVII. Kal. Dec. in obſidione Winſpergenſi, à Conrado III. Imp. ſuſcepta, Chartam ſignarunt *Hermannus Marchio*

(*b*) Schannat *Hiſt. Worm.* Cod. Probat. pag. 69.

(*c*) Hartmanni *Annal. Einſidl.* pag: 196. Herrg. Tom. II. pag. 163.

(*d*) Tschudii *Hiſt. Helvet.* Part. I. Lib. I. pag. 65. & 69.

& Werinherus Comes de Baden, qui poſterior ad Badenſes Helvetiæ Comites pertinet. (*e*)

Anno 1141. menſe Aprili, (*f*) ac triennio poſt menſe Julio, (*g*) Argentinæ cum Conrado Imp. commoratus eſt Hermannus Marchio.

Anno 1147. a S. Bernhardo cruce ſignatus Spiræ, eundem Conradum Imp. cum aliis Principibus ſecutus eſt in Orientem: (*h*) Redux in Germania Curiæ Francofurtanæ interfuit, ubi Cæſar duo feminarum monaſteria *Kemminada* & *Visbike*, Marchionis noſtri aliorumque Principum judicio Abbatiæ Corbejenſi tradidit. (*i*)

Anno 1148. Hermannus noſter adſtitit fundationi Monaſterii Albæ Dominorum, Ciſterc. Ordinis, a Bertoldo Eberſteinenſi Comite, & Vtha, conjuge ejus, literis conſignatæ. (*l*)

(*e*) HARTMANN. l. c. pag. 198. MIRÆI *Opp.* T. II. pag. 827.

(*f*) Charta San-Blaſ. ap HERRG. *Geneal. Habsb.* Tom. II. pag. 167.

(*g*) HARTMANNI *Annal. Einſidl.* pag. 205. HERRGOTT. l. c. pag. 172.

(*h*) WILH. TYRIUS *Hiſt.* Lib. XVII. ab initio, ubi Hermannum *Provinciæ Veron. Machionem* vocat.

(*i*) SCHATEN. *Annal. Paderborn.* L. VIII. p. 771. FALCKE *Tradit. Corbej.* p. 906. 908. LUDEWIG. *Reliq. Msst.* Tom. VII. p. 511.

(*l*) PETRI *Suevia Eccleſ.* pag. 19. ex BESOLDI *Docum. Wirtenbergicis.*

§. III.

Acta ab A. 1150.

Anno 1150. *Herimannus Marchio de Baden & ſui Miniſteriales* in Corbejenſibus Conradi III. Imp. literis comparent, ut teſtes; (*m*) id quod biennio poſt, paulo ante Imperatoris mortem, denuo factum. (*n*)

Anno 1152. menſe Jun. *Herimannus Marchio* in Abbatia S. Petri in Nigra Silva præſens fuit, quum Bertoldus IV. Zaring. Dux Abbatiæ huic Advocatiam tradidit. (*o*)

An. 1153. menſe Januar. *Hermannus Marchio de Baden*, Friderico I. Imp. uti Conrado III. addictiſſimus, cum eo Spiræ verſatus eſt, teſtis privilegii, quod Gebennenſi Epiſcopo datum. (*p*) Menſe Julio Fridericus hic râtam habuit donationem curtis Beſigheim, quam Hermanno Marchioni de Baden Widelberta, Abbatiſſa Erſteinenſis, conſentiente Advocato ſuo, Hugone Comite Dagisburgenſi, fecerat. (*q*)

(*m*) Lunig. *Spicil. Eccleſ.* Part. III. pag. 94.

(*n*) Petri *Suev. Eccleſ.* pag. 716.

(*o*) Schannat *Vindem. Literar.* Collect. I. p. 163.

(*p*) Spon *Hiſt. de Geneve* Tom. II. p. 8. *Citadin de Geneve* p. 151.

(*q*) Besoldi *Theſaur. Pract.* Tom. I. pag. 73.

Digitized by Google

§. IV.

Anno 1154. menſe Octobri Cæſar cum exercitu, ad Licum amnem, in Vindelicia collecto, in Italiam profectus, Veronam ſibi reſiſtentem invenit, at placavit promiſſis, ut Italiæ aditus pateret. Clavem hanc Italici regni ut firmam teneret, Cæſareo opus erat præfecto, cujus nomen illus ævi Annales non indicant. Titulus Marchionis Veronenſis.

Quum Cæſar An. 1155. VIII. Kal. Septemb. Epiſcopatus Conſtantienſis limites definiviſſet Conſtantiæ, Hermannus in Inſtrumento (r) *Marchio de Baden* vocatur. At Anno 1158. XVII. Kal. Jul. quum Imperator litem inter Ottonem Friſingenſem Epiſcopum, & Henricum Leonem, Bavariæ Ducem, diremiſſet Auguſtæ, interfuit quoque rei geſtæ Hermannus, qui in Inſtrumento Cæſareæ ſententiæ *Marchio Veronenſis* vocatur (s)

Primum hoc in Annalibus & Documentis exemplum, quo Hermannus cognomine *Veronenſis* ornatur. Eum tamen ſtrenuum

(r) *Chron. Conſtant.* apud PISTOR. p. 695. MIRÆUS L. II. p. 827. LUNIG *Spicileg. Eccleſ.* Part. II. p. 157.

(s) MEICHELBECK *Hiſt. Friſing.* Tom. I. p. 337. HUNDII *Metropol. Salisburg.* Tom. I. p. 77.

Cæſaris aſſeclam primæ ejus expeditionis Italicæ An. 1154 jam interfuiſſe, (*t*) atque adeo Præfecturam Veronæ tum temporis jam obtinuiſſe, merito cenſemus, quod ſecunda expeditio A. 1158. Julio menſe demum ſuſcepta fuit, Hermannus autem Veronenſis Marchionis axiomate menſe Junio jam ornatus comparet.

§. V.

Veronæ fatæ.

Verona, Italiæ clavis, a Berengarii tyrannide per Ottonem I. Imp. liberata, libera ſub Imperio perſtitit; (*u*) ab LXXX. Senatoribus & Præfecto, non cive ſed extraneo, recta.

Fridericus I. in Italiam veniens, urbibus Lombardiæ ac Tarviſinæ regionibus, ut feudis Italicis, Rectores, urbibusque ſingulis, Præfectum Cæſareum dedit; ut Germaniæ urbes Advocatos Imperiales tum temporis habuerant. Præfectura Hermanni Veronenſis deinceps interrupta fuit. Inter Civitates enim, Veronenſibus vicinas, fœdus initum eſt, quod *Societas Veronenſis* (*x*) dicebatur

(*t*) De hac OTTO FRIS. L. II. C. XXV.

(*u*) TORELLUS SARAYNA in *Geſtis Veronenſium* Lib. I. Vid. *Theſaur. Rer. Italicar.* Tom. IX. p. 7.

(*x*) *La Compagnia de Veroneſi.* SARAYNA loc. alleg. pag. 5.

Digitized by Google

dicebatur, quæ denique in magnum illud Lombardicum Civitatum fœdus excrevit, unde bellum diuturnum, ſubinde ſuſpenſum, Conſtantiæ denique A. 1183. ut infra oſtendetur; compoſitum.

Anno 1160. XVI. Kal. Maji in Italico monumento (y) Hermannus noſter *Marchio Veronenſis*, *Dux de Carentana* memoratur. Titulo hoc vetera in Ducatum Carinthiæ jura renovavit Hermannus. Ceterum haud ſilentio prætereundum eſt, Hermannum quoque noſtrum, ante ſecundam expeditionem Italicam, (z) Hagenoæ præſentem fuiſſe, quum Fridericus Imperator Neoburgenſi Ciſtercienſium Cœnobio Literas protectionis dediſſet. (a)

§. VI.

Hermannus III. A. 1160. deceſſit; in eadem Sti Pancratii Backnaviæ Eccleſia, ubi parentes, ſepultus. (b) Jo. Gamanſius Mors ejus.

(y) Ughelli *Italia ſacra* Tom. II. col. 372.

(z) III. Kal. Martii A. 1158.

(a) *Alſatia Diplom.* ad hunc ann.

(b) De Hermanno III. in Backnangæ eccleſia legebatur epigramma ſequens:

„ Filius Hermanni jacet hic Hermannus & alter
„ Dotem firmavit, auxit & ille, patris.
„ Illius at genitrix Judintha putatur adeſſe;
„ Bertha ſimul conjux, &c.

Hermanno huic fratrem aſſignat *Albertum ;* ad quam ſententiam eum induxit notiſſima illa Friderici I. Imp. Charta, qua Marchiam Auſtriæ A. 1156. in Ducatum erexit. Inter teſtes, qui Diplomati ſcribendo interfuerunt, ab editoribus nonnullis, TOLNERO, LUNIGIO, DUMONTIO aliisque adductus eſt *Albertus Marchio de Baden.* At in authentico legitur: *Marchio Adalbertus de Staden.* (c)

Uxor. Uxor ei fuerat Bertha, filia Matthæi, Lotharingiæ Ducis, ex Bertha Friderici I. Imp. ſorore, (d) quæ Backnaviæ cum eo ſepulta.

Alter vocatur ex hypotheſi communi, quæ Hermannum Cluniac. inter Badenſes Marchiones omittit. Extat epigramma in CRUS. *Annal. Suev.* Part. II. Lib. IX. p. 351.

(c) Per-Illuſtris SENCKENBERG Altes Bürgerliches und Staats-Recht p. 130. ubi Diploma ex autographo deſcriptum.

(d) CALMET *Hiſt. de Lorraine* Tom. II: de matre, ſed non de filia, loquitur.

CAPUT

CAPUT IV.

HERMANNUS IV.

Ab Anno 1160. usque ad Annum 1190.

§. I.

Hermannus IV. ad patris exemplum Friderico Imp. adhæſit, atque acceptam ab utroque Dynaſtiam Veronæ poſſidere continuavit; ſtrenuus in Italicis bellis & in Orientali expeditione athleta. Pater Conradum Imp. comitatus, ſalvus cum eo in patriam rediit. Filius cum Friderico Imp. in Oriente occubuit. Initio regiminis ejus ad finem perducta eſt Monaſterii Tennebacenſis Ordinis Ciſtercienſis conſtructio, quod leucæ ſpatio diſtat Hachberga. A. 1161. à duodecim Monachis cœpit inhabitari, (a) a quo tempore Monaſterium hoc ad noſtram ætatem viget ac floret. An. 1164. ortum eſt pertinax bellum inter Guelfum, Henrici ſuperbi, Sax. & Acta ejus ab A. 1160.

(a) Vide ſupra in Bertoldo IV. §. XIII. pag. 139.

Bav. Ducis, ex fratre Guelfo nepotem, atque Hugonem, Tubingæ Comitem Palatinum, in quo *Bertholdus Dux de Zaringen* & *Heremannus Marchio de Baden* Guelficas partes ſecuti ſunt. (*b*) Pro Hugone autem ſtetit Fridericus, Sueviæ Dux, Comites Zollerani &c. Res ab Imp. Friderico I. compoſita eſt anno ſequenti. (*c*)

Anno 1181. Hermannus, *Marchio Veronenſis*, teſtis in Diplomate, quo Monaſterii Trutenhuſani in Alſatia fundatio a Friderico Duce firmatur. (*d*)

Anno 1183. Pax illa Conſtantiæ inter Frid. I. Imp. & Civitates Italiæ inita fuit, cui etiam Hermannus, *Marchio Veronenſis*, ſubſcripſit; (*e*) atque adeo Toparchiam Veronenſem tum adhuc poſſedit.

A. 1185. in Dipl. Henrici VI. Rom. Regis, qui ab Epiſcopo Baſil. dimidium Curtis & Montis Briſach in feudum Baſileæ recepit, inter alios teſtis eſt *Hermannus de Baden.* (*f*)

(*b*) MONACH. WEINGART. C. XIV. ap: LEIBNIT. *Scriptor.* Tom. I. p. 791.

(*c*) URSPERG. in *Chronic.* A. 1164. OTTO DE S. BLASIO Cap. XVIII. *Chronicon Bebenhuſan.* apud LUDEWIG *Reliquiar.* Mss. Tom. X. p. 408.

(*d*) OBRECHT. *Prodr.* p. 228.

(*e*) Formula hujus pacis annexa eſt libris feudorum in *Corp. Juris Civilis*, ubi plenior eſt, quam illa, quæ apud SIGONIUM *de Regno Italiæ* ad annum hunc legitur.

(*f*) HERRGOTT *Geneal. Habsb.* T: II. p. 195. ſeq.

Digitized by Google

§. II.

Anno 1186. *in præſentia D. Armani Theutonici Marchionis & Domini totius Marchiæ Veronenſis* conſecrata eſt Eccleſia S. Julianæ de Lepida in Veronenſi diſtrictu. (*g*) Dominus Marchiæ Veron.

An. 1187. VII. Kal. Aug. Alexander III. Papa conſecravit altare majus Eccleſiæ S. Mariæ antiquæ Veronæ, præſente inter alios *D. Armano, Theutonico Marchione & D. totius Marchiæ Veronenſis.* (*h*) Evidens hinc, Hermannum IV, etiam poſt pacem Conſtantiæ cum Italiæ Civitatibus factam, Marchiæ Veronenſis non modo Præfectum, ſed & Dominum fuiſſe. Pater ejus *Marchio Veronenſis* dictus eſt, hic vero *Dominus totius Marchiæ* appellatus. Nec deſunt juniores, qui poſt reportatam à Mediolanenſibus victoriam (*i*) Hermanno noſtro Veronam ab Imp. conceſſam arbitrantur. (*l*) Hoc ſi admitteres, pater Præfecturam, filius Dominium ipſum Veronæ obtinuiſſe dicendus. Vocatur Hermannus *Teutonicus Marchio & Dominus totius Marchiæ Veron.* Indicant hæc, Hermannum Teutonicæ originis Teutonicique regni fuiſſe Marchionem, atque Dominum Marchiæ

(*g*) UGHELLI *Italia ſacra* Tom. V. pag. 807.

(*h*) ONUPHR. PANVINII *Antiquitat. Veron.* Lib. VII. p. 183.

(*i*) Urbs Mediolanenſis A. 1162. everſa eſt. MORENA p. 838. BURCKARDUS *de Excid. Mediol.* apud FREHER. Tom. I. p. 330.

(*l*) SPENERUS in *Sylloge genealogico-hiſtorica* pag. 611.

Digitized by Google

Veronenſis; quæ Marchia idem ille Marchionatus eſt, quem cum Carinthiæ Ducatu Bertoldo I. Hermanni IV. abavo, Henricus IV. Imp. ante centum annos abſtulerat, & cujus Marchionatus occaſione Hermannus I. filius junior Bertoldi I. titulum *Marchionis* in memoriam priſtinæ dignitatis a patre acceperat. (*m*) Marchionis Badenſis appellatio jam Anno 1130. in Chartis comparet; at Marchiæ Veronenſis Dominium nonniſi An. 1154. Hermanno III. a Friderico I. Imp. conceſſum eſt, filioque ejus Hermanno IV. continuatum. Fabuloſa poſteritas, Badenſes origines derivans Verona, ſanguinem cum dignitate confudit. Diceres Fridericum I. Imp. ex parte reparaſſe injuriam, qua ſeculo præcedenti Henricus IV. Imp. affecerat Bertoldum.

§. III.

Hermanni IV. mors.

Felix Hermanni IV. triginta annorum Principatus bello ſacro abruptus eſt. Anno enim 1190. expeditioni Friderici I. Imp. in Orientem cum Friderico, Duce Sueviæ, & Bertoldo, Duce Meraniæ, aliisque Regni Proceribus interfuit, teſte TAGENONE. (*n*) Iconium Lycaoniæ veteris, nunc Natoliæ urbem, cum peterent Chriſtiani, & undique ingruerent hoſtes, Duci

(*m*) Vide ſupra pag. 49. ſq.

(*n*) TAGENO, Decanus Patavienſis, interfuit quoque huic expeditioni, eamque deſcripſit, ap. FREHERUM Tom. I. p. 407.

Digitized by Google

Meraniæ & Marchioni Badenſi extremum commiſſum eſt agmen. (o) Paulo poſt Imperator & Hermannus interierunt, Antiochiæ ſepulti. (p)

Tempore ejus Bertoldus IV. Zaringus, turrim vel portam extruxit Briſaci, quam ſupra (q) deſcripſimus.

In partibus Hachbergæ Marchicæ, in oppido Sultzberg ſeculo præterito argentei plures reperti ſunt nummi; in quorum parte antica Crux, cum Inſcriptione: *Hermannus*; in poſtica *Caſtrum*, ad cujus latus legitur: PRISAC. (r)

Nummum exhibet Jo. GAMANSIUS, (s) atque ex eo concludit, in utriusque Lineæ Zaringicæ, Ducalis nimirum & Badenſis Marchicæ, poteſtate tum extitiſſe Briſacum, commune Gentis emporium. Pro Zaringis tamen portæ memoratæ Inſcriptio pugnare videtur, adeoque nummus nihil aliud indicat, quam communem utrique Lineæ monetandi officinam fuiſſe Briſaci. Hermannus IV. nunc Badam, nunc Hachbergam incoluit. In Caſtro hoc ſane fuit, Tennebacenſe quum conderetur Cœnobium, uti ſupra oſtenſum.

(o) Epiſtola Anonymi ap. CRUS. *Annal. Suev.* Tom. I. Part. II. p. 502. URSTIS. *ſcriptores* p. 561.

(p) ECCARDI *Scriptor.* Tom. II. pag. 1351.

(q) Lib. II. Cap. V. pag. 127.

(r) Ectypum dabunt Tabulæ Nummorum Badenſium.

(s) In Libro MS. cui titulus: *Progenitores Marchionum Badenſ.* Cap. III.

Digitized by Google

§. IV.

Uxor & filius.

Hermannus noſter ex Bertha uxore, quam ex Comitum Palatino - Tubingenſium Domo natam ſtatuunt noviores, tres filios cum filia progenuit. Filii natu majores Hermannus V. & Henricus I. Badenſium Familiam in duos ramos diviſerunt; quorum ſenior in Bada Uſgovica ſedit atque Lineam continuavit Badenſem. Alter in Briſgovico Hachbergæ Caſtro habitavit, Lineamque inſtituit Hachbergicam; de qua acturus ſum, poſtquam Badenſia ad Hermannum VI. usque perduxero, in cujus fratre, Rudolpho I. nova Rerum Badenſium ſeries exſurgit. Tertius Hermanni IV. filius fuit Fridericus, ut ex ſequentibus patebit.

Filia.

Filia Hermanni IV. Gertrudis Alberto, Comitum Dagsburgenſium poſtremo, nupta, filiam peperit cognominem, Dagsburgici Comitatus heredem; quæ ter maritata, ſemper improlis, poſtremo marito, Leiningæ Comiti, Emiconi Comitatum donavit. Emico Argentinenſi Epiſcopo, Bertholdo Teccenſi, eum obtulit in feudum. (*t*)

(*t*) *Alſatiæ Illuſtr.* Tom. II. pag. 489. ſeqq.

CAPUT

CAPUT V.

HERMANNUS V.

Ab Anno 1190. usque ad Annum 1243.

§. I.

Perniciosa apud Germaniæ Magnates confuetudo ab antiquo invaluit, ut, primogenitura neglecta, terras fuas inter filios non modo dividerent, fed & inter nepotes illæ fubdividerentur. Zaringicas opes in duas lineas, Ducalem & Marchicam, Bertoldus I. partitus eft. Hermannus IV. Marchicas in Badenfem & Hachbergenfem fubdivifit; unde debilitatæ funt vires ac dignitas Domus. Mortuo Hermanno IV. Marchia Veronenfis ex Badenfi Domo exiviffe videtur. Veronæ titulus tamen in fucceſſorum ejus Actis, fubfcriptionibus & figillis non omnino difparet. Nec moram aliquam apud Italos eum feciffe cognovimus. Filiorum ejus natu junior Rudolphus, Marchionum

Hereditas.

Digitized by Google

Badenſium, qui Badæ ſederunt, conditor, *Marchionis Veronenſis* titulum adhibuit; priſtinæ poſſeſſionis renovaturus memoriam.

§. II.

Acta ab An. 1208. Anno 1208. Marchio de Baden inter teſtes Diplomatis quod Otto IV. Imp. Civitati Wormatienſi Spiræ dedit, comparet. (*a*) Eodem anno *Margravius de Baden* Henrici Comitis Palat. Chartam prò Monaſterio Babenhuſano Wormatiæ ſignavit. (*b*)

Anno 1209. Hermannus & Fridericus *Marchiones de Baden* Inſtrumenti Ottonis IV. pro Nivellenſi Eccleſia teſtes leguntur. (*c*)

Anno 1210. In Charta Ottonis IV. apud S. Salvatorem in Monte Amiaco Spirenſi Eccleſiæ data, poſt Fridericum Comitem de Saraponte legitur *Marchio Fridericus de Baden.* (*d*)

Anno 1215. cum aliis Principibus Aquisgrani cruce ſignatur Badenſis Marchio, (*e*) vel Hermannus, vel Fridericus. Uterque II. Non. Maji cum Cæſare Herbipoli fuit. (*f*)

(*a*) MORITZ *vom Urſprung der Reichs-Stætte*, append. p. 154.

(*b*) PETRI *Suevia Eccleſ.* pag. 132.

(*c*) MIRÆI *Opp.* Tom. I. pag. 734.

(*d*) Ex Archivo Spir.

(*e*) GODEFRIDUS COLON. apud FREHER. Tom. I. pag. 383.

(*f*) Teſte Diplomate pro Civitate Colon. in Archivo Bada-Durl.

Anno 1216. VII. Kal. Aug. Hermannus Marchio Bad. in Diplomate apud Ulmam dato comparet; quo Wenceslai, Regis Bohemiæ, confirmatur electio. (g)

§. III.

Friderieus frater.

Eodem anno 1216. Fridericus, Hermanni V. frater, in Curia Friderici II. Imp. Herbipoli menſe Majo extitit, ut Diplomata teſtantur; quibus nomen ejus ſubſcriptum hac forma: *Hermannus Marchio de Baden & Fridericus frater ejus;* (h) vel *Hermannus & Fridericus fratres, Marchiones de Baden.* (i)

Fridericus hic, aſſumpta cruce, in Palæſtinam profectus, ibidem obiit poſtquam ſuam & fratris ſui Hermanni, qui cum uxore Irmengarde conſenſit, proprietatem omnem in Ulma Ordini Teutonico donaſſet. Chartæ confirmationis Hermanni non adjectus eſt annus.

§. IV.

Acta ab A. 1218.

Anno 1218. Hermannus Marchio de Baden Diploma Friderici II. Imp. Monaſterio omnium Sanctor. Hagenoæ datum, primus teſtium ſignavit; ut & aliud Ulmæ pro Epiſcopi Baſilienſis

(g) Lunig Part. Spec. Contin. I. erſte Fortſetz. pag. 5.

(h) Tolner Cod. diplom. Palat. p. 67. Becmann. *Hiſt. Anhalt.* Part. III. L. IV. C. II.

(i) Hundii *Metrop. Saliſb.* T. II. p. 592. prim. edit.

Digitized by Google

in Civitate hac jure; (*l*) & aliud Wimpinæ ad confirmationem donationis Eccleſiæ cuidam Patavienſi datum. (*m*)

Anno 1219. Hermannus Marchio *Veronenſis* Friderici II. Chartæ, Goslariæ datæ, nomen ſubſcripſit. (*n*) Eod. anno menſe Aug. ejusdem Friderici II. Diploma inveſtituræ Gaſſi & Jacobi de Locarno Hagenoæ *Marchio de Baden* ſignavit. (*o*) Menſe Nov. cum Cæſare Norimbergam inviſit. (*p*)

Anno 1220. Hermannus Marchio de Baden cum eodem Friderico II. Imp. Hagenoæ (*q*) & Francofurti (*r*) occurrit. In literis, quibus Fridericus Viennam Imperio addicit, legitur *Herman Margkraf zu Baden.* (*s*)

Anno 1221. menſe Martio apud *Barum*, (*t*) menſe Aprili Tarenti fuit cum Cæſare. (*u*)

(*l*) HERRGOTT Tom. II. pag. 227.

(*m*) GEWOLD. T. I. Add. Metropol. Hundii p. 383.

(*n*) HEINECCII *Antiq. Goslar.* pag. 218.

(*o*) Codex Diplom. Bad.

(*p*) Teſte Dipl. apud TOLNER. loc. cit. p. 69.

(*q*) HANSELMANN *de Domo Hohenloica* pag. 374.

(*r*) MORIZ *vom Urſprung der Reichs-Stætte*, Docum. p. 159.

(*s*) SENCKENB. *Selecta* Tom. IV. p. 442.

(*t*) Teſte diplomate ap. HANSELMANN. l. c. pag. 392.

(*u*) LUNIG *R. A. vom Teutſchen Orden* Doc. I. & SCHURZFL. *Hiſt. Enſifer.* in Diplom. p. 15.

Anno 1224. cum eodem Hagenoæ (x) & A. 1225. atque ſeq. cum Henrico Rege Rom. Wormatiæ (y) & Hagenoæ verſatus eſt Marchio Badenſis. (z)

§. V.

Anno 1226. Hermannus & Henricus fratres, Badenſes Marchiones, quarto Nonas Nov. jus ſuum hereditatis Dagsburgicæ in Bertholdum, Epiſcopum Argent. ejusque in Epiſcopatu ſucceſſores transtulerunt. (a) Jus hoc derivabant a Gertrude, unica Alberti, poſtremi Dagsburg. Comitis, ac ſororis ſuæ filia. Brabantiæ Dux, heredem quoque Alberti ſe gerens, cauſam ad Imp. Fridericum II. in Wormat. Comitiis detulit, qui litigantes ad Judicem, in cujus Comitia Dagsburgum ſitum, remiſit. Litem ergo Sigebertus, Alſatiæ Inferioris Landgravius, cum filio Henrico in publico apud Holzhemium Judicio pro Marchionibus decidit; ſimul quoque declarans, Marchiones hereditatem hanc Eccleſiæ Argentinenſi donaſſe, (b) cujus dominio directo Dagsburgenſis Comitatus hodieque obnoxius eſt. Hereditas Dagsburg.

(x) PETRI *Suevia Eccleſ.* p. 655.

(y) HERRG. Tom. II. p. 221.

(z) WENCKER *Collect. Jur. publ.* p. 186.

(a) Chartam Donationis, à Marchionibus factæ, vid. apud LAGUILLE *Hiſt. d'Alſ.* Probat. p. 33. Add. *Alſatia Illuſtr.* T. II. p. 489. ſeqq.

(b) Sententiam hanc vide apud LAGUILLE l. c. Prob. p. 34.

Digitized by Google

§. VI.

Brunſvicenſis.

Anno 1227. Hermannus noſter, una cum Ottone Illuſtri, Palatino Comite & Bavariæ Duce, qui duo Henrici Brunſvicenſis, Comitis Palatini filias habuerunt uxores, vendidit Imperatori Friderico II. Brunſvicum, ejusque tractum, ut allodium Guelficum, quod, Henrico ſine maſcula prole mortuo, ad ejus filias devenerat.

Cæſar non ſine politico conſilio Dominia quædam in Saxonia poſſidere cupiebat. Cum utroque ergo Henrici genero de acquirenda Brunſvicenſi Dynaſtia ſtatim poſt ſoceri mortem tractavit. Et quidem cum Hermanno noſtro Cæſar ita convenit, ut oppidum Ettlingen in feudum, oppidum Durlacum ei in proprietatem concederet, pro bonis, quæ Marchioni *ex parte uxoris ſuæ de proprietate in Brunſvic contingebant.* Præterea eidem Marchioni Civitates Louffen, Sunnesheimb & Eppingen *pro duobus millibus & trecentis marcis argenti* oppigneravit.

Sed Henrici Palatini ex fratre Guilielmo de Longa Spatha nepos, Otto de Luneburg, *Puer* dictus, re audita, occupavit Brunſvicum, impediturus omnino, ne patrimonium iſtud Guelficæ gentis ad Gibellinum tranſiret. Filius ergo Friderici II. Henricus VII. Romanorum Rex, quum ad Brunſvicum appropinquaſſet, oppidum ab Ottone jam occupatum intelligens,

Digitized by Google

re infecta regreſſus eſt. (*c*) Marchio tamen oppida oppignerata, ut & ea, quæ pro dimidia Brunſvici parte acceperat, retinuit.

§. VII.

Poſt hæc longas apud Italos moras cum necteret Cæſar, filius ejus, Romanorum Rex, Henricus VII. habere, quam expectare Imperium malens, Civitates ad Rhenum contra patrem concitavit, eoque rem perduxit, ut Wormatia ſola & Hermannus noſter datam Cæſari fidem ſervarent. Fidelitas in Cæſar.

In Siciliam ergo profectus eſt Marchio, eique periculoſa filii manifeſtavit conſilia. Cæſar iter in Germaniam parans, Hermannum ad ſua juſſit redire. Intelligens hæc Henricus VII. Hermannum aggreſſus eſt bello; qui de proximo Cæſaris adventu certus, fortiter ſe interea atque ſua defendit. (*d*)

Inter alia quoque Marchionem Henricus coëgit, ut ex bis mille & trecentis marcis argenti, pro quibus oppida Laufen, Sunsheim & Eppingen ei oppigneraverat, remitteret mille. (*e*)

(*c*) MEIBOM. in Diſſ. de erectione Ducatus Brunſvic. Tom. III. *Scriptor.* pag. 204. TOLNER. *Hiſtor. Palat.* Cap. XVIII. p. 381.

(*d*) Hæc omnia TRITHEMIUS in *Chron. Hirsaug.* ad A. 1234.

(*e*) Fridericus II. ipſe hoc narrat in Charta A. 1234. Inſtrumentum hoc ex apographo primus edidit Doctiſſ. Jo. CHRISTIAN. SACHSIUS Hiſt. & Poëſ. Prof. in *Programm.* de *Hermanno III. March.* An. 1759. & ex eo

Cæſar in Germaniam veniens An. 1234. menſe Nov. Marchionem reſtituit in integrum, filiique ſui Acta reprobavit. Charta reſtitutionis in ſcriniis Bada - Badenſibus extat. Sed Charta emtionis, quæ circa An. 1227. confecta, & ad quam ipſe provocat Cæſar, non amplius comparet.

§. VIII.

Ettlinga & Durlacum.

Ita jam patet, qua ratione Ettlinga & Durlacum ad Badenſes devenerint. Oppignerata vero oppida Laufen, Sinzheim & Eppingen ex Badenſium poteſtate pridem exierunt. Bernhardus Marchio A. 1402. Eppingam Elect. Palat. pro XM. flor. oppigneravit. At Carolus I. Marchio An. 1462. ab Electore Palat. in proelio captus, juri reluitionis renuntiavit. Eppinga cum Lauſa & Sinzhemio fuerat olim Imperii oppidum. Oppidum & caſtrum Lauffen ab Hermanno March. A. 1346. pro tribus millibus Librarum Hall. venditum, brevique poſt ad Comites Wirtenb. translatum eſt. Cujus generis Civitates autem Ettlinga atque Durlacum fuerint, & qua ratione ad Fridericum II. pervenerint, haud adeo liquidum eſt. Ex Zaringicis bonis ea ad Cæſarem perveniſſe credidit SCHEIDIUS

GOTTFR. DAN. HOFFMANN. *Diplomat.* Beluſt. p. 113. Nos ex autographo daturi ſumus correctius. Pro Conrado Rom. Rege legendum eſt *Henricus*, id quod & ipſe Sachſius jam in Programm. de Irmengarde March. correxit.

Scheidius. (*f*) Quod ſi ex Zaringicis bonis fuiſſent, cum reliquis allodiis ad Bertoldi V. tranſiviſſent ſorores, vel potius a Bertoldo I. terris Badenſibus jam fuiſſent adjecta. Nec ad Suevici Ducatus terras ea oppida referrem, (*g*) quum Franciæ Teutonicæ, non Suevici Ducatus, conſtituerint partes. Ad Hohenſtauſica ergo Franciæ Orientalis, cujus Ducatum Fridericus II. etiam tenuit, oppida hæc refero.

§. IX.

Cum autem An. 1235. in Moguntinis Comitiis Brunſvicum & Luneburgum in Imperii Ducatum erexiſſet Cæſar, atque Ottoni, novo Duci, jura ſua, quæ in Brunſvicum emptione a filiabus Henrici Palatini acceperat, donaſſet, nihil inde, quantum novimus, retributionis Cæſar obtinuit. Generoſum Cæſaris animum in Ottonem Puerum nemo non videt. In literis feudalibus, datis Ottoni, is ita loquitur: „ Civitatem de Brunſvic, cujus medietatem „ proprietatis dominii a Marchione de Baden & reliquam medietatem „ a Duce Bavariæ dilectis Principibus noſtris, emimus pro parte „ uxorum ſuarum, quæ fuerunt quondam filiæ Henrici de Brunſvic, Liberalitas Cæſaris.

(*f*) *Hiſt. Guelficæ* Tom. IV. pag. 20. in not.

(*g*) Conjectura hæc tamen probatur Illuſtri Hoffmanno, Tubing. Profeſſori, in *Diplomat. Beluſt.* p. 115.

„ Comitis Palatini Rheni &c. „ Diplomati huic, (*h*) Anno 1235. in Comitiis Moguntinenſibus dato, ipſe Hermannus Marchio de Baden, & quidem ante Marchiones de Brandenburg, ſubſcripſit. Hæc ita ſe cum habeant, caute damnandi ſunt SCHURZFLEISCHIUS, (*i*) IMHOFIUS, (*l*) aliique haud levi numero ſcriptores noviores, qui Hermannum cum Irmengarda dotis loco Durlacum, Ettlingam, Pfortzhemium, Heideshemium accepiſſe tradunt. Priora enim duo oppida Hermannus commutatione cum Brunſvico, quæ urbs ad Irmengarden ex parte pertinebat, accepit. Hæc de rebus Brunſvico-Badenſibus, quas uno filo pertexere opus eſſe exiſtimavi. Nunc in orbitam redeo.

§. X.

Acta ab An. 1228.

Anno 1228. ſub finem Aug. Hermannus Marchio de Baden Henrici, Regis Rom. pro Adelbergenſi Monaſterio, (*m*) & Ludovici Com. Palat. Rheni pro Eccleſia Bamberg. (*n*) Chartas apud Eſſelingam teſtis ſignavit. Anno 1230. Id. Aug. H. & H.

(*h*) Exhibet illud ex autographo delineatum *Hiſtoria Guelf.* à SCHEIDIO edita Tom. IV. p. 49. MEIBOM. *Scriptor. Rer. Germ.* Tom. III. p. 207.

(*i*) *Diſſertat. de Reb. Badenſ.* §. X.

(*l*) *Notitia Imperii Procerum* Lib. IV. Cap. VIII. §. V.

(*m*) PETRI *Suevia Eccl.* pag. 4.

(*n*) TOLNER. *Cod. Pal.* pag. 72.

Digitized by Google

Marchiones de Baden cum Henrico, Rege Rom. apud Briſacum verſati ſunt. (*o*) Sequenti anno Hermannus Marchio de Baden Eccleſiæ S. Pancratii in Backnang jus patronatus in Lantsſidlen donavit, ut damnum reſarciret, quod in bello adverſus vicinos Comites a ſe & ſautoribus ſuis acceperat. (*p*) Eodem anno X. Cal. Oct. idem Hermannus Marchio de Baden Halæ Suevorum cum Henrico, Rege Rom. commoratus eſt; (*q*) ut & prid. Kal. Jan. A. 1232. Hagenoæ, quum villam Tattenried ab Eccleſia Murbac. in feudum ille ſuſciperet.

Anno 1233. Hermannus Marchio de Baden transactioni Henrici Epiſcopi cum Civitate Wormat. interfuit, (*r*) imo transactionem hanc ipſe juſſu Henrici Regis promoverat. (*s*) Apud Eſselingam IV. Cal. Nov. ejusdem Henrici Regis Diploma ſignavit. (*t*) Ibidem IV. Non. Junii fuerat privilegii, Spirenſibus dati, teſtis. (*u*)

(*o*) Teſte Diplom. in gratiam Egenonis Com. Frib. dato.

(*p*) Charta donationis Ms.

(*q*) Teſte Charta ap. Besold. *Monum. Wirtenb.* pag. 465. & Bebenhuſana in Petri *Suev.* pag. 136.

(*r*) Moritz *Abhandlung vom Urſprung der Reichs-Stätte*, append. pag. 168.

(*s*) Lehmann. *Chr. Spir.* pag. 529.

(*t*) Petri *Suevia*, pag. 136.

(*u*) Lehmann *Chr. Spir.* pag. 526.

§. XI.

Acta ab An. 1234. Anno 1234. Kal. Mart. Henricus, Rex Rom. in ſolenni Curia Francofurti ſententiam contra Hermannum Marchionem de Baden pro Eccleſia Baſilienſi & Eginone, Comite Friburg. ſuper argentifodinas & cuſtodiam ſilvarum per Brisgoviam pronuntiavit. (*x*)

Anno 1235. menſe Aug. Marchio de Baden cum Friderico II. Imp. verſatus eſt Hagenoæ. (*y*) Menſe Sept. Henricus, Rex Rom. in ſua ad Hildeſienſem Epiſcopum epiſtola apologetica *filium Marchionis* de Baden, quem obſidem tenuerat, juſſu paterno liberum ſe dimiſiſſe, perſcripſit. (*z*)

Anno 1236. menſe Mart. Hermannus V. Marchio cum Friderico II. Imp. Argentinæ & Colmariæ fuit teſtis compoſitionis ejus cum Epiſcopo Argent. (*a*) ac privilegii Civitati Argent. Colmariæ conceſſi. (*b*)

(*x*) Chartam exhibet LONDORP. *Act. Publ.* Tom. I. Cap. V. DU MONT. *Corps Dipl.* Tom. I. Part. I. pag. 137.

(*y*) Teſtis Diplomatis ap. HANSELMANN *de Domo Hohenl.* pag. 399. & ſq.

(*z*) SCHANNAT. *Vindem. Liter.* Collect. I. pag. 199.

(*a*) Tabular. Eccleſ. Arg.

(*b*) WENCKER de *Pfalburg.* pag. 9.

Digitized by Google

Fuit quoque Auguſtæ menſe Julio, (*c*) & Herbipoli, ubi Wormat. Civitati Diploma exhibitum. (*d*) Menſe Junio ſigillum appenderat literis Wilhelmi, Comitis de Duingen. (*e*) Sed & eodem menſe *Hermannus Dei gratia Marchio de Baden* Abbatiæ Neoburgenſi in Alſatia contra Henricum, Comitem Werdenſem, Infer. Alſatiæ Landgravium, ſuper villa Dunninheim literas dedit teſtimoniales. (*f*)

§. XII.

Anno 1243. Hermannus V. obiit XVII. Kal. Febr. uti Necrologium Monaſterii Lucidæ Vallis (*g*) teſtatur, in eodem, quod uxor ejus brevi poſt fundavit, monaſterio ſepultus. (*h*) Cognomen *Pii* & *Bellicoſi* ei tribuit poſteritas. Hermanni obitus.

R r 3

(*c*) HANSELMANN l. c. pag. 402.

(*d*) MORITZ *vom Urſprung der Reichs-Stätte* pag. 173.

(*e*) SENCKENB. *Medit.* pag. 412.

(*f*) Chartular. Neoburg. pag. 69.

(*g*) Apud SCHANNAT. *Vindem. Liter.* Collect. I. pag. 164. ubi Monaſterii hujus fundator ipſe Hermannus dicitur, forte quod fundatricis maritus fuiſſet. Errat TOLNERUS, qui in d. IV. Non. Octob. mortem Hermanni noſtri ponit in *Hiſt. Pal.* Cap. XVI. pag. 362.

(*h*) TOLNER. in Additionib. pag. 97.

Digitized by Google

Hermanni V. conjux fuit, uti vidimus, Irmengardis, (*i*) Henrici Brunſvicenſis, Comitis Palatini Rheni, filia; ſoror Agnetis, quæ nupta fuit Ottoni Illuſtri, Bavariæ Duci. (*l*) Henricus hic, ſocer Hermanni, patrem habuit Henricum Leonem, fratrem Ottonem IV. Imp. Fridericus II. Imp. eum jam Anno 1215. Palatinatu Rheni privavit. Vixit dein Brunſvici atque An. 1227. deceſſit.

§. XIII.

Irmengardis primogenitura.

Irmengardis primogenituram aperte teſtatur Fridericus II. Imp. in Charta, Anno 1234. data, (*m*) ubi legitur; „ Quidquid „ inter Altitudinem noſtram & prefatum Ottonem de patrimonio „ & proprietatibus Henrici Ducis, patrui ſui, que a primogenita filia „ ſua comparavimus, uxore Marchionis de Baden, diſſidii vertitur

(*i*) Conjugium hoc probat Chartula Anni 1233. ubi Hermannus Marchio de Baden, una cum uxore ſua Hirmogard fratres de Alba in omnibus ſuis terris à telonio, quod *Ungeld* dicitur, excipit. MEICHSNERUS in *Decif. Cameral.* Tom. IV. Decif. 35. pag. 996. Genuinum hoc Irmengardis nomen apud idoneos ſcriptores legitur. At Irmentrudis, Gertrudis, Eilika, Adelheidis ab IMHOFIO *in Not. Proc.* aliisque junioribus, Meibomio, Rittershuſio, Tolnero male vocatur.

(*l*) SCHANNATUS in Diatriba *Hiſtoire abregée de la maiſon Palatine* pag. 1. erronee ſcripſit, Agnetem hanc unicam fuiſſe filiam Henrici.

(*m*) *Originum Guelf.* Tom. IV. pag. 141.

Digitized by Google

„ vel mancoris &c. (n) Imperatori ſubjungendus eſt venerabilis illius ævi & oræ ſcriptor, ALBERTUS, Stadenſis Abbas; (o) quibus alios teſtes addere ſupervacuum eſt.

Fridericus II. Cæſàr, cum An. 1215. Palatinatum Rheni, Henrico Brunſvicenſi ablatum, in Ludovicum Bavariæ Ducem, Ottonis Majoris filium, contuliſſet, Otto Illuſtris, filius Ludovici, Agnetem, Henrici depoſiti filiam duxit uxorem, ut ſoceri allodia cum Palatinatu conjungeret. Ducalis dignitas mariti fecerat, ut Agnes quandoque præponeretur.

§. XIV.

Irmengardi huic ſuas origines debet Lucidæ Vallis (*Liechtenthal*) ordinis Ciſtercienſis Monaſterium feminarum, in oppidi Badæ vicinia A. 1245. conſtructum, ubi vidua vixit, marito Mors ejus

(n) Agneti tamen primogenituram adſcribit MEIBOMIUS in Diſſ. de erectione Ducatus Brunſv. Tom. III. *Scriptor.* pag. 204.

(o) Ad A. 1227. ubi ita ſcribit: „ Henricus, Imperatoris filius, Civitatem „ Brunswig pro eo, quod Imperator eam a majore dicti Principis filia „ comparaverat, emptionis titulo impetebat. Et Dux Bavariæ pro eo, „ quod ejusdem junior filia ſuo filio nupſerat, jus hereditarium allegabat. Non mirum ergo eſt, TOLNERUM, cum in *Hiſtoria Palat.* pag. 362. receptam apud juniores ſententiam fuiſſet ſecutus, in additionibus deinceps pag. 97. mutaſſe ſententiam. Tractavit hæc copioſe & ſolide JOH. CHRIST. SACHSIUS, Gymn. Illuſtris in Caroli Heſycheo Prof. in *Progr.* An. 1760.

uſque ad An. 1259. (*p*) ſuperſtes, & in monaſterio, quod erexit, cum marito ſepulta. (*q*)

Ex matrimonio Henrici V. cum Irmengarde prodierunt:

Hermannus, (*r*) qui patri in Marchionatu ſucceſſit, atque Gertrudem Auſtriacam duxit uxorem.

Rudolphus, a quo hodierni Marchiones deſcendunt.

Irmengardis, Eberhardo Comiti Wirtenbergico nupta, ut ex Bulla Innocentii IV. ad Abbatem Schwarzac. A. 1259. intelligimus, qua Irmengardis, relicta Marchionis de Baden, Eberhardi Comitis ſocrus dicitur. (*s*)

Eliſabetha, quæ nupſit Ludovico II. Lichtenbergæ Dynaſtæ. (*t*)

(*p*) VI. Kal. Mart. ex Necrolog. Monaſt. Lucidæ Vallis, ap. TOLNER. *Hiſt. Palat.* pag. 362. Monaſterium hoc quoque *Buren* vocatur.

(*q*) Monumentum ſuo loco dabimus æri inſculptum. Extat ibi hæc inſcriptio:

Annis inventis XLV. mille ducentis
Alma Palatina fundavit laude ſupina
Tunc Irmengardis hoc clauſtrum Lucida Vallis.
Lucet per mores, virtutes, res & honores.

Conf. *Sachſianum Programma* de Hermanno III. March. A. 1759.

(*r*) THOMAS EBENDORFER DE HASELBACH *Chronic. Auſtriac.* in *Scriptor. Rer. Auſtr.* Tom. II. pag. 726.

(*s*) Jo. GAMANSIUS pag. 198.

(*t*) In Necrologio Abbatiæ Lucidæ Vallis apud SCHANNAT *Vindem. Liter.* Collect. I. pag. 166. *Eliſabetha de Lichtenberg, ſoror Domini Rudolfi Marchionis*, ad XIII. Kal. Apr. ponitur. Ibidem p. 172. Abbatiſſa Adelheidis promiſiſſe fatetur *Dom. Eliſabethæ de Lichtenberg, ſorori Dom. Marchionis Rudolfi, anniverſarium mariti ſui Ludovici in die S. Eliſabeth.*

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT VI.

HERMANNUS VI.

AB ANNO 1243. USQUE AD ANNUM 1250.

§. I.

Pervenimus denique ad Hermannum VI. ſub quo mediocres hucusque Badenſium opes ad magnitudinis culmen perveniſſe videbantur; violenta Principis, Neapoli occiſi, morte rurſus everſæ. Acta ejus ab Anno 1232.

Ad Hermannum hunc referimus Chartam An. 1232. qua Conradus, Conſtant. Epiſcopus, inter Abbatem S. Blaſii & *H. nobilem Marchionem juniorem de Baden*, de monte *Suſenberc* litem decidit. Abbatia pro jure ſuo prædium accepit, & præter ſervitium, tempore Bertoldi Ducis debitum, de curtibus San-Blaſianis in Briſgovia nihil ſe exacturum eſſe, Marchio promiſit. Colligimus hinc, in ſuperiore Briſgovia, ubi Sauſenberg ſitum, Marchica jura vivo eum adminiſtraſſe parente. Hoc autem mortuo

Digitized by Google

Hermannus & Rudolphus fratres D. G. Marchiones de Baden, Spir. Dioec. villas, decimas, curias plures matri ſuæ Irmengardi, ut ad uſus novi monaſterii Lucidæ Vallis, ab ipſa inſtituti, eas converteret, An. 1245. donarunt. (*a*) In Charta hac *Princeps illuſtris Hermannus, pater noſter, Marchio de Baden,* legitur. Sigilla propria filii tum nondum habentes, paterno in literis his uſi ſunt. Iidem fratres triennio poſt in Charta matris, qua monaſterio huic bona a filiis accepta tradidit; rurſus memorantur. (*b*)

Anno 1246. Hermannus, nobilis vir, Marchio de Baden, judicio Conradi, Epiſc. Spir. cauſſa cecidit in lite, quam de Advocatia Nuſsbach aliisque poſſeſſionibus monaſterio Omnium Sanctorum moverat. Inter teſtes legitur *Hermannus filius Marchionis.* Intelligitur filius Rudolphi I. quem Hermannum VII. vocamus.

§. II.

Acta ab An. 1248. Anno 1248. Innocentius IV. Papa ſcripſit *Nobili viro Hermanno, Marchioni de Baden*, Literas Lugduni datas XVIII. Kal. Octob. anno VI. Pontif. (*c*) quibus ei Ducatum Auſtriæ

(*a*) Charta in Cod. Diplom.

(*b*) SCHANNAT *Vindem. Liter.* Collect. I. pag. 171. ſq.

(*c*) Innocentius IV. electus eſt Pontifex A. 1243. d. 24. Jun.

Digitized by Google

confirmavit, quem Gertrudis, filia Henrici III. Auſtriæ Ducis, heresque Ducatus, attulit marito. (*d*) Eodem anno Hermannus & Rudolphus fratres, Marchiones de Baden, feudum in Eiſtatt Heſſoni de Uſenberg contulerunt.

Anno 1249. (*e*) Innocentius IV. Pontifex litteras dedit ad Wilhelmum, Regem Romanor. in quibus eum hortatur, ut Gertrudi ejusque marito Hermanno, Marchioni Badenſi, Auſtriæ Ducatum tradat in feudum, eo quod feminas ille Ducatus admittat. Menſe Sept. ejusdem anni Hermanni, Ducis Auſtr. & Styr. & Marchiæ de Baden, privilegium de transvectione ſalis per terras Auſtr. Conventui in Zwelt indultum eſt in Civitate Viennenſi. (*f*) CHRONICON CLAUSTRO-NEOBURGENSE (*g*) ad An. 1249. ita ſcribit: „ *Hermannus Marchio de Baden* intravit Auſtriam auxilio „ Ducis Bauuariæ, & duxit uxorem filiam Heinrici Ducis .... „ *Hermannus Marchio de Paden* voluit eſſe Dux Auſtriæ, ſed „ non valuit.

Ss 2

(*d*) BALUZII *Miſcellan.* Tom. VII. pag. 410.

(*e*) Idus Februarii anno Pontificatus ſexto. BALUZII *Miſcellan.* Tom. VII. pag. 455.

(*f*) LUDEWIG *Reliq. Mſs.* Tom. XIV. pag. 44.

(*g*) Apud PEZIUM *Scriptor. Rer. Auſtr.* Tom. I. pag. 461.

Digitized by Google

§. III.

Mors ejus

Anno 1250. IV. Non. Octob. Hermannus præmatura morte extinctus, Clauſtro-Neoburgi apud Auſtrios ſepultus eſt, teſte CHRONICA AUGUST. (*h*) his verbis: „ Hermannus „ Marchio de Baden, qui ſibi uſurpaverat Ducatum Auſtriæ, „ moritur IV. Non. Octobr. „ Addit ſepulturam CHRONICA AUSTRALIS: (*i*) „ Hermannus Marchio obiit, in Niwenburga „ ſepelitur.

Uxor Gertrudis.

Gertrudis, Hermanni VI. uxor, filia unica fuit Henrici Impii, qui frater ſenior erat Friderici Victorioſi, Auſtriæ Ducis, adeoque Leopoldi VII. Glorioſi neptis. Mater ejus erat Agnes, Hermanni, Thuringiæ Landgravii, filia. Poſtquam Fridericus Dux An. 1246. periiſſet improlis, Babenbergicæ ſtirpis poſtremus, jura ſucceſſionis in Auſtria, quæ maſculorum defectu feminas admittit, (*l*) ad ſolium ejus vocavere Gertrudem; cujus pater Henricus jam A. 1227. triennio ante Leopoldum patrem deceſſerat. Res ergo devoluta ad Gertrudem, quam Fridericus Dux patruus deſponſaverat Uladislao, Marchioni Moraviæ, Wenceslai III. Regis

(*h*) Ap. FREHER Tom. I. pag. 528.

(*i*) Ibidem pag. 459.

(*l*) Virtute Privilegii, quod Fridericus I. Imp. A. 1156. Ducatui Auſtriæ dedit, de quo ſupra §. XXI.

Bohemiæ, filio atque fratri Ottocari illius, Bohemiæ Regis, quem Auſtria deinceps ejecit Cæſar Rudolphus. Uladislaus uxoris nomine per aliquot menſes Auſtriam adminiſtravit, atque poſt ſeptimeſtre cum Gertrude connubium improlis Anno 1247. exſpiravit. (*m*)

Poſt hæc Auſtriæ Magnates, in partes diſtracti, Fridericum II. Imp. in Lombardia adierunt, petituri Rectorem. Cæſar Ottonem Illuſtrem, Bavariæ Ducem, eis pro Capitaneo dedit. (*n*) Hic Hermanno VI. Marchioni Badenſi, ex conjugis ſuæ, Agnetis, ſorore Irmengarda (*o*) prognato, viro juveni, rebus gerendis idoneo, Gertrudem viduam An. 1248. dedit uxorem. (*p*) Ex matrimonio hoc An. 1249. Fridericus, atque deinceps filia Eliſabetha prodierunt. Friderico infanti, futuro Auſtriaci Ducatus heredi, opus erat tutore. Tutelam exercuit pater, Hermannus Badenſis, quamdiu vixit.

(*m*) Bohusl. Balbinus in *Epitome Rerum Bohemicar.* Lib. III. Cap. XIV. pag. 268. at Thomas de Haselbach in *Chron. Auſtr.* Lib. V. octodecim menſes matrimonio huic aſſignat.

(*n*) Chron. Salisburg. pag. 360. in *Scriptor. Auſtr.* Tom. I. pag. 360.

(*o*) Haselbach *Chron. Auſtr.* in *Scriptoribus Rer. Auſtr.* Tom. II. pag. 726.

(*p*) Chron. Monasterii Mellicensis ad An. 1248. in Tom. I. *Scriptor. Rer. Auſtriacar.* pag. 240.

Obſervant ſcriptores Auſtriaci, (q) eum nunquam totius Auſtriæ, ſed partis modo ejus, quæ propior Vindobonæ, Ducem fuiſſe.

§. IV.

Jus in Auſtriam controverſum.

Enimvero ex iis, quæ geſta ſunt, diſcimus, Margaretham, Friderici Victorioſi, ultimi Ducis, ſororem, heic quoque veniſſe in partes. Inter eam ſanc & Gertrudem ventilata eſt quæſtio, feminas Auſtria quum admittat ad ſolium, an mortuo Friderico Victorioſo ſoror, an neptis ex fratre ſuccedere debuerit. Margaretha erat propior gradu; Gertrudis autem, juris a patre accepti compos, præferenda videbatur. Inter hæc Hermannus Badenſis, uti ſupra oſtenſum, obiit. Poſt mortem ejus Auſtriæ regimen Gertrudis & Margaretha, quæ, Friderico II. Imp. ſocero nuper defuncto, (r) in Auſtriam redierat, ſuſceperunt. Margaretha Haimburgi, Gertrudis Medlingæ (s) cum Friderico filio ſedebat.

(q) Cuspinianus in *Auſtria* pag. 28.

(r) Uxor nempe fuerat Margaretha Henrici, Rom. Regis, contra patrem rebellis, qui captivus in Sicilia obiit anno 1240.

(s) Unde *Duciſſa* de *Medlich* in Chron. Claustro-Neoburg. An. 1252. & filius ejus quandoque *Medlingenſis* dicitur. Hagen. *Chron. Auſtr.* ap. Pez. *Scriptor. Auſtr.* Tom. I. col. 1072. ſq.

Digitized by Google

§. V.

Pertæſi autem mox muliebris regiminis Auſtriæ Status, atque de periculoſis Hungariæ & Bohemiæ Regum conſiliis moniti, legatos ad Henricum Illuſtrem, Miſniæ Marchionem, miſerunt, qui unum ex filiis ejus, quos cum Conſtantia, poſtremi Auſtriæ Ducis & Margarethæ, modo laudatæ, ſorore genuerat, expeterent. (*t*) Gertrudis expulſa.

Wenceslaus III. Bohemiæ Rex, legatos hos per fines regni ſui tranſeuntes Pragam invitavit, filium ſuum Ottocarum ut eis proponeret Ducem, addita conditione, ut Margaretha vidua ei conjux daretur. Ottocarus ergo A. 1053. Vindobonæ nuptias cum Margaretha celebravit, (*u*) Auſtriæque Ducatum hoc prætextu occupavit, eodem anno Bohemiæ ſolium, mortuo patre, conſcendens.

(*t*) Inter hos Henrici III. filios, ex Conſtantia ſuſceptos, Albertus Degener erat, a quo hodierni Electores Sax. deſcendunt, & jus aliquod in Auſtriam repetunt. SCHWEDER *Theatr. Prætenſ.* Lib. IV. Sect. XXXIV. Cap. VII.

(*u*) Repudiavit eam An. 1261. In Auſtria tamen dominari perrexit, donec a Rudolpho Habsburg. ejiceretur. Ex priori matrimonio Margaretha hæc gemellos pepererat, qui Manfredi, Regni Siculi uſurpatoris, dolo pericrunt: Fridericus nempe & Henricus. HAGEN. *Chron. Auſtr.* l. c.

Principatu ſuo exuta Gertrudis ad Conſtantiam amitam cum Friderico, filio ſuo, confugit in Misniam, ubi cum Romano quodam Ruſſo tertias dein nuptias contraxit. CHRONICON CLAUSTRO-NEOBURGENSE ad Ann. 1252. hæc narrat: „ Ducifla de Medlich accepit maritum Ruſciæ in contumeliam „ amitæ ſuæ, Duciſſæ Auſtriæ. „ Et ad Ann. 1253. „ Rex „ Ruſciæ relicta uxore rediit ad terram ſuam. „ (*x*)

§. VI.

Monumenta Gertrudis.

Tam variis fatis agitata Gertrudis, in Misnia exulans, obiit. Scriptores neo annum mortis, nec locum ſepulturæ ejus definiunt. Memorabilis ſupereſt nummus, (*y*) Badenſia & Auſtriaca Inſignia conjunctim exhibens; matrimonii Gertrudis cum Hermanno VI. Marchione, ut & communis in Auſtria Principatus irrefragabile documentum. Supereſt etiam Charta An. 1253. quam Monaſterio S. Crucis in Auſtria dedit Gertrudis, *Dei gratia Duciſſa Auſtrie & Styrie*; cujus ſigillum dedit HERRGOTTUS, (*z*) quod que Gertrudis imaginem refert.

Præter

(*x*) Ex nuptiis his CUSPINIANUS *Auſtr.* pag. 28. & 43. prodiiſſe ſcribit filiam Mariam, quæ deſponſata fuerit Stephano de Sagabria.

(*y*) In numophylacio Gothano, ex quo æri inciſus ap. HERRG. *Monum. Auſtr.* Tom. II. Tab. I. n. 30.

(*z*) Ibid. Tom. I. pag. 9. Tab. IV. num. 3.

Digitized by Google

Præter Fridericum Gertrudis ex Hermanno Badenſi peperit Agnetem, quæ Anno 1263. Duci Carinthiæ, Ulrico, (a) atque poſt ejus mortem Meinhardo, Comiti Tirolis, nupſit. Ex Agnete hac Henricus, Carinthiæ Dux, Comes Tirolis, & Eliſabetha prodierunt, quæ deinceps Alberti, Auſtriæ Ducis ex Habsburgica Gente primi, uxor evaſit. Filia Eliſabetha.

§. VII.

Fridericus patre Badenſis, matre Auſtriacus, An. 1249. uti dictum eſt, natus, ab An. 1253. in Miſnia apud Conſtantiam amitam, Henrici, Miſniæ Marchionis, uxorem educatus eſt. Matre ibi defuncta, in Bavariam ſe contulit ad Ludovicum Severum, Bavariæ Ducem, filium Ottonis Illuſtris, qui Auſtriæ Rector matrimonium Hermanni VI. cum Gertrude conciliaverat. Frideric. filius.

Irmengardis, avia paterna Friderici, ſoror erat matris Ludovici Severi, ad quem non modo Fridericus noſter Bada-Auſtriacus, ſed & Conradus, Sueviæ Dux, vulgo *Conradinus* confugit. Vixerunt ibidem plures per annos, arcta inter ſe amicitia, ſanguine, quin & fortunæ adverſæ fatis conjuncti; alter hereditariis Siciliæ utriusque Regnis, alter hereditariis quoque Auſtriæ ac Stiriæ Ducatibus excluſi. Conradinus denique ad

(a) Chron. Claustro-Neoburg. ad A. 1263. & Chron. Austr. ad h. a.

Digitized by Google

expellendum Carolum Andegav. excitatus, Italicam expeditionem paravit, quam ob cauſam Ludovico, Bavariæ Duci, Werdam Suevicam (*Donawert*) pro 2000. marcis argenti An. 1266. ſolenni Charta oppigneravit Auguſtæ Vind. Quin & eodem die eundem Ludovicum ditionum ſuarum in Italia & Germania heredem inſtituit, absque herede ſi ſeſe mori contingeret. Utramque Chartam noſter *Fridericus Dux Auſtrie & Stirie, Marchio de Baden*, An. 1266. teſtis ſignavit. (*b*)

§. VIII.

Interitus ejus.

Paulo poſt expeditio Neapolitana à Conradino ſuſcepta eſt. Socius ejus fuit Fridericus Badenſis, ſed & ſocius ſupplicii, quod uterque An. 1268. eodem die (*c*) in foro Neapolitano

(*b*) Inſtrumenta hæc Conradini, d. 24. Oct. apud Auguſtam Duci Bavariæ data, extant in *Bayr. Ausführ.* contra *Oeſterr.* inter Probat. pag. 10. ap. FUGGER *Oeſterr. Ehrenſp.* Lib. II. Cap. IV. pag. 190. & LUNIG *Archiv. Imp.* Part. ſpec. Contin. II. pag. 3. In poſteriore hoc, quod ex Lat. in Germ. verſum, poſt Fridericum legitur *Hermann Marggraf zu Baden*, per interpolationem nominis *Hermanni*, quum Marchionis Bad. titulus Friderico, Auſtriæ & Stiriæ Duci, haud dubie fuerit additus.

(*c*) D. 26. Octobr. Circumſtantias ſupplicii coætaneus ſcriptor exponit, SABA MALASPINA in *Rer: Sicul. Hiſtoria* Lib. IV. Cap. XVI. ap. MURATOR. *Scriptor. Ital.* Tom. VIII. col. 852. Adde RICORDANO MALESPINI, ex eadem familia, Florentinus ejusdem ſec. XIII. ſcriptor, primus, qui lingua

Digitized by Google

ſubivit; in vicina Carmelitarum eccleſia ſepulti, ubi in reſtaurata ævo juniore Capella novæ Inſcriptionis, marmori inciſæ, auctor indoctus Fridericum noſtrum, Bada - Auſtriacum, gentis Habsburgicæ Principibus annumerat.

Ita uno carnificis ictu concidit maxima illa ſpes gloriæ & potentiæ, quam in orientalis Germaniæ partibus Badenſium Domui fata præparaſſe videbantur. Spes viginti annorum, quos in perpetua varietate fortunæ Hermannus & Fridericus, pater filiusque tranſegerant.

§. IX.

Bertoldi ex Zaringis priores, Guelficis partibus forte nimis addicti, conſilio hoc ſuas opes retardarunt. Poſteriores Badenſium Hermanni, Gibellinas Cæſarum partes ſecuti, ſuas Epilogus

Italica Hiſtorjas ſcripſit, ſub tit. *Iſtoria Fiorentina*, Cap. CXCIII. ap. Murat. l. c. col. 1014. Ricordanus vocat Fridericum *Duca di Sterlichi*, fortaſſe errore librarii. Addit corpus ejus, ut et Conradini, non fuiſſe ſepultum in loco ſacrato. Erant enim diris Papæ devoti. Ricobald. Ferrar. in *Compilat. Chronol.* apud Murator. Tom. IX. pag. 250. ait: „ Decapitatus ibi cum Duce Auſtriæ & aliis paucis proceribus, ibi ſecus „ mare in tumulis conditi ſunt. „ Poſtea temporis tamen in Eccleſiam Carmelitarum translati cineres, ubi hodieque ſervantur. Conf. *Alſat. Illuſtr.* Tom. II. pag. 554.

Digitized by Google

opes evertunt. Illis Carinthiam, Veronam, Sueviam, his Auſtriam, Carniolam, Stiriam cœlum magis oſtendit, quam dicat.

Indignatus enim Romanus Pontifex Fridericum Badenſem, novum illud Auſtriæ ſidus exoriens, cum Conradino, Gibellinæ Hohenſtaufiorum gentis poſtremo, ſua ſociaſſe conſilia, exterminavit utrumque. Carolus Andegavus capita eorum gladio ſubmiſit.

Cum Conradino univerſa concidit Hohenſtauſica Domus. Cum Friderico nonniſi ſenior Domus Badenſis interiit Linea.

Tam tragico caſu clauditur Hermanniana Periodus, Rudolphinam aperiens; cujus expoſitionem aggreſſurus ſum, poſtquam expoſuero Hachbergicam. Rerum geſtarum hoc poſtulat ordo.

CAPUT

Digitized by Google

Digitized by Google

T

STEMMA MARCH

HENRICUS I. Hermanni IV. Ma

HENRICUS II. Marchio Hachberg.

LINEA HACHBERGICA

HENRICUS III .Marchio Hachb. & Landgrav. Briſg. 1296. tutor fratris 1314. † 1330. Ux. Agnes Com. de Hohenberg † 1310.

HENRICUS IV. Marchio Hachb. accipit Kenzingen & Kirnberg 1352. † 1369. Ux. Anna Uſenbergica 1316.	Rudolfus Commendator Ord. S. Johannis in Hohenrain † 1343.	Hermannus Ord. S. Joh. maniam † 1

OTTO I. Marchio † in prœlio Sempac. 1386.	JOHANNES Marchio, Advocatus in Endingen † poſt 1396.	HESSO I. Marchio, Dynaſtiam U cam acquirit 1388. & 1393. Ux. de Geroldſeck, 2) Margaretha C de Tubingen, heres Caſtri Herrer

Henricus V. deſponſatus † ante 1399.	OTTO II. Marchio Hachbergam ſuam vendit Marchioni Bad. Bernhardo 1415. † 1418.	Heſſo II. † poſt 1406.	Marg Uxor Com ning

RUDOLFUS IV. Marchio Dynaſtiam Badenweiler don † 1487. Ux. Margaretha de Vienna, filia Guilieln

PHILIPPUS Marchio Hachb. & Comes Novi Caſtri pact

Johanna, heres Comitatus Novi Caſtri, nupta Ludovico

Digitized by Google

PERIODUS II.
SIVE
HACHBERGICA.

CAPUT I.
MARCHIONES HACHBERGICI
ANTE ILLORUM IN DUAS LINEAS DIVISIONEM.

§. I.

Hachberga, ceteris Brisgoviæ caſtris præſtantius, monti molliter edito impoſitum; ſubſtructionum, arearum, hortorum varietate amoenum; turribus & ferreis portis olim formidabile, quinque leucis Briſaco, tribus diſtans Friburgo; caput fuit Dynaſtiæ, quae Marchionatus appellari cœpit, poſtquam Henrico, ex Marchionum Zaringo-Badenſium ſanguine nato, in patrimonialium terrarum diviſione tractus ille obvenit. In Charta Tennebacenſi A. 1161. prima Caſtri *Hachberg* mentio fit, quod ſub Carolis, Marchionibus Hachberg Caſtrum.

Digitized by Google

Badæ, & ſub Friderico VI. præſertim (*a*) auctum atque perfectum, a Ludovico XIV. deſtructum. (*b*)

Alius temporum progreſſu invaluit uſus, ut arx hæc contra veterum chartarum fidem *Hochberg*, id eſt *Altus Mons* (*c*) diceretur. *Hachberg* autem Hachonis montem deſignat. Hachonem, in Caroli M. caſtris militantem, arcem hanc condidiſſe, vetus apud Badenſes traditio fuit, quam LAZIUS (*d*) aliique magno numero adoptaverunt ſcriptores, quamque Carolus II. Marchio Inſcriptione, A. 1554. lapidi inciſa, propagavit ad poſteros. (*e*)

(*a*) A. 1668. Vid. CHRISTIANUS KECKIUS in *Panegyr. Friderici VI.* pag. 71.

(b) A. 1689. die 17. Febr. pyrio pulvere ſolo æquatum eſt per Fayum, Friburgi præfectum.

(*c*) In vicinia tamen ejus mons altior extat; unde etymologia hæc locum habere nequit.

(*d*) *Migratio Gentium* pag. 402. Qui Hachonem tractum illum à Carolo M. in beneficium accepiſſe vult.

(*e*) Inſcriptio hæc eſt:

„ Me primus Carolo imperante Magno Hacho, unde nomen mihi, A.
„ Dom. DCCCVIII. erexit. Ornatiorem Carolus quondam Badæ
„ Marchio regnante Friderico III. fecit. Jam vero ob edacem ac
„ ruinoſam vetuſtatem Carolus, magni animi Princeps, Badæ &
„ Hochbergæ Marchio, cujus effigiem hic cernis, tum reinſtaurari
„ tum adverſus hoſtiles impetus in ſui ſuorumque munimen &
„ refugium prompto ſubjectorum auxilio præmuniri curavit, gubernante
„ Carolo V. Imp. Aug. „ P. F. A. Dom. MDLIIII.

Lapis A. 1749. ex ruderibus Caſtri Sereniſſimi Marchionis CAROLI FRIDERICI juſſu, Emmendingam translatus, in Eccleſia ſervatur.

Digitized by Google

Haichones haud raro memorantur in Chartis. Haicho ex Etichonis, Alſatiæ Ducis, ſanguine An. 723. ſuam Honaugiæ partem Honaugienſibus Cœnobitis donavit. (*f*) Eodem ſeculo in Epiſcoporum Argentinenſium catalogo Haicho Antiſtes occurrit. Haicho, Vodalberti filius, bona quædam in Marca, ad Haſumwanc ſita, Monaſterio S. Galli, regnante HLudovico Germaniæ Rege, A. XV. conceſſit. (*g*) Henricus de Hacha, Brisgovicus Eques, in Teutonici idiomatis Charta An. 1279. memorarur. (*h*) In Sauſenbergica Dynaſtia haud procul Auggena locus eſt Hach. Quicunque fuerit Hacho, Caſtri Brisgovici conditor, nulla Hachbergæ mentio mihi ante ſec. XII. occurrit.

§. II.

Fridericum I. Imp. extincta Hachonis familia, Caſtrum cum terris Marchioni cuidam Veronenſi, quem ex Italia ſecum adduxerit, donaſſe, multorum, ut ſupra annotavi, opinio eſt. Alii Henrico Aucupi, Marchionatuum Germaniæ conditori, originem Marchiæ hujus, ut & Badenſis, adſcribunt; inſtitutos eos fuiſſe credentes, ut Germaniam contra Francorum occidentalium ſive Gallorum incurſiones defenderent. SPENERO, Marchiæ Hach-berg. origo.

(*f*) *Alſat. Illuſtr.* Tom. I. pag. 785.

(*g*) GOLDAST. *Rer. Alemannicar.* Tom. II. P. I. pag. 25.

(*h*) Charta Tabularii San-Blaſiani.

Digitized by Google

SCHURZFLEISCHIO, (*i*) IMHOFIO, (*l*) PFEFFINGERO, (*m*) GUNDLINGIO, (*n*) DIETHERRO (*o*) aliiſque haud paucis ſententiam hanc probari potuiſſe, mecum omnes mirabuntur, qui Henrici Aucupis ævo inter Galliæ Germaniæque Regna Moſam limitem extitiſſe cognoſcunt. Moſa ergo fluvius adverſus Gallos Marchionatu inſtruendus tum fuerat, non Rhenus.

Ex Hermannidis Badenſibus quartus Hermannum V. & Henricum I. filios reliquit, quos inter diviſæ ſunt opes paternæ. Uſgovicas Hermannus, Briſgovicas Henricus ſortiti ſunt Marchiones, poſſeſſionibus ſuis Marchionatus axioma paulatim communicantes. Allodialis uterque Marchionatus fuit, donec Badenſis ſeculo XIV. Hachbergenſis ſec. XV. libera Marchionum oblatione feuda Imperii fierent. Marchia vera ſi ab origine ſua fuiſſet Hachberga, ab origine quoque ſua feudum extitiſſet Imperii.

HENRICUS I.
Ab A. 1190. 1231.

§. III.

Heredi- tas & ti- tuli ejus. Henricus, Familiæ Hachbergicæ auctor, ſine fratre Hermanno Abbatiæ Tennebacenſi villam & eccleſiam in Muosbach, in

(*i*) *De rebus Badenſ.* §. III. pag. 277.

(*l*) *Notitia Procerum Imp.* Lib. IV. Cap. VIII.

(*m*) *Ad Vitriar.* Tom. II. pag. 655.

(*n*) In *Otiis* Part. I. pag. 102. ubi Marchionatus Hachbergæ & Badæ contra Burgundos inſtitutos fuiſſe arbitratur.

(*o*) *Addit. ad Beſoldi Theſaur.* pag. 73.

Digitized by Google

in Hachbergenſi Marchionatu ſitam, paulo ante mortem ſuam, in *Caſtro Burchhem*, conſentiente uxore cum duobus filiis ſuis, donavit; fratris quoque conſenſum haud dubie adhibiturus, ſi ei in has terras tum aliquid juris fuiſſet. Imo idem Henricus noſter jam A. 1212. *Marchio de Hahperg* in literis Friderici, Romanorum Regis, vocatur. Brevi poſt mortem Hermanni IV. diviſionem terrarum inter filios ejus inſtitutam fuiſſe, hinc recte inferimus. Neque tamen gentilitium Marchionis *de Baden* axioma Hachbergenſis ille Henricus depoſuit; (*p*) id quod non una illius ævi Charta demonſtrat. (*q*)

§. IV.

Idem Henricus Egnolfum de Landſperg, civem Argentinenſem, quum captivum teneret, Fridericus II. Rex Romanorum, ad preces Argentinenſium, literis, anno Regni primo (*r*) Conſtantiæ datis, eum graviter hortatus eſt, ut Landſpergium dimitteret liberum. (*s*) Quod cum facere detrectaſſet Res geſtæ.

(*p*) Falſo hoc crediderunt Drollinger in Lexico Baſil. voc. *Hachberg*, & Pistorius in Tabula Geneal. Marchionum de Hachberg, inſerta T. III. *Script. Rer. Germ.* pag. 782.

(*q*) Vid. Docum. A. 1226. 1230. 1231.

(*r*) A. 1212.

(*s*) Friderici literæ ad Argentinenſes extant in Wenckeri *Collectan. Archivor. & Cancellariæ* pag. 355.

Digitized by Google

Henricus, Advocatis ſuis per Alſatiam Cæſar injunxit, ut Argentinenſibus ſua ope aſſiſterent. (*t*)

A. 1226. Henricus noſter cum fratre Hermanno jura ſua in hereditatem Gertrudis, Comitiſſæ Dagsburgicæ, neptis ſuæ ex ſorore, in Eccleſiam Argentinenſem transtulit. (*u*)

Extat Henrici, Romanorum Regis Charta Anni 1230. qua Egenoni, Comiti de Friburg, omnem *rancorem atque in indignationem* remittit. Teſtes ſunt *H. & H. Marchiones*; quibus ſiglis Hermannum & Henricum, Marchiones Badenſes, intelligi, auctoritate Chartæ, quam modo retulimus, non licet dubitare.

Anno eodem vel ſequenti Henricus Monaſterio, ut diximus, Tennebacenſi villam & eccleſiam in Muosbach, ut & ſilvam cum hominibus & rebus eo pertinentibus, jure perpetuo conceſſit. Cum autem villa pro XXV. & ſilva pro XXX. marcis argenti Uſenbergæ Dynaſtis oppigneratæ fuiſſent, Burcardus & Rudolfus fratres de Uſenberg eas Tennebacenſibus redimendas dederunt.

Landgraviatus Brisgoviæ, antiquiſſimum Zaringicæ gentis patrimonium feudale, quem, inſtituta Badenſium linea, ſibi ſervaverant Zaringi, Zaringis A. 1218. extinctis, ad Henricum hunc quoque Cæſaris beneficio perveniſſe videtur.

(*t*) Vid. WENCKERUM ibid. & Cod. Diplom.

(*u*) Charta ait: *Hermannus & Henricus fratres Dei gratia Marchiones de Baden.* Conf. ſupra in Hermanno V. pag. 309.

Digitized by Google

Nec diſſentit a me Pistorius; (*x*) qui in Abbatiæ Albæ Dominorum (*y*) literis A. 1230. eum adhuc nominari arbitratur. (*z*)

Obiit Henricus A. 1231. quo literas, donationem ejus Tennebacenſem, de qua ſupra, confirmantes, circa ipſum, puto, mortis ejus tempus conſcriptas, habemus. Agnes Habsburgica ei uxor tribuitur. (*a*) Mors & Uxor.

HENRICUS II.

Ab A. 1231. —— 1290.

§. V.

Henricus II. patre ejus moriente, puer fuit ſub matris conſtitutus gubernio. Hæc donationem, a marito nuper defuncto, Tennebacenſibus factam, cum filiis ſuis denuo firmavit. (*b*) Sub tutela.

Duos minimum filios & quidem pueros, Henricum I. reliquiſſe, ex Bertoldi, Epiſcopi Argentinenſis, Charta illius temporis docemur. Antiſtes hic, ex Teccenſium Ducum Familia natus, adeoque cum Zaringo-Bada-Hachbergicis ſanguine junctus,

(*x*) In Tab. Geneal. l. c.

(*y*) *Herrenalb.*

(*z*) Jo. Gamans. in *Geneal. Badenſ.* pag. 161.

(*a*) Pistorius l. c.

(*b*) Cod. Diplom. A. 1231.

Digitized by Google

agnatorum ſuorum curam laudabilem geſſit. Ita enim occaſione Monaſteriorum Burgelen & Sitzenkirch, quæ in tractu Sauſenbergico ſita, ſcripſit Bertoldus : „ Sicut & alia bona conſanguineorum „ noſtrorum puerorum , videlicet bonæ memoriæ Marchionis , „ ſub noſtra protectione recipimus. „ Junior Henrici II. frater quod nomen habuerit , & quo devenerit , nullæ nos rerum memoriæ docent. (*c*)

§. VI.

Piſtorii ſphalma.

Piſtorius heic in alia omnia diſcedit , atque duos generationum gradus inter Henricum I. & II. effingit , modo ſequenti :

Henricus I. † 1231.

Hudolphus I. Marchio Hachberg. 1239. & 1248. — Hermannus I. Marchio Hachberg. 1248.

Henricus II. dictus antiquus , Marchio Hachberg. 12[illegible]1 - 1285.

Fridericus. — Rudolfus II. Marchio Hachberg. 1290. — Henricus III. Marchio Hachberg. & Landgrav. Brisgov. emit Maltertingam 1296.

(*c*) Forte eccleſiaſticum amplexus eſt ſtatum, & idem eſt, qui in Charta A. 1232. legitur : *W. Canonicus Turicenſis & Marchio.*

Tennebacenſis Charta quum nec uxoris, nec filiorum Henrici I. expreſſerit nomina, in auxilium ille vocat Badenſes, atque ex eorum Genealogia Rudolphum ac Hermannum mutuat, ut in Hachbergicam eos Genealogiam transferat, auctoritate Chartæ A. 1248. ut videtur, innixus.

Enimvero Hermannus & Rudolfus fratres, Marchiones de Baden, Heſſoni de Uſenberg feudum in *Eiſtat*, Hachbergenſis Marchionatus vico, conceſſerunt. Sed Charta hæc ad Hermannum atque Rudolfum, Badenſes, Hermanni V. filios, pertinet; qui inveſtituram & Chartam in Caſtro ſuo *Mulenberc*, Marchionatus Badenſis, haud procul Durlaco, dederunt; ex linea ſeniore prognati, quibus inveſtiendi jus reſervatum fuiſſe, non absque fundamento conjicimus.

Piſtorium hæc inveſtitura ſeduxit, quod Hachbergicos Marchiones eam dediſſe exiſtimaverat. Vicus Eichſtatt enim Marchionatus Hachbergici partem conſtituit. Cærimoniam in Marchionum Badenſium Caſtro Mulberg factam fuiſſe, ſi obſervaſſet Piſtorius, Genealogiæ Hachbergicæ non immiſcuiſſet Badenſes. Unde in Badenſi & Hachbergenſi ſchemate uno eodemque tempore Hermanni & Rudolphi fratres comparent; ex Badenſi linea in Hachbergenſem quoque a Piſtorio translati. Enimvero Badenſes Hachbergenſibus rebus ſeſe immiscere potuerunt; vel quod Henricus II. patruelis eorum, ætatis nondum fuerat maturæ,

Digitized by Google

vel quod feuda conferendi jus Badenſis ſenior Gentis ſibi ſervaverat vel linea prior.

Seducti alii.

Piſtorium tamen RITTERSHUSIUS, (*d*) SPENERUS, (*e*) SCHURZFLEISCHIUS, (*f*) IMHOFIUS, (*g*) aliique Genealogi certatim ſequuntur, Henrico I. Rudolphum & Hermannum; Rudolpho Henricum II. filios attribuentes.

FOERSTERUS, (*h*) &, qui ejus veſtigia legit, DROLLINGERUS, (*i*) Henricum noſtrum conſtituunt Henrici I. nepotem; ſed Marchionis, qui intermedius fuit, reticent nomen.

§. VII.

Rationes contrariæ noſtræ.

Re tamen bene perpenſa generationes illas duas, quæ inter Henricum I. & II. ponuntur, delendas eſſe cenſemus. Non unum nobis occurrit exemplum, quo Marchiones Badenſes inter An. 1230. & An. 1250. in Hachbergenſibus terris jura quædam, ut Domus ſuæ ſeniores, exercuerunt.

Hermannus Marchio de Baden, & Egino Comes de Friburg An. 1234. de argentifodinis & cuſtodia ſilvarum per Briſgoviam

(*d*) *Genealog.* Tab. 126.

(*e*) *Syllog. Hiſtorico-Genealog.* pag. 612.

(*f*) *De Rebus Badenſ.* §. IV. Diſſert. pag. 278.

(*g*) *Tabb. Geneal.* Part. II. Tab. 76. HUBNERUS Tom. I. Tab. 229.

(*h*) Relatio Genealog. Ms. Cap. II.

(*i*) Lex. Baſil. voce *Hachberg.*

inter ſe diſceptabant. Litem Henricus, Romanorum Rex, XV. Cal. Martii ejus anni pro Eginone decidit. (*k*)

Anno 1248. Hermannus atque Rudolfus Badenſes feudum, in Eichſtatt ſitum, Uſenbergiis contulerunt. (*l*) Nemo tamen hinc inferat, Hachbergicas terras ad Badenſes tum pertinuiſſe Marchiones; nec ex altera parte Lineæ Hachbergenſium inferat Marchiones Badenſes. In Illuſtribus familiis frequens eſt, ut regalia quædam jura, præcipue collationem feudorum, ſenior ſibi linea reſervet. Fortaſſis Landgraviatus Brisgoviæ jura ſibi quoque reſervaverant Badenſes. Stat ergo ſententia, quæ Henrici I. filium & ſucceſſorem conſtituit Henricum II. dictum *Equitem*, qui poſt An. 1248. ipſe Hachbergam ſuam regere potuerat.

§. VIII.

Ille profecto An. 1256. litem inter Nobiles de Weisweil & Abbatem Tennebacenſem de vico Harderen compoſuit. (*m*) Res geſtæ.

Anno 1261. Henricus bonorum Musbacenſium donationem, quam pater ejus Tennebacenſi Monaſterio fecerat, quamque mater vidua cum pueris ſuis mortuo confirmaverat patre, & ipſe Marchiæ ſuæ rector tempore Paſchatis confirmat Hachbergæ.

(*k*) Quatuor poſt menſibus idem Rex eundem Eginonem de pluribus fluminibus in Brisgovia & montanis adjacentibus inveſtivit. Vid. Cod. Diplom.

(*l*) Vid. ſupra pag. 341.

(*m*) Teſte FOERSTERO Cap. III.

Digitized by Google

In diuturno illo civium nobilium Baſileæ diſſidio An. 1262. Marchiones Hachbergæ (Henricus noſter ſine dubio & frater ejus aut filius) a partibus ſocietatis, cui a *Psittaco* nomen, (*n*) ſteterunt.

§. IX.

Heitersh. donatio.

Circa Annum 1270. Fratribus Hoſpitalis S. Johannis Hieroſolymitani in Friburg bannum, advocatiam & jura, quæ ei in villam Heitersheim ejusque diſtrictum competebant, in ſpeciale feudum Henricus Eques conceſſit. Literæ ipſæ non proſtant, ſed ſupereſt Charta, qua filii ejus, Henricus & Rudolphus, eandem conceſſionem confirmantes, indicant, eam viginti circiter annis ante factam eſſe, quam pater ſe regimine abdicaſſet. Abdicatio autem, uti infra patebit, circa An. 1290. facta eſt, adeoque traditio Advocatiæ in Heitersheim circa A. 1270. ponenda.

Arbiter electus.

Anno 1273. Rudolfus Habsb. & Heinricus Friburg. Comites inter ſe & Epiſcopum Baſil. judices compromiſſarios elegerunt Burggravium de Nurnberg & H. Marchionem de Hachberg. Chartam dedit URSTISIUS. (*o*)

Anno

(*n*) Des grünen Pſittichs. Factio contraria fuerat Nobilium de Stella.

(*o*) *Chron. Baſil.* Lib. II. pag. 133.

Anno 1276. Rudolphus Imp. *nobili viro H. Marcgravio de Hachberg* & Sculteto Briſacenſi commiſiſſe ſe ſcribit, ut litem inter Abbatiam Tennebac. atque fratres de Keppenbach ſuper quibusdam aquis & paſcuis dirimerent. Diploma XIII. Kal. Maji Hagenoæ perſcriptum.

§. X.

Brevi poſt, VIII. nempe Idus Julii, *Heinricus Marchio de Hahberg*, bonæ memoriæ Heinrici Marchionis, ut ipſe teſtatur, filius, Monaſterio Tennebacenſi ad Eccleſiæ majoris Conſtant. Capitulum literas commendatitias dedit, ut fructus eccleſiæ in Musbach, quam a patre ſuo dono acceperat, Monaſterium perciperet. In Caſtro *Hahberg* literæ hæ conſcriptæ fuerunt. Acta ab An. 1276.

In Rudolfi Rom. Regis privilegio Civitati Rhinfeldenſi II. Kal. Aug. An. 1276. Baſileæ dato, primus inter nobiles viros teſtis eſt *Heinricus Marchio de Hahperch.* (p)

Idem Henricus A. 1277. Olsbergenſi Monaſterio feminarum, Oelsberg haud procul Rhinfelda ſito, promiſit, ſe de bonis ejus, in villa Blanſingen ſitis, quorum jus Advocatiæ ad eum ſpectabat, ratione juris hujus nihil exacturum eſſe, præter *duo maltheros ſiguli &*

(p) Herrg. Geneal. Habsb. Tom. III. pag. 461.

unam pſoumam vini. Dedit hanc Chartam Henricus Rhinfeldæ, ad preces inclitæ Romanorum Reginæ Annæ, quæ eum in ipſa hac Charta *Avunculum* ſuum vocat, ſigillumque ſuum appendit. *(q)*

§. XI.

Acta ab An. 1278.

Anno 1278. Henricus noſter cum Epiſcopo Baſil. & Friderico, Burggravio Noribergenſi, equites 800. Rudolpho I. Rom. Regi adduxit; quum is ſecundam expeditionem contra Ottocarum, Bohemiæ Regem, Auguſto menſe ſuſciperet. Tum vero Aquilam Imperii geſſit Henricus, inter præcipuos belli dux, conſilio & manu fortis. *(r)*

Patruelem ejus Rudolfum, Badæ Marchionem, bello perſecutus eſt Cæſar. Cæſaris præcipuus propugnator fuit Henricus noſter, Marchio Hachbergæ.

Anno 1279. die S. Ceciliæ *Henricus Marcgravius nobilis Dominus de Hahperg* agros Dieterico Advocato de Landeck a ſubditis ſuis in Malterdingen locatos eſſe fatetur.

Anno 1281. Henricus Marchio de *Hahberg* in villis Eggenheim & Schalſingen fundos, quos civis quidam Neuenburgenſis in feudum tenuerat, Abbatiæ Blaſianæ dono dedit.

(q) Codex Dipl. De Inſtrumento hoc & nomine *Annæ* erudite commentatus eſt Ampliſſ. HERBSTERUS in *Carlsruher Samml.* pag. 81. ſq.

(r) ALBERT. ARGENT. pag. 102. FUGGER *Oeſterr. Ehrenſp.* Lib. I. Cap. XII. URSTIS. *Chron. Baſil.* pag. 138.

Anno 1282. Hermannus Marchio de Baden & Henricus Marchio de Hachberg literas inveſtituræ, quam Rudolfus I. Imp. filiis ſuis, Alberto & Rudolfo, ſuper Ducatum Auſtriæ dedit, Auguſtæ Vind. VI. Kal. Jan. teſtes cum aliis Imperii Statibus, ſignarunt. (s) Heinr. teſtis.

§. XII.

Idem Henricus II. Marchio teſtis fuit transactionis inter quatuor fratres Furſtenbergicos ſuper Villingam An. 1284. quo reditus curtis ſuæ in Wettelbrunn Tennebacenſibus donavit. Eodem anno Kunigunda atque Eliſabetha, Henrici filiæ, cum Monaſterium Adelhauſen (t) prope Friburgum ingreſſæ fuiſſent, decimas in Uchtingen prope Burckhemium ſuſtentationi earum pater deſtinavit, hac lege, ut ipſe & poſteri ſui decimas has centum marcis argenti redimere poſſent. Acta hæc ſunt Anno 1284. Friburgi die Mercurii poſt Dominicam Palmarum. Acta An. 1284. ſqq.

Anno 1285. *Henricus Marchio de Hahberg* conſenſu *Domine Anne uxoris* ſuæ legitimæ ac *filiorum* ſuorum, *Heinrici, Ruodolfi* & *Friderici, aliorumque omnium liberorum* ſuorum Abbatiæ Tennebac.

(s) Vid. *Recueil des pieces de la Deduction des droits de Baviere & la Reponſe de Vienne*, Tom. II. pag. 428.

(t) Monaſterium hoc cum aliis extra urbem deſtructum eſt ſeculo ſuperiore, cum Friburgum poſt pacem Neomag. muniretur à Gallis.

Digitized by Google

reditus V. marcarum in Malterdingen donavit. Chartæ huic, apud *Hahberg* datæ, appenſa ſunt ſigilla *Heinrici Margravii* de *Hahberg*, *Anne Margravie*, *Heinr. March. Junioris de Hahberg.*

Anno 1286. vigilia S. Laur. Heinricus Margravius de Hahberg monaſterio Adelhuſen, ubi filiæ ejus, ut jam dixi, vivebant, cenſum donavit, quem ex curia ejus in Grisheim Brunwartus de Oughein, Miles, in feudum tenuerat. Teſtes Joh. Dom. de Schwarzenberg, Heinricus, Margravii filius natu major. &c.

Anno 1289. Rudolphus Rom. Rex Comitem Eginonem de Friburg & Cives Friburg. inter ſe bellantes, ad concordiam reduxit; adhibito conſilio Argentinenſis atque Baſilienſis Epiſcoporum, & *Henrici Dei gratia Margravii de Hahberg, Landgravii Brisgoviæ.* Data eſt Charta Baſileæ, feſto S. Matthæi. (*u*) Appendet ei ſigillum *Henrici Margravii de Hahberg*, in quo Henricus ſiſtitur equo inſidens, galea, thorace, clypeo, haſtaque inſtructus.

§. XIII.

Fit Eques ordinis Teuton.

Poſtrema hæc occurrit Henrici II. mentio. Brevi enim poſt regimini valedicens, Ordinem Fratrum de Domo Teutonica

(*u*) Verba ſunt: mit Hülf des edilne Herrin von Gottes Gnaden, Margravin Heinrichs von *Hahperg*, der Landrihter iſt in Brisgöwe. Piſtorius eum Landherr in Breisgau vocari contendit, ſed errat.

ingreſſus eſt. Teſtantur id Literæ, Ordini S. Johannis Hieroſolymitani a filiis ejus An. 1297. datæ, quibus illi patrem hereditatem ſuam ſibi reliquiſſe, & religionem Equitum Teutonicorum intraſſe profitentur. Quin & ipſe pater Chartæ filiorum teſtis ſubſcripſit: *Preſentibus fratre Henrico de Hachberg patre noſtro predicto nunc de Ordine fratrum de Domo Teutonica.* Inſigni ergo favore Sacros Ordines Equeſtres complexus eſt Henricus. Poſtquam enim ante annos XX. Hoſpitalariis Fratribus S. Johannis juriſdictionem & Advocatiam in Heitersheim dediſſet, ipſe denique inter Fratres Teutonicos ſuum profeſſus eſt nomen.

Anno 1289. inter ſocios Friderici, Ducis Lotharingiæ, Margravius de *Hahperch*, ſed ſine nomine, legitur. (*q*) At in Charta anni ſequentis, qua fœdus renovatur, ab initio ſtatim occurrit *Henricus Marchio de Hacbourg.* (*xx*)

Obiiſſe videtur paulo poſt An. 1297. (*y*) appellatus a poſteris *Eques.*

§. XIV.

Piſtorius uxorem ei aſſignat Annam de Altzena. Filios progenuit Henricum & Rudolſum, paternorum bonorum heredes; Uxor & liberi.

(*x*) Apud CALMET *Hiſt. de Lorraine*, Probat. Tom. II. col. 530.

(*xx*) Ibid. col. 533.

(*y*) DROLLINGER in *Lex. Baſil.* in voce *Hachberg* annum mortis 1321. aſſignat, filium cum patre confundens.

ut & Hermannum, qui Ordinis Equeſtris S. Johannis per Alemanniam Prior per tres annos fuit, ut Piſtorius quidem exiſtimat. Is in Charta ſui ex fratre nepotis Anno 1318. adhuc teſtis occurrit. Obiit II. Idus Aprilis An. 1321. Friburgi in Brisgovia, in Eccleſia S. Johannis, quæ ſeculo ſuperiore, cum urbs muniretur, deſtructa eſt, ſepultus, ubi & epitaphium ejus olim legebatur: „ Anno Domini 1321. 2. idus Aprilis obiit frater Hermannus de „ Hachberg, Prior Alemanniæ ſuperioris." (z)

Tres præterea filias Henricus II. reliquit; Agnetem, uxorem Waltheri a Richenberg; (a) Kunigundam & Eliſabetham Sanctimoniales, de quibus jam actum.

(z) FOERSTER Cap. III.

(a) Hanc nobis indicat Charta An. 1309. Archivi Bada-Durl.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT II.

MARCHIONES HACHBERGA-HACHBERGICI.

HENRICUS III.

Ab Anno 1290. usque ad Annum 1330.

§. I.

Henricus III. cum fratre ſuo Rudolpho ante A. 1300. conjunctim, poſtea diviſim occurrit; unde eos terras Hachbergicas indiviſas aliquamdiu rexiſſe nulli dubitamus. Acta cum fratre.

A. 1293. Inſtrumentum Pacis, quam Egeno & Cuno, Comites de Friburg, cum urbe Friburgo iniverunt, (*a*) ſubſcriptione ſua ambo firmarunt.

A. 1297. Marchiones hi confirmant donationem banni & Advocatiæ in Heitersheim, quam pater eorum Fratribus Hoſpitalariis conceſſerat; „ dantes eis hanc Advocatiam, & „ jurisdictionem in ſpeciale beneficium & feudum; remittentes „ inſuper in perpetuum juramenta homagii, & pro univerſis

(*a*) *Chron. Friburg.* quod Schilterus *Kœnigshovio* ſubjecit, pag. 28.

Digitized by Google

„ ratione feudi debitis volentes eſſe contenti rationibus dictorum „ Fratrum. „ Eodem anno iidem Marchiones reditus & jura univerſa, quæ Henricus, Mangoldus & Wolfradus, fratres, nec non Wolfradus junior, Comites de Veringen, in vico Malterdingen habuerant, pro LX. marcis argenti emerunt Rüdlingæ feria III. ante S. Walpurgis.

An. 1300. die Sat. ante purificat. B. Virg. Heinricus & Rudolfus, fratres Margravii de Hachberg, ſigillo ſuo iterum muniverunt literas, quibus Egeno & Conradus, Comites Friburgi, cum civitate hujus nominis in gratiam redierunt.

Iidem Margravii menſe Novembri litem inter ſe & Abbatiam Tennebacenſem, ob decurſum aquæ in Mundingen, per quatuor arbitros. teſtibus ipſorum literis, in Emütingen datis, terminari curarunt.

§. II.

Duæ March. Hachb. Lineæ.

Seculi XIV. initio pater horum Marchionum Henricus II. Eques obiiſſe videtur. Tum vero nova exoritur Marchicæ Hiſtoriæ Epocha; qua Hachbergæ Marchiones in Hachbergo-Hachbergicam & Hachbergo-Sauſenbergicam Lineas ſubdividi cœperunt. Priorem Henricus III. poſteriorem frater ejus, Rudolphus condiderunt. Utraque a principe Caſtro, Hachberga & Sauſenberga, ſuum nomen accepit. Hachbergica, quæ ſenior Linea

Linea in Heinrici pronepote Ottone II. exaruit, qui anno 1418. mortuus terras ſuas Bernhardo, Marchioni Badenſi, triennio ante vendiderat. Sauſenbergica in Rudolphi atnepote Philippo A. 1503. marceſcens, ſuas quoque opes, Roetela & Badevilla auctas, ad Chriſtophorum, Badenſem Marchionem, transmiſit.

§. III.

Anno 1305. Henricus Hachbergenſis ſolus Rudolpho, Equiti Friburgenſi, qui dictus *Der Turner*, & Johanni fratri ejus, Judicium in Tenzelingen in feudum dedit. Sigillo adjecto inſcripta ſunt verba : *S. H. junioris Margravii de Hachberg.* In vigilia D. Andreæ ejusdem anni Henricus Marchio fratri ſuo Rudolfo partem ſuam Caſtri *Spanegge* tradidit, ea lege, ut mortuo Spenlini filio feudum illud utrique ſit commune. Henrici Acta An. 1305. & ſ.

Anno 1306. judicium feudale cum pluribus Dynaſtis & Militibus Burghemii celebravit Henricus, quo Caſtrum Spanegke ad Rhenum, cujus dominium directum hactenus fuerat inter duos Marchiones commune, Johanni de Spanegge, Spenlini filio, feloniæ reo, ſententia ſolenni adimitur, & Rudolpho, fratri Marchionis, tanquam apertum adjudicatur. Eodem anno, die Ven. ante S. Andr. Marchio Henricus fidejuſſorem Wernheri de Stauffen Conrado Comiti Friburg. ſe obtulit.

Digitized by Google

Anno 1307, Vicum Heimbach, qui communem cum vicis Malterdingen, Koendringen & Mundingen ſilvam habet, Conrado Haffnero Friburgenſi pro 50. marcis argenti vendidit cum conſenſu Hugonis de Yſenberg. (*b*) Vendidit quoque A. 1310. Tennebacenſibus nonnulla bona, quæ in Glashauſen ſita fuerunt. (*c*) Eodem anno cum Conrado, Comite Friburgenſi, bona Abbatiæ Andlavienſis, quæ ipſe emerat, ita diviſit Marchio, ut ipſe officium ſculteti in Sexau & vectigal in Endingen, Conradus vero officium ſculteti & cenſus in Baldingen acciperet.

§. IV.

Acta An. 1311.&ſqq. Anno 1311. Johanni Wolferamo de Hachberg omnes homines liberos in Gutenrode, Musbach, Schœnabrunnen, Bretten, Richenbach, Norbrechtesberge, & Büttenkroph uſque ad veterem Keppenbach pro 185. libris Brisgovienſibus, reſervata reluendi poteſtate, in feudum pignoratitium dedit; præſentibus Egone Comite Furſtenbergio & Conrado Comite Friburgi, Johanne de Schwarzenberg, multisque aliis Nobilibus; die Jovis poſt Valentini feſtum.

Anno 1313. in vigilia SS. Petri & Pauli Burcardus de Keppenbach, ab Henrico Marchione captus, cum fratribus ſuis,

(*b*) FOERSTER. Cap. IV.
(*c*) Idem loc. alleg.

Digitized by Google

Rudolfo & Dieterico, perpetuam pacem eidem Marchioni adjurat, idque datis fidejuſſoribus, Gebhardo, Comite Friburg. Præpoſito Argent. Conrado Comite, fratre ejus, & Domicello Friderico de Hornberg, confirmat.

Anno 1314. die Merc. poſt S. Urbani Conradus, Comes Friburg. Marchioni Henrico officium ſculteti ceteraque bona in Baldingen reddit, quæ ab eo acceperatis.

Anno 1316. filius Marchionis noſtri jam uxorem duxerat Annam Uſenbergiam, & cum ſocero ſuo Burcardo de Uſenberg pactum de terris quibusdam oppigneratis iniit. (*d*)

Anno 1317. Johannes de Endingen, ejusque filius Rüdigerus, Equites de Nuwenburg, reditus annuos IV. marcarum argenti, quos Henricus junior Marchio de Hachberg (*e*) ipſis in feudum dederat, pro XL. marcis argenti libræ Neuenburgenſis, ei aut heredibus ejus repoſcentibus ſe retrovendituros eſſe promiſerunt.

§. V.

Anno 1324. die Martii ante S. Valentini Heinricus, Margravius de Hahberg, ejusque filii Heinricus atque Hermannus, Acta ab An. 1324.

(*d*) Vide infra Uſenbergios Dynaſtas.

(*e*) Sine dubio Henricus IV. filius Henrici III. tum adhuc viventis, intelligitur.

Digitized by Google

conſilio Hugonis & Burchardi, Dynaſtarum de Uſenberg, cognatorum ſuorum, cum Abbatia Tennebacenſi in gratiam redunt; juribusque ſuis, ſi quæ habuerint, in bona, Abbatiæ huic in Malterdingen vendita, perpetuo valedicunt; poſteriſque ſuis eandem Abbatiam diligenter commendant. Eodem anno Marchio Henricus de Hahberg, ejusque filius cognominis emtionem confirmant, qua Abbas Tennebacenſis homines & bona in valle Reichenbach prope Keppenbach a Walthero de Valckenſtein comparaverat. Chartæ huic ſigilla *H. Margravii de Hahberg* & *Henr. J. Margravii de Hahberg* appenſa ſunt. Iidem Marchiones eodem anno cum Conrado Dieterico Snewelino, Milite, atque Ottomanno de Keyſersberg, Snewelini genero, ſuper Caſtrum Schnefelden tranſegerunt, ut prædicti Equites ex Caſtro ſuo nullum damnum Marchionibus inferant; neve in vitis Marchionibus quenquam in illud recipiant; a monachis in Selſa & Tennebach homines emant; Caſtrum denique vendant aut mutent. Literæ datæ ſunt Friburgi die Jovis ante S. Auguſtini An. 1324.

§. VI.

Mors. Obiit Henricus III. circa Annum 1330.

Uxor ejus. Nupſerat ei Agnes, Ulrici, Comitis de Hohenberg filia, quæ Anno 1310. jam fatis conceſſit, ſepulta Tennebaci ante ſummum altare, ubi hodie ſequens ejus in lapide legitur elogium:

Digitized by Google

Anno Domini MCCCX. V. Id. April. obiit nobilis Domina Agnes Marchioniſſa de Hahberg, filia Domini Ul. quondam Comitis de Hohenberg.

Mater fuit trium filiorum, Henrici, Rudolfi & Hermanni; quorum primus patri ſucceſſit; reliqui duo Ordini S. Johannis Hieroſ. adſcripti ſunt. Rudolphus quidem Commendator Ordinis in Friburg primo, (*f*) dein in Hohenrain Anno 1343. obiit, in S. Joh. æde Friburgi ſepultus. Inſcriptio ſepulcralis hæc fuit: *An. Domini MCCCXLIII. XVII. Cal. Junii obiit frater Rudolfus, Marchio de Hachberg, quondam Commendator in Hohenrain.* (*g*) Filii tres.

Hermannus, ejusdem Ordinis Magiſter per Germaniam Superiorem, An. 1318. Chartæ patruelis ſui Henrici ſubſcripſit.

Anno 1347. frater Hermannus Commendator, Margravius de Hachberg, & Conventus Domus Friburgi Brisgoviæ Ord. S. Johannis Abbatiæ Tennebacenſi bona quædam vendiderunt. Munita Charta ſigillo *Herimanni Marchionis de Hahberg' & Commendatoris.* Sed & Monaſterio Sulzbergenſi curia dicta *Alzenach* in Gundlingen pro 380. marcis argenti eodem anno vendita eſt.

(*f*) *Bruder Rudolf von Hahberg, Bruder des Ordens S. Johannes Spitals von Jheruſalem des Huſes zu Friburg in Brisgöwe* An. 1325.

(*g*) Errat Pistorius, qui hunc Rudolphum Rudolphi Sauſenbergici filium, adeoque Henrici III. ex fratre nepotem fuiſſe eredit. Rudolfus enim ille, Sauſenbergici filius, uxorem & liberos habuit, uti infra patebit.

Digitized by Google

Obiit Anno 1357. Friburgi ſepultus, ubi hoc ejus elogium: „ Anno MCCCLVII. VII. Cal. Maji obiit frater Hermannus de „ Hachberg ſacerdos quondam locum tenens & Magiſter Conventus „ Rhodii in partibus Alemanniæ. (*h*)

HENRICUS IV.

§ VII.

Acta ab An. 1330. Anno 1330. die Martis poſt Paſchatis feſtum Charta Tennebacenſis Heinrici junioris, Margravii Hachbergici, ſigillo munita eſt.

Anno 1331. Conrado Dieterico Schnevelin permiſit Henricus, ut bona quædam, prope calcariam Emmedingenſem ſita, Caſtro Schnefelden emtione adjungeret, id quod ſine conſenſu Marchionis facere non licuiſſet. Duodecim poſt annis eidem molendinum prope Caſtrum Weyer ædificare permiſit ea lege, ne in alios quam domeſticos Schnevelini uſus adhiberetur, jusque piſcationis penes Marchionem ſolum maneret.

Anno 1337. Margravius Heinricus Dom. in Hahberg venditionem, Abbatiæ Tennebacenſi ab hominibus in Baldingen factam, confirmavit.

(*h*) Non ergo locum tenens modo Magiſtri, ut Piſtorius ſcribit: ſed ipſe Magiſter Ordinis fuit. Epitaphia, quæ produxi, deſtructa ſunt, quum Domus Johannitarum deſtrueretur, Friburgo a Gallis munito.

Digitized by Google

Anno 1339. die Lunæ ante S. Galli Adelheidis de Gerolzeck, Abbatiſſa Andlaviæ Marchioni Heinrico, Domino de Hachberg, ejusve heredibus feudum, ultra 20. marcas valens, quod primum ad ſe rediturum ſit, promiſit.

§. VIII.

Anno 1340. die 17. Maji Bertoldus Epiſc. Argent. Marchionem Heinricum & Uſenbergios cum urbe Briſac. quæ ſubditos quosdam Uſenbergicos in civitatem ſuam receperat, reconciliavit. Acta ab An. 1440.

Die Ven. poſt S. Ulrici Conſul & Senatus Friburgenſis litem inter Marchionem Heinricum & Milites a Keppenbach deciderunt, ita quidem, ut Marchio Judicia Provincialia ad vetus Keppenbacum ſub tilia in cauſis quoque, ad ſubditos Johannis & Ulrici de Keppenbach minime ſpectantibus, poſſet habere. Sexennio poſt inter Heinricum Marchionem atque Waltherum & Dietericum de Keppenbach ejusdem Senatus Friburg. ſtudio pax inita eſt.

Anno 1343. cum urbe Briſacenſi, quæ homines proprios, ex vicis Marchionis, ad montem *Keyſerſtul* ſitis, in eam ſugientes, ſuſceperat in cives, in gratiam rediit.

Anno 1344. die B. Urbani Adelheidis Abbatiſſa & Conventus Andlaviæ Heinrico Marchioni curias ſuas, in valle

Sexowe & in villa *Otenswande* ſitas, cum univerſis bonis, juribus & hominibus earum, excepto jure patronatus, pro 200. marcis argenti vendiderunt. Literæ hæ Bertoldi Epiſc. Argent. ſigillo firmatæ ſunt.

§. IX.

Acta ab An. 1352. Anno 1352. cum Moeskirchenſibus bellum, breviter duraturum, inivit. Eodem anno, die Ven. poſt S. Urbani, ab affine ſuo, Friderico de Uſenberg, Dynaſtiam inferiorem Uſenberg. ut *Kenzingen* oppidum, *Kürenberg* Caſtrum, *Bleicham* & *Herbolzheim* vicos, Advocatiam in *Minnenwiler*, Caſtrum & vicum *Wiswil*, jus patronatus in Bergheim & Cappelle, bannum ſilveſtre in Sulzberg, in feudum accepit. Adiit etiam horum bonorum poſſeſſionem Marchio, Kentzingæ & Kurnbergæ ſedem figens; quin & in Chartis ſe Dynaſtam in Kentzingen appellans. Tum vero decimas eccleſiæ Cappellenſis filio ſuo Heſſoni reliquit.

Anno 1354. bellum cum Rheinfelda & Villinga geſſit, quod Rudolpho Auſtriaco conciliante compoſitum eſt. Graves etiam ei fuere lites cum Militibus de Keppenbach, ob Præfecturam Liberam (*i*) & judicia ejus. In bello, quod inde natum eſt, Keppen-

(*i*) *Freye Amt, Leute und Gerichte darinnen.*

Keppenbachios captivos Hachbergam duxit Marchio, eosque nonniſi intercedente Friburgenſi Civitate dimiſit.

Anno 1356. Fridericus, Comes Friburgenſis, Eginonis frater, Henrico noſtro banni ſilveſtris in Briſgovia partem, quam ipſe ab Epiſcopo Baſilienſi in feudum tenebat, tradidit. Eginone autem apud Epiſcopum hac ſuper re querelas movente, judicium feudale habitum An. 1357. cui etiam Otto, Marchio de Rœteln, Henrici noſtri patruelis, interfuit. (k) Marchioni abjudicatus eſt bannus. Eodem anno, menſe Martio, Kenzingæ judicatum inter Henricum March. & Hugonem Comitem de Furſtenberg, quorum priori duo molendina in Bleicha addicta ſunt.

Anno 1358. idem Marchio Dynaſtiam Kenzingen & Kürnberg judicio feudali, in campo Seckingenſi die Veneris ante S. Agnetis habito, accuſante Rudolpho, Auſtriæ Duce, amiſit. Nihilominus *Marggravium de Hachberg & Dominum de Kentzingen* ſe appellare perrexit; teſte Charta Tennebacenſi An. 1360. cui rogatus ſigillum ſuum appendit.

(k) Viciſſim Henricus noſter anno præcedente 1356. traditioni bonorum quorundam, Ordini S. Johannis ab Ottone Marchione factæ, interfuerat. Vid. infra in Saufenbergicis.

Anno 1363. villam *Witersbach*, quam civis quidam Villingenſis in feudum ab ipſo tenebat, cum bono cenſitico in Tenningen permutavit.

§. X.

Mors. Obiit Henricus IV. circa An. 1369.

Uxor & filii. Uxor ejus Anna, Burcardi de Uſenberg filia, tres ei filios peperit, Ottonem, Johannem & Heſſonem, quos jam An. 1368. adultæ ætatis fuiſſe, inde concludimus, quod eo anno cum patre Monaſterio Ettenheimenſi advocatiam vici *Minnewilre*, ſalvo reluitionis jure, pro 150. libris denar. Argent. vendiderint.

PISTORIUS filiam addit Cunigundam, uxorem Baronis a Gliers, (*l*) de qua Alſatiæ Gente alibi (*ll*) egimus.

O T T O I.

§. XI.

Acta vivo patre. Tria quotannis judicia in Baldingen Otto, vivo patre, habere ſolebat, quibus cives Friburgenſes, in vico iſto habitantes, cum reliquis incolis pariter obnoxios ipſa hæc Civitas An. 1364. judicavit.

(*l*) In *Tabula Genealogica* MANLII *Chronico Conſtant.* adjecta.

(*ll*) *Alſatiæ Illuſtr.* Tom. II. pag. 687.

Digitized by Google

Eodem tempore bellum Friburgenſibus grave intulit Comes eorum Egino, ejusque fœderati, Dynaſtæ de Uſenberg, Gerolzeck, Schwarzenberg & Staufen &c. quibus & Otto de Hachberg acceſſit.

Frequens tum Germaniæ Procerum fuit querela, quod proprii eorum homines a Civitatibus vicinis reciperentur in cives. Eadem contra Friburgenſes Nobilium querimonia. Pax denique coaluit Anno 1368. die Palmarum, qua ſuam a Comitibus Friburgenſibus libertatem 1500. marcis argenti redemit Friburgum. Werrenſis Nigræ Silvæ Dynaſtia, ſupra Beuckam ſita, tum temporis per breve ſpatium oppignerata fuit Ottoni noſtro Marchioni. (m)

§. XII.

Carolus IV. Imperator An. 1372. Ottoni & Heſſoni fratribus Advocatiam Monaſterii Tennebach contulit, ut ipſius Cæſaris ad monaſterium hoc literæ teſtantur. Eodem anno Margravius Otto Dom. de Hachberg ſigillum ſuum Chartæ Tennebacenſi appendit. Acta mortuo patre.

Anno 1373. Otto Marchio Burcardo de Kürneg decimas in Neuenburg in feudum maſculinum dedit.

(m) Urstis. *Chron. Baſil.* Lib. I. Cap. XXI.

Digitized by Google

Anno 1380. die 22. Febr. Anna, dicta Burggravia, Ulrici de Keppenbach, Armigeri, vidua, Ottoni Marchioni omne jus ſibi competens, ſeu a marito quondam ſuo acceptum, & quovis deinceps modo accipiendum, donatione inter vivos tradidit.

Anno 1385. die Saturni poſt Urbani a Wilhelmo Turriano,(n) Heſſonis Schellini genero, bonum cenſiticum in *Winterreutin* Scaphuſii emit. Anno eodem bellum, quod ipſi & fratri cum Friderico, Argentinenſi Epiſcopo, fuerat, intercedentibus Leopoldo Auſtriaco, & Eberhardo Wirtenbergico, ita compoſitum, ut Epiſcopus utrique Marchioni 1200. florenos ſolveret, Marchiones autem eo anno cum Caſtro Hoehingen in Epiſcopi miniſterio eſſent. Actum Friburgi dominica poſt Judica.

§. XIII.

Mors Ottonis.

Otto noſter denique Anno 1386. in proelio Sempacenſi pro Leopoldo Auſtriæ Duce, dimicans, cum ipſo & ingenti Nobilium numero periit. (o) Sepultus eſt Tennebaci ante ſummum altare, ubi hodieque legitur hæc ſepulcralis Inſcriptio: „A. MCCCLXXXVI. „ VII. Id. Julii obiit Nobilis Dominus Otto, Marchio de Hachberg. „

(n) *Im Thurn.*

(o) KOENIGSHOV. *Chron. Alſat.* pag. 344. TSCHUDI *Chron. Helvet.* Tom. I. pag. 526. ſq.

Digitized by Google

Uxorem ei aſſignat PISTORIUS ſororem Maltreri, opulenti Baronis, ex qua filiam Emiliam, uxorem Joh. de Ruchen, Equitis, ſuſceperit. GAMANSIUS uxorem non nominat; at liberos tres ei aſſignat; ex quibus duo mares; quorum in Charta An. 1366. fit mentio; & filia Emelina, quæ Johannem de Couci, Equitem auratum, acceperit maritum. Quodſi filios habuit, ante patrem illos obiiſſe neceſſe eſt, cum duo fratres in Marchionatu ei ſucceſſerint. Uxor & liberi.

JOHANNES.

§. XIV.

Johannes, Advocatus in Endingen Anno 1361. ut PISTORIUS (*p*) quidem tradit, Abbatiæ Tennebacenſi curiam ſuam Friburgi Brisgoviæ per concambium tradidit Anno 1385. accedente fratrum Ottonis & Heſſonis, Marggraviorum de Hachberg, conſenſu. Johannis March. Acta.

Occiſo Ottone Johannes & Heſſo fratres Caſtrum Hachberg & reliqua ejus bona inter ſe ita diviſerunt; ut poſteriorem Caſtri partem Johannes, anteriorem Heſſo ſortirentur, addita lege, ne

Zz 3

(*p*) Piſtorius tamen Johannem hunc confudiſſe videtur cum Johanne de Endingen, de quo ſupra ad An. 1317. & in Charta pro 1316. legiſſe 1361.

Digitized by Google

pars ulla, donec masculi ex alterutro fratre deſcendentes ſuperfuerint, tranſiret ad feminas. Factum hoc ante Nativit. B. Virg. 1386. Tum quoque Fridericus de Blanckenheim, Argent. Epiſcopus, vicum Herbolzheim, ad Bleicham, Brisgoviæ & Ortenaviæ limitem, in Marca Ettenheimenſi ſitum, fratribus his abſtulit. Pauci, teſte WIMPHELINGIO, (q) tum laici, tum ſacerdotes, e vivis exceſſerant, ad quorum bona manus ſuas rapaces Epiſcopus hic non extenderit

Anno 1394. decimas in Büſesheim, Alſatiæ ſuperioris vico, Hamanno Schultheiſſio, civi Briſacenſi, una cum Paulo Morſero, Armigero, Johannes vendidit. Poſt hæc rara Johannis in Chartis mentio. Vixit in cœlibatu, ultra An. 1408. ſuperſtes, quo literas advocati in Baldingen ſigillo ſuo munivit.

HESSO.

§. XV.

Acta vivo fratre Ottone.

Marggravius Heſſo de Hachberg An. 1376. ſigillo ſuo Chartam Tennebacenſem munivit. Liberorum Heſſonis de Uſenberg tutor fuit, ut in Uſenbergicis docetur.

An. 1382. Eberhardo & Werlino, civibus Briſacenſibus, vicum *Achtkarren*, ſub Höhingen ſitum, reſervato ſibi reluitionis jure, vendidit,

(q) In *Catalogo Epiſcopor. Argent.* pag. 98.

Digitized by Google

A. 1384. Marggravius Heſſo de Hahberg, Dom. in Hœhingen, conſenſu fratrum ſuorum, Ottonis & Johannis, feudum Dynaſtiæ Uſenbergicæ, quam Hachbergici tum poſſidebant, Johanni Druchſeſſio contulit. Anno ſequenti Leopoldus, Dux Auſtriæ, inter Fridericum, Epiſcopum Argent. & Heſſonem Marchionem, pacem conciliavit Friburgi, hac lege, ut Heſſo Epiſcopum, contra quemvis, exceptis tantum Dominis ejus directis, ex Caſtro Hœhingen per tres annos juvet, & 400 florenos quotannis ab Epiſcopo viciſſim accipiat.

§. XVI.

An. 1387. Marchio Heſſo de Hachberg, Dominus in Hœhingen, fratribus S. Pauli Eremitæ Ord. S. Auguſtini in Nimburg (r) cœnobium S. Petri in monte *Keyſerſtul* ſuaque Dynaſtia Hœhingen ſitum, ut & eccleſiam & jus patronatus in Vogtsberg tradidit, eosdemque fratres in tutelam ſuam recepit ac protectionem, ea lege, ut alium Advocatum, aut in ulla Imperii urbe jus Civitatis ſi unquam acceperint, beneficio hujus donationis exciderent. Acta poſt fratris mortem.

(r) Monaſterium hoc Eremitarum S. Auguſtini olim fuerat in *Obernimburg*, leuca diſtans Emmedinga; deinceps deſtructum. Locus hodie in manibus Marchionis Bada-Durlacenſis, ut poſſeſſoris Hachbergæ. Briſaci circa A. 1270. aliud Monaſt. Eremitarum S. Auguſtini conditum eſt.

Digitized by Google

An. 1388. die Martis poſt Purificat. Mariæ Marchio Heſſo de Hachberg & Comes Walraf de Thierſtein ab Epiſcopo Baſilienſi Immerio feuda, quæ Uſenbergii tenuerant, his exſtinctis accepere. Eodem anno Sulzbergam ab Ottone de Staufen 500. marcis argenti Heſſo vel emit vel reluit, atque a Monaſterio Virginum Benedictini inſtituti, quod ibidem ſub invocatione S. Cyriaci viguit, Advocatus eligitur, quod datis ei literis protectionis ipſe teſtatur.

An. 1390. die Sabbati poſt Crucis inventionem Heſſo filium ſuum Henricum, adhuc puerum, Margarethæ, quam Anna, Comitiſſa de Nellenburg & nata de Tierſtein, ex priore ſuo marito, Martino Malterero, ſuſceperat, deſpondit. (s) Eodem anno vallem *Brechtal* a Johanne Jun. Comite de Habsburg. Lauffenburgicæ lineæ, in feudum ſe tenere profeſſus eſt. (t)

An. 1392. die Lunæ poſt S. Otmari Wernherus de Hornberg, Miles, & uxor ejus, Anna de Uſenberg, partem ſuam Caſtri & Dynaſtiæ Höhingen pro 5000. florenis, ut & Caſtrum Triberg pro 3000. aureis Briſaci vendiderunt Heſſoni, qui anno ſequenti venditoribus his vicum Brockingen ad dies vitæ conceſſit; futurus Annæ Uſenbergicæ heres.

An. 1395. vicum Eiſtatt cum jure patronatus ejus a Conrado, Comite Friburgenſi, ſuſcepit in feudum.

§. XVII.

(s) FOERSTERUS.

(t) Charta ap. HERRG. Cod. Dipl. num. 883.

§. XVII.

Interceſſit tum inter Heſſonem March. & Johannem Meinwartum, Militem, gravis diſcordia, quæ ut terminaretur, res ad arbitros delata eſt, quibus Engelhardus Winſpergius, Advocatus provincialis Auſtriacus, præfedit. Hic pridie S. Martini Briſaci pronuntiavit ſententiam, qua Heſſoni jus vicum Biſchoffingen ex Mainwarti manibus redimendi negatum, ſolique Annæ Uſenbergicæ, Wernheri de Hornberg uxori, tributum. Marchio damna, Meinwarto ejusque hominibus in Schallingen illata, ducentis & viginti aureis Rhen. reſarcire juſſus eſt. Lites variæ deciſæ.

A. 1399. Eberhardus Wirtenberg. Comes litem inter Heſſonem March. de Hachberg, Caſparum de Clingenberg, ejusque uxorem Margaretham Malteriam Heſſonis filio Heinrico, uti diximus, antea deſponſatam, compoſuit his legibus:

I. Marchio conjugibus his vicum Eiſtatt, partem Caſtri Haideburg curiasque Friburgi reddito;

II. Jus reluendi vicum Eiſtatt ſervato;

III. Curias *Braiteberg* conjuges a Marchione, ſi dominium ſuum directum probaverit, in feudum accipiunto.

IV. Marchio Johanni Ramſteinio de cuſtodia Caſtri Haideburg a filii ſui Henrici morte ſatisfacito.

V. Inſtrumenta bellica, quæ ante captum a Marchione Caſtrum Haideburgi erant, ibidem manento.

VI. Conjugum jus pignoratitium in vico Brockingen antiquatum eſto &c. Datum Stutgardiæ die S. Joh. Evangeliſtæ.

§. XVIII.

Reliqua Heſſonis Acta.

Anno 1400. Anna de Uſenberg, Duci Reinoldo de Urslingen tum nupta, Marchionem Caſtri Triberg omniumque bonorum ſuorum, coram judicio aulico Rotwilenſi, heredem inſtituit.

Anno 1401. Marchio Heſſo aliquot metallifodinas in Sulzberg elocavit, decimasque in Biſchoffingen, a Dieterico de Keppenbach, Ord. Johannitici Equite, ſibi comparavit.

Anno 1403. & 1404. litem cum Johanne de Lichtenberg coram judicio Rotwilenſi conteſtatus eſt, victorque in poſſeſſionem bonorum Lichtenbergicorum in Ingweiler, Sponeck, Busweiler & Weisweiler immiſſus eſt.

Anno 1404. die Lunæ poſt S. Jacobi Civitas Briſacenſis contra Heſſonem Marchionem pronuntiavit ſententiam, qua Hanemanno Snewelino de Landeck, Militi, jurisdictio vindicatur areæ, cui Landeck olim impoſitum fuerat.

Eodem anno, Marchione accuſante, Vicedominus in Hohenſtein, & de Haslach in Bruscana Alſatiæ Valle, a judicio Rotvilano proſcripti ſunt. Tum quoque Heſſo Marchio Hachbergæ

& Turingus de Ramſtein litem propter Heimersdorff, Sundgoviæ vicum, cum Ludovico de Gliers, Frobergæ Domino, compoſuerunt.

Anno 1405. filiam ſuam Margaretham Friderico Comiti Leining. cum dote 1600. aureorum, pro quibus vicus Üringen pignori datus eſt, in matrimonium collocavit, quæ mater Friderici Heſſonis & Friderici minoris a Leiningen facta, filiis his ſuis occaſionem præbuit, ut jura quædam in Marchionatum Hachbergenſem ſibi vindicarent. Eodem anno 1405. die Sat. poſt S. Mart. Rupertus Rex Rom. bellum, inter Marchionem Heſſonem, & Ludovicum, Dynaſtam Lichtenb. de Caſtro & vico Weiſsweiler geſtum, compoſiturus, æquum utrique jus Heidelbergæ addixit. Biennio poſt Lichtenbergenſis partem ſuam Egenolfo & Johanni de Rathſamhauſen fratribus, conſenſu Marchionis, vendidit.

Anno 1407. Heſſo jus patronatus in Cappel, feudum Eccleſiæ Argent. Wilhelmo Epiſcopo reſutavit; accepto viciſſim jure patronatus in Nimburg. Eodem anno idem Heſſo Hamanno Snewelino, Militi, vicum Mundingen cum omnibus ejus juribus pro 500. aureis in feudum contulit, hoc pacto, ut poſt 10. annos redimi poſſit. Heſſo, tum temporis a Rep. Argent. in civem receptus, Senatui porrectis digitis jusjurandum præſtitit. (u)

Aaa 2

(u) Wencker *Collect. Jur. publ.* pag. 17.

§. XIX.

Heſſonis mors. Anno 1410. Marchio Heſſo ex vivis exceſſit, ultra 60. annos natus.

Uxores. Bis nuptias celebraverat. Primas cum Agnete, Henrici de Gerolzeck filia; ſecundas cum Margaretha, filia Conradi, Comitis Palatini de Tübingen, Herrenbergæ arcis herede.

Filia. Ex hac genüit Margaretham, Friderico Comiti de Leiningen nuptam; (*x*) ex illa tres filios ſuſcepit.

Filii. Filii fuere Henricus, Otto & Heſſo, quorum primus Margarethæ Malteriæ, de qua ſupra, deſponſatus quidem fuit, ſed ante nuptias obiiſſe videtur. Inter mortuos jam collocatur anno 1399. in Literis, quibus Eberhardus Wirtenbergæ Comes patrem ejus cumCaſparo deClingenberg hujusque uxore, ut ſupra vidimus, reconciliavit. Ottonem & Heſſonem fratres, Marchiones de Hachberg, cum ipſorum patre Charta An. 1406. prodit, qua reditus XXXIV. floren. Gözoni Liebermanno, Militi, adſcripſerunt, dederuntque fidejuſſores Hermannum, Com. Sulzenſem, Ducem Reinoldum de Urſelingen, Burcardum de Stauffen, Dietericum Snewelin, Hamannum Snewelin de Landeck, Milites, Jo.

(*x*) Pistorius Heſſoni aliam inſuper filiam tribuit, Agnetem, Friderici Ortenburgici Comitis uxorem.

Digitized by Google

Zumwiger & Dietericum Kotzen, Armigeros. Poſt hæc ſolus cum patre in Chartis comparet Otto, unicus patrimonii totius Hachbergici heres.

O T T O II.

§. XX.

Anno 1410. die Sat. ante S. Margar. Otto hic Marchio affini ſuo Friderico Leining. atque ſorori ſuæ Margarethæ, dotis a matre promiſſæ loco, vicum Üringen tradidit. Die Merc. poſt S. Laur. vicos Schaffhuſen & Betzingen Paulo Morſero, ejusque poſteris maribus, conceſſit in feudum. Acta ab An. 1410.

Anno 1411. feſto S. Lucæ Monaſterio S. Petri, in monte *Kayſerſtul* ditionis Höhinganæ ſito, ad mentem patris ſui defuncti, eccleſiam & jus patronatus in *Vogtsberg*, ejusdem montis vico, donavit. Fridericus, Dux Auſtr. loco Johannis Marchionis Hachbergæ, Ottonem hunc, ex fratre ejus nepotem, Endingæ Advocatum conſtituit; Neoburgi die Sat. ante S. Laur.

Anno 1412. Henrico de Wiſenegge vicos Denzlingen & Berchtoltskirchen; Jo. Oswaldo Zumwiger jus piſcationis in rivo *Bretten* & jurisdictionem circa Caſtrum Weyer oppignerat Otto.

Anno 1414. die S. Jac. ob æs alienum, quod pater ejus contraxerat, Dynaſtias ſuas Hachberg & Höhingen Marchioni

Digitized by Google

Badenſi Bernhardo pro 80000. flor. Rhen. vendidit, hac lege, ut Höhingenſem ad dies vitæ ipſe retineret, Hachbergenſem vero, ſi forte cum æquali matrimonium iniret, redimere poſſet. Otto terras has ſuas prius obtulerat Rudolfo, Sauſenbergicæ Lineæ Marchioni, ſed hic auctor fuit, ut eas venderet Bernhardo Badenſi.

Anno 1416. die Merc. ante Reminiſcere Rudolfus de Schnellingen, Armiger, Ottonis Marchionis nomine judicium feudale habuit in Üringen, cujus aſſeſſores fuerunt Jo. de Stauffen, Miles, Dietericus de Rathſamhauſen ad Lapidem ſenior, & Joh. de Hohenfirſt. Agebatur de Vico Vörſtetten & rivulo Schoppach, quos Hanemannus Snewelin de Landeck, Miles, ut bona a Valckenſteiniis jure emptionis comparata; Jo. Oswaldus zum Weyer vero ut feudum, poſt extinctos Valckenſteinios ab Ottone Marchione receptum poſtulabat. Vicit cauſa Oswaldi; Hanemannus nihil præter bona quædam allodialia ſervavit.

§. XXI.

Hachberga ad Badenſes translata.

Anno 1418. Otto Marchio cum cælebs decederet, & in eo Hachberga-Hachbergicus Marchionum ramus exaruiſſet, terræ ejus omnes ad Badenſem Marchionum Lineam ſeniorem, virtute emtionis triennio ante peractæ, tranſierunt, quæ ſeculo quoque ſequenti Hachberga-Sauſenbergicas ditiones Badenſibus junxit.

Digitized by Google

Hachbergæ Marchiones ergo terras ſuas, ut Zaringici patrimonii partem, jure allodiali poſſederant; id quod de Marchionibus Badæ, Hachbergenſium ſucceſſoribus, quoque ad annum uſque 1475. dicendum. Fridericus III. Imp. enim Chriſtophorum & Albertum eo tempore inveſtiens de Marchionatu Badenſi, in Literis feudalibus Hachbergici quoque fecit mentionem; (*y*) quod Hachbergæ feudalis primum reperimus exemplum.

§. XXII.

Formulam *Dei gratia* Hachbergæ Marchioni Henrico II. Equiti Rudolfus I. Cæſar Anno 1289. adſcripſit; uti ſupra oſtenſum. **Marchionum Hachb. dignitas.**

In Conventibus Imperii publicis inter primarios Imperii Principes ſemper occurrunt Marchiones Hachbergæ; cujus rei exemplum ſuppeditant Comitia An. 1281. à Rudolpho I. habita Vindelicorum Auguſtæ, ubi idem Henricus II. cum Duce Teccenſi & Marchione de Baden recenſetur, uti ſuperius quoque fuit relatum.

Hæc de Hachberga - Hachbergicis rebus, quæ aridiores, quod arctis ſemper finibus incluſi fuerunt hujus Lineæ Marchiones, **Epilogus**

(*y*) Charta extat apud LUNIG. Part. ſpec. Cont. II. pag. 947.

Digitized by Google

nec rebus geſtis, ſi Henricum Equitem excipias, illuſtres; nec augmentis opum potentes, in mediocri ſemper conſtituti fortuna; quamvis matrimonio Uſenbergica bona ſuis terris adjecerint. Ducentos per annos nonniſi quinque generationibus propagati; terrarum diviſionibus inter ſe debiles ſemper atque inglorii.

Nunc ad Hachberga-Sauſenbergenſes tranſimus, quorum fortuna ſplendidior & fata illuſtriora fuerunt.

Digitized by Google

CAPUT III.
MARCHIONES HACHBERGA-SAUSENBERGICI.
RUDOLPHUS I.
Ab Anno 1300. usque ad Annum 1314.

§. I.

Henrici II. Hachbergici Marchionis, dicti Equitis, filius natu junior, Rudolphus, in paternæ hereditatis diviſioneSauſenbergæ ſortitus eſt Caſtrum, quod haud procul Kandra, in aditu Nigræ Silvæ, rupi nec altæ nec præcipiti impoſitum, prima Marchionum hujus lineæ ſedes fuit, unde vulgo *Linea Sauſenbergica* dicitur, Marchionibus licet Hachbergæ retinentibus nomen. De monte *Suſenberc* cum Abbatia S. Blaſii An. 1232. transactum ſupra vidimus. (*a*) Tractus ille ſuperioris Brisgoviæ, ad Sauſenbergæ Caſtrum ſpectans, *Sauſenharda* nuncupari ſolet. Sedes & nomen.

(*a*) Periodi Hermann. Cap. VI. §. I. pag. 321.

Anno 1300. die Sabb. ante Annunt. Mariæ Rudolfus, Marchio de Hachberg, cum fratre ſuo Henrico literas compoſitionis inter Comites & Civitatem Friburgenſem ſigillo ſuo equeſtri firmavit. Sexennio poſt Caſtri Spanegg, infra Briſacum ad Rhenum ſiti, proprietatem judicio feudali fratris ſui Rudolfus obtinuit. (*b*)

§. II.

Judicium provinc. Brisgov.

Anno 1309. die Merc. poſt S. Margarethæ Judicium provinciale habitum eſt Sliengæ, in Sauſenhardæ confinibus, cui Judicio, Rudolfi Marchionis & Landgravii Brisgoviæ nomine, Walravus, Thierſteinenſis Comes, præſedit. In eo Rudolfus documenta ſua de vico Uchtingen, de Caſtro Spanegge, de bonis in Biſchoffingen & Froſchbach, de Advocatia in Gretzhauſen & decimis in Griesheim produxit. (*c*) Paulo poſt Walravus Comes & Johannes de Endingen, Miles, de ſententia hac ad Aulicum Imperatoris Judicem, Henricum Comitem de Spanheim, ſcripſerunt literas, quibus Waltherus Dom. de Rötenlein, Burckardus Dom. de Uſenberg, Wernherus & Cuno de Bergheim, Arnoldus de Grünenberg, Ludovicus de Ratolzdorf, Cunradus Schaler de Benkon, novemque alii recenſentur Aſſeſſores Judicii. Eodem

(*b*) Cap. præced. §. III. pag. 353.

(*c*) Codex Diplom. ad hunc Ann.

anno pro vicis Rotwilre, Bergen & Vogtsberg ad montem Kayſerſtuhl Walthero de Richenberg ducentas marcas argenti ponderis Colmar. ſe debere profitetur Rudolphus.

§. III.

Anno 1311. mortuo Walthero de Rœtenlein, idem Rudolphus una cum Lutoldo de Rœtenlein, Præpoſito Baſilienſis Capituli, Dynaſtiæ Rœtelanæ poſſeſſionem uxorio, uti videtur, nomine adivit. Uxoris Rudolphi nomen licet nobis ignotum, Rœtelanæ proſapiæ tamen eam fuiſſe, ex eo colligimus, quod Rudolphi filius Henricus Lutoldum hunc appellat *Avunculum* ſuum. (*d*) Caſtrum Rotenberg in Dynaſtia Roetelana Thuringus de Ramſtein & Conradus Münch de Munchsberg arbitrali quatuor Equitum Baſil. ſententia Lutoldo huic atque Rudolpho Marchioni pro 250. marcis argenti tradere coacti ſunt. Roetelana ſucceſſio.

Anno 1313. die Ven. ante Palm. Conradus Schalerus de Benkon, miles Baſil. Rudolſum de Hewen, Aulæ Johannis, Regis Bohem. atque Vicarii Imp. judicem reddit certiorem, ſe Lutoldum Præpoſitum & Rudolphum Marchionem in oppidi *Schopheim* & Caſtri *Roetenlein* reduxiſſe poſſeſſionem.

(*d*) *Unſer Oehein ſelige.* Charta eſt An. 1316.

§. IV.

Rudolfi mors & liberi.

Ita aucto aliquantum acceſſionibus patrimonio An. 1314. Rudolphus I. deceſſit; (e) ex conjuge, quæ Roetelana fuiſſe videtur, (f) pater trium filiorum, Henrici, Rudolfi, Ottonis, qui ſinguli ex paterna & materna hereditate aliquid obtinuerunt. De Anna filia nobis infra eſt ſermo.

HENRICUS.

AB ANNO 1314. USQUE AD ANNUM 1318.

§. V.

Rœtelana hereditas ex aſſe.

Anno 1315. die Sat. ante S. Joh. Bapt. Otto de Ampringen, Miles, cum ſculteto & ſenatu Sulzbergenſi de argentifodinis Brisgoviæ inter Epiſcopum Baſilienſem & Heinricum noſtrum, Brisgoviæ Landgravium, controverſis, ſententiam pronuntiavit. In Literis his jam *Domini de Roetelen* titulo inſignitur Henricus, partem illius Dynaſtiæ poſſidens. At ſub finem ejusdem anni (g)

(e) In Literis Andreæ de Aſt, An. 1314. datis, vocatur *beate defunctus.* Vid. Cod. Diplom.

(f) IMHOFIUS Tab. Geneal. 76. Partis II. Rudolpho noſtro uxorem dat Agnetem de Reichberg; uxorem ejus appellans, quæ extiterat ſoror. Hæc nupſit Walthero de Reichenberg, Militi ſuperioris Alſatiæ.

(g) Anto feſtum S. Thomæ 1315.

Digitized by Google

Lutoldus, Baſil. Præpoſitus, gentis Rœtelanæ poſtremus, donatione inter vivos, coram Officiali Curiæ Baſilienſis, tradidit *Henrico Domicello*, *Margravio de Haperg*, *Lantgravio Brisgaugiæ*, præſenti & recipienti, omnia bona ſua & poſſeſſiones ac jura Dynaſtiæ Rœtelanæ; reſervato ſibi duntaxat ad vitam libero eorum bonorum uſu & fructu. (*h*) Lutoldus brevi poſt obiit. Henricus ergo totius Rœtelenſis Dynaſtiæ ſolus factus eſt compos. Succeſſores ejus, Marchionum Hachbergæ & Dominorum in Rœteln titulos continuantes, brevitatis cauſa frequentius appellati ſunt *Marchiones Rœtelani*.

§. VI.

Anno 1316. pridie Aſcenſ. Margravius Heinricus de Hachberg, *Dominus in Rœtelein*, *Lantgravius Briſgoviæ*, cum fratre Ottone, Johanni de Howenſtein, Militi, Annæ de Büttinkon, uxori ejus, horumque liberis utriusque ſexus bona in Toſſenbach contulit in feudum. Acta Henrici varia.

Anno 1317. Johannes & Rudegerus de Endingen, pater & filius, Milites ac cives Neoburgenſes, Heinrico, Margravio de Hachperg juniori, Lantgravio Brisgoviæ, jus reluitionis competere fatentur in bonis, in Hertikein & Furbach ſitis, quæ

(*h*) Codex Diplom. Badenſis ad An. 1315.

Digitized by Google

ab ipſo in feudum acceperant. Vocatur Henricus hic *junior*, ut a patruo ſuo diſtingueretur Henrico, Hachbergicæ lineæ auctore, de quo ſupra jam ſermo.

A. 1318. Annam ſororem ſuam Henricus in matrimonium collocavit Friderico, Comiti Friburgi; ſeptingentæ marcæ argenti promiſſæ ſunt in dotem. Pro ſumma hac Landgraviatus Brisgoviæ oppigneratus Friderico; ut ſuo loco docebitur. (*i*) Henricus brevi poſt A. 1318. obiit improlis. (*l*)

§. VII.

Piſtorii errores.

Errat PISTORIUS, quando ſucceſſores, Rudolſum atque Ottonem, pro filiis Henrici venditat, qui fratres ejus fuerunt. Fraternitatem declarat Charta An. 1334. qua Landgraviatum Brisgoviæ Friderico, *ſororis* ſuæ marito, oppigneratum teſtantur, adeoque Annæ & Henrici fratres ſe fuiſſe oſtendunt.

Sed & duos alios errores commiſit Piſtorius; quando Henricum noſtrum circa A. 1334. obiiſſe tradit; quum jam ab A. 1326. nulla Henrici, ſed modo Rudolphi & Ottonis mentio fiat; quodque Henrico Sauſenbergico fratrem aſſignat Rudolphum, illum

(*i*) In Capite de Landgraviatu.

(*l*) IMHOFIUS Tab. LXXVI. atque HUBNERUS Tab. 229. Henricum hunc generis ſui propagatorem male conſtituunt.

Digitized by Google

Henrici III. Hachbergici filium, Ordinis Johannitici Commendatorem, An. 1343. mortuum. Sauſenbergicus noſter Rudolphus uxorem & filium habuit; vixitque usque ad Annum 1352. ut ex dicendis patebit.

RUDOLFUS II. ET OTTO FRATRES HENRICI.

Ab Anno 1326. usque ad Annum 1350.

§. VIII.

Anno 1326. die Ven. poſt S. Galli Rudolfus & Otto fratres, Marchiones de Hachb. Domini in Rœtelein, Landgravii Brisgoviæ, cum Lutoldo, Domino de Krenchingen, ejusque filio Henrico, de Caſtro in Branbach, (*m*) quod commune ipſis erat, amice transegerunt, futurisque litibus componendis tres arbitros elegerunt. Acta fratrum ab An. 1326.

Anno 1327. feuda, quæ Ludovicus de Bütenhein ab ipſis tenebat, Henrico de Hungerſtein, avunculo ejus, ad ipſius Ludovici preces, conceſſerunt.

Anno 1331. Ordinis Johannitici Fratribus aquam in ſua prata Neuenburgenſia ducendi jus (*n*) a Slienga uſque ad Rhenum pro XXX. marcis argenti Otto conceſſit.

(*m*) Caſtri hujus ruinæ hodieque viſuntur Brombaci. Poſſeſſores ejus ſunt Reichii a Reichenſtein.

(*n*) Ex rivulo, qui vocatur *die Hoell.*

Digitized by Google

Anno 1333. Margaretha de Staufen, Hugonis Monachi, Militis Baſil. vidua, omnia bona, quæ a Lutoldo de Rœtelein & Conrado de Gœskon, Baſilienſi & Werdenſi Præpoſitis, avunculis ſuis, in Brambach & Eggenheim, alibique heres acceperat, Rudolpho atque Ottoni, Marchionibus coram ſculteto Baſilienſi tradidit.

Anno 1336., vicum Brunſtatt, prope Mulhuſium in Sundgovia ſitum, Conrado & Friderico de Iltzig, fratribus, & Johanni de Bergheim, cum jure patronatus & judiciis in feudum iidem dederunt Marchiones. Eodem anno bellum cum Lutoldo de Krenchingen ejusque filio geſſerunt, quod demum An. 1344. compoſitum.

§. IX.

Acta ab An. 1341. Anno 1341. Rudolfus & Otto, fratres, decimas & jus patronatus in Haltingen Berchtoldo Waldnero, Militi, pro 1400. florenis oppignerarunt. Teſtes erant Comes Walravus de Thierſtein, Egeno Comes de Furſtenberg Ord. S. Johannis, Goetzo Comes de Fürſtenberg, Hannemannus Monachus, Cuſtos Baſil. Conradus & Burcardus Monachi de Landscron, Jo. Ulricus de Domo, Crafto & Wilh. Waldenarii, Milites.

Renovata inter Marchiones hos & inter Lutoldos de Krenchingen, patrem ac filium, Canonicum Argent. de quibusdam

ſucceſſio-

ſucceſſionis Rœtelanæ partibus ſubinde controverſia; utraque pars tandem in Conradum, Comitem Friburgi, compromiſit, qui Marchionibus vicum Brambach, Krenchinganis vicum Nider-Eggenheim addixit.

Anno 1348. Johanni de Rheno, in Heſingen, Militi, vicum Haſtingen pro quingentis aureis oppignerarunt.

§. X.

Anno 1352. Ottonis conjux Eliſabetha deceſſit, Comitis Imeri de Straſsberg filia, cui propter nuptias centum marcas auri puri dono promiſerat, eorumque loco reditus villarum Vogelbach, Malſchberg, Lutſchenbach &c. aſſignaverat. Eliſabetha hac ſine liberis defuncta, donum hoc ad patrem ejus jure hereditario pervenit. At ſocero ſuo perſuaſit Otto, ut reditibus iſtis tamdiu careret, quam Rudolfus Marchio, Ottonis frater, Saufenbergæ Caſtrum poſſeſſurus, nec terras cum fratre diviſuris,(o) Ottoque in vivis futurus eſſet, manente tamen penes Marchiones reluendi jure. Ottonis uxor.

Hic poſtrema Rudolfi mentio; qui uxorem habuit Catharinam, Ulrici, Comitis Thierſteinenſis, filiam, quæ ad XII. Ka'. Rudolfi uxor & filius.

(o) *So lange er mit ſeinem Bruder ungetheilt ſeyn würde.*

Digitized by Google

April. A. 1385. ſuperſtes, Baſileæ in Eccleſia principe ſepulta eſt. (*p*) Prodiit ex ea Rudolphus II. Marchio, An. 1343. natus, cujus tutelam deinceps geſſit Otto patruus, adeoque terras Sauſenbergicas ſuo & pupilli nomine adminiſtravit.

§. XI.

Ottonis regimen.

Anno 1355. Hugo de Loerrach concitata Ottonis Marchionis ira, aliter cum eo reconciliari non potuit, quam refutatis feudis, quæ ab ipſo tenuerat, quæque deinceps recepit.

Anno 1356. die Sabbati ante S. Ulr. Otto, Marchio Hachb. Dominus in Suſenberg, Landgr. Superioris Brisgoviæ, ſuo ac pupilli ſui, Rudolfi March. nomine, curiam & jus patronatus in *Rüdliken* Dieterico de Keppenbach, Johanniticæ Domus Friburgi Brisgov. Commendatori pro 600. florenis vendidit. Actum hoc in Judicio publico provinciali, Tannenkirchæ; præſentibus Henrico, Hachbergenſi Marchione, qui ſuo rem conſenſu probavit, ut & Godofrido de Stauffen, Erckeboldo Slegelholz, Armigeris &c.

(*p*) URSTIS. *Chron. Baſil.* pag. 63. & 169. Monumentum ejus adhuc extat prope portam Choro vicinam. Vid. TONJOLA *Baſilea ſepulta* pag. 5. ſq. Jo. GAMANSIUS *Geneal. Badenſ.* Cap. XXXIV. tradit, eam marito ſuo in quarto gradu conſanguineam, atque hinc a Papa Clemente VI. diſpenſationem petitam & impetratam fuiſſe.

Digitized by Google

Anno 1357. cum Johanne de Eptingen, Milite, in Loerrach habitante, bona communia ibidem diviſit, & inſequenti anno Urſulæ de Baden ac liberorum ejus partem Caſtri Loerrach comparavit.

Anno 1358. die Mart. poſt S. Mich. Otto Marchio ſui ex fratre nepotis, Rudolfi, tutelam abdicavit, eamque Walravo Comiti Thierſteinii cum Caſtris Brambach & Suſenberg tradidit. Actum coram judicio minoris Civitatis Baſil. Rudolfus tamen cum tutore ſuo eadem Caſtra patruo Ottoni anno ſequenti reddidit.

Anno 1361. partem Caſtri & vici Loerrach a Johanne de Eptingen, Milite, dicto *Puliant*, pro 1100. florenis emit.

Anno 1362. jurgia habuit cum Diet. & Leonhardo, dictis ad Solem, civibus Baſilienſibus, ob judicia in Huſen. Conradus de Bernfels & Ottmannus Schaler, judices, judicia capitis Ottoni, reliqua Solariis addixerunt.

Idem Otto Anno 1364. factus eſt fidejuſſor Conradi, Johannis & Heinrici fratrum, Comitum de Furſtenberg, a Neoburgo, Briſgoviæ civitate, bis mille florenos mutuantium.

§. XII.

Anno 1366. Otto, Marchio de Hachberg, Dominus in Rœtelen & Suſenberg, Rudolfo, ex fratre nepoti, qui majorem tum ætatem attigerat, dimidiam Caſtrorum *Suſenberg, Brombach* Otto & Rudolfus conjunctim.

Digitized by Google

& Loerrach partem cum vicis bonisque omnibus, ad ea pertinentibus, tradidit, & poſthac cum eo, ut antea cum ejus patre, rexit conjunctim.

Anno 1368. Rudolphus Marchio Caſtrum *Otlikon*, (*q*) vicos *Wile*, *Winterwile*, *Welmingen*, cum hominibus & bonis in *Haltingen*, *Hiltelingen* & *Hüningen* pro 1400. marcis argenti, Baſilienſis valoris, emit a Conrado Munch de Munchenſtein; cum conſenſu filiorum Conradi.

Anno 1369. dimidium vicum *Marticelle* (*r*) a Schœnaviis Otto & Rudolfus Marchiones emerunt.

Anno 1370. curiam & decimas in *Rüdlikon* (*s*) Jacobus de Tegernowe cum filio ſuo iisdem Marchionibus, Dominis directis, vendidit.

Anno 1371. die S. Stephani Lepoldus, Dux Auſtriæ, Ottonem & Rudolfum, Marchiones, de Caſtro Rœteln & oppido Schopfen Oeniponti inveſtivit; quæ prima nobis locorum iſtorum inveſtitura, ab Auſtriis facta, in Chartis occurrit. Caſtrum & oppidum An. 1315. quo Rœtelanæ Dynaſtiæ donationem fecerat Lutoldus, libera fuerunt.

(*q*) *Otlikon* Caſtrum inter Minorem Baſileam & vicum *Weil.* Poſt Pacem Weſtphalicam reconſtructum *Fridlingen* appellatum eſt a Marchione Badenſi, Friderico V.

(*r*) Cella Martini, hodie *Marzel.* in Sauſenberg. Dynaſtia.

(*s*) *Rüdlingen.*

Digitized by Google

Anno 1371. Otto & Rudolfus, Marchiones, in Caſtro Suſenberg conſtituti, mutuæ ſucceſſionis pactum inter ſe iniverunt.

Anno 1372. Johannes Epiſc. Baſil. Rudolfi Marchionis jurisdictioni in Kirchen, a ſe violatæ, Literis ei datis proſpexit. Proditorem Caſtri Iſtein in Marchico illo vico Epiſcopus ceperat, ultimoque Baſileæ affecerat ſupplicio.

Anno 1374. idem Rudolfus inter Comites Equitesque comparet, qui Ludovico de Gliers, Domino de Froberg caverunt, ut Petrum Scalarium ex Caſtro ſuo Froberg, ubi captivus tenebatur, dimitteret. (*t*)

Anno 1376. Otto Marchio vicum Bulach a Johanne de Tengen 800. marcis argenti emit, coram judice Turicenſi, (*u*) eumque Leopoldo, Duci Auſtr. pro mille aureis An. 1384. vendidit. (*x*)

Rudolphus Marchio cum Leopoldo, Auſtriæ Duce, multisque aliis Dynaſtis atque Nobilibus Baſileæ, per tempus quadrageſimale, verſatus, ob violatam ſanctimoniam temporis orta ſeditione captus, brevique poſt dimiſſus eſt. (*y*)

(*t*) Charta Tabularii Frobergenſis.

(*u*) TSCHUDI *Chron: Helvet.* Tom. I. pag. 493.

(*x*) Ibid. pag. 509.

(*y*) Ibid. pag. 490. URSTIS. *Chron. Baſil.* pag. 190.

Digitized by Google

Anno 1378. Marchiones noſtri cum Comite Walravo de Thierſtein pactum mutuæ ſucceſſionis in feuda, quæ utrique ab Epiſcopo Baſilienſi tenebant, iniere, quod ab Epiſcopo Johanne eodem anno firmatum eſt, ſimultanea horum feudorum inveſtitura utrique parti conceſſa.

Mors Ottonis. Otto Marchio circa An. 1384. octogenario major deceſſit improlis. In eccleſia monaſterii Sitzenkirchæ ſepultus eſſe videtur, ubi An. 1371. una cum fratruele Rudolpho inſtituerat anniverſarium Miſſæ. Uxorem ejus, Eliſabetham Straſsbergiam, A. 1352. jam extinctam ſupra vidimus.

RUDOLPHUS III.

AB ANNO 1388. USQUE AD ANNUM 1428.

§. XIII.

Acta ab An. 1388. Rudolfus, mortuo patruo Ottone, totius Sauſenbergicæ ac Rœtelanæ Dynaſtiarum ſolus poſſeſſor evaſit.

Anno 1388. Annæ Friburgicæ, uxoris ejus, frater Conradus Rudolfum noſtrum in communionem argentifodinarum & banni ferini in Brisgovia recepit. Baſilienſia hæc fuerant feuda, de quibus jam ſeculo XIII. inter Marchiones Badenſes & Comites Friburgenſes certatum; (z) quæ vero, extinctis Friburgi Comitibus,

(z) Vid. ſupra ad An. 1234. pag. 316.

penes Marchiones Hachbergicos manſerunt; ab his ad Badenſes translata; qui hodieque ab Epiſcopo Baſilienſi de iis inveſtiuntur.

An. 1391. in Rœtelenſi eccleſia ad altare D. Virginis Miſſam & Cappellaniam inſtituit. Capitulo Rheinfeldenſi reditus quosdam in Toſſenbach, Nobilibus de Frauenſtein olim in feudum datos, donavit.

An. 1392. Dux Auſtriæ Caſtrum Iſtein, quod Rudolphus ſibi oppigneratum uxori Annæ in vitalitium aſſignaverat, reluit, unde Marchio ejus loco Caſtrum Otlikon conjugi adſcripſit.

A. 1394. Henricus Rich de Richenſtein, Miles, jurisdictionem criminalem in Kilchein, Eymatingen & Efringen Rudolfo Marchioni; reliquam ſibi competere Literis, Baſileæ datis, profeſſus eſt. Eodem anno renovata ſunt jura Rudolfi in oppido *Schopfhein*, ad cujus curiam Dominicalem ſpectabant villæ *Gundihuſen*, *Ennikon*, *Wiechs*, *Eichen* & *Enre-Varnow*. Ultima die menſis Julii Conradus, Friburgi Comes, Rudolpho noſtro legavit homagia ſua & jura eorundem, ſi absque liberis legitimis decederet. Spes hæc A. 1417. fuit renovata.

An. 1395. Johanni Comiti de Habsburg promiſit Marchio noſter, ſe Chartam oppignerationis Dynaſtiæ Rotenburgenſis, in Epiſcopatu Baſilienſi ſitæ, in manus tertii depoſiturum.

§. XIV.

An. 1397. Wenceslaus, Rex Romanorum, eidem Marchioni Privilegium dedit, ut ipſe coram Imperatore ejusque judiciis Privileg. Cæſaris.

aulicis tantum; ipſius autem miniſteriales, officiales &. ſubditi coram ipſo Marchione ſolo in jure ſe ſiſtere tenerentur. (a) Idem Rex ſequenti anno Rudolpho & omnibus Marchionibus conceſſit, ut proſcriptos quoſcunque in Landgraviatu, caſtris & ditionibus ſuis univerſis recipere poſſent atque tueri. Privilegia hæc a ſequentibus Imperatoribus confirmata, partimque aucta fuere.

Bellum Furſtenbergic.

Circa hæc tempora graves inter Marchionem Rudolphum, & Henricum, Comitem Fürſtenbergicum, exortæ ſunt lites. Marchio per Judicium Rothvilenſe A. 1388. in Furſtenbergenſia bona Guſſing, Lœſſing & Neuenſtadt immiſſus eſt. Comes, inobediens Cæſari, à judice Imperatorio Suantipore, Pomeraniæ Duce, proſcriptus eſt. Supervenit accuſatio de hæreſi. Unde ab Electoris Moguntini Miſſo, Abbate Tennebacenſi, devotus eſt diris. Denique, intercedente Baſilienſi Epiſcopo, Comes anathemate ſolutus & in firmioris amicitiæ pignus, Henrico, Henrici Furſtenbergici filio, filia Rudolfi Marchionis Verena deſponſata eſt.

§. XV.

(a) Privilegium hoc confirmavit Fridericus III. Imp. Romæ A. 1452.

Digitized by Google

§. XV.

An. 1399. fœdus quinquennale cum Bernenſibus Rudophus inivit; (*b*) brevique poſt inter eosdem atque Baſilienſes arbitrum egit. (*c*) Eodem anno die Martis ante S. Laur. jura Toldiorum (*d*) in vicis Oetlikon, Binzhein & Haltingen, eorumque poſſeſſiones, judicia, homines, cenſus, pro 425. aureis Rudolfo vendita ſunt. Acta varia ab A. 1399.

An. 1400. cum Marquardo de Baden, Ord. Teutonici Commendatore in *Bügheim*, de concambio bonorum convenit, pro jure patronatus in Nollingen cenſus hujus Præceptoratus in Wies, Tegernau, Eugenſtein & Rœtelen accipiens. Die S. Eliſabethæ Anna de Klingenberg, Rudolfi de Schœnau vidua, cum filio ſuo Alberto Caſtrum, dictum *der Neue Stein*, cum vicis & villis *Geriſpach, Slechbach, Sweygmatt, Küremberg, Reippach,* (*e*) curiisque in Blumenberg, Eychenbrunnen, Steinegg &c. pro 2000. aureis Rudolfo Marchioni vendidit.

Poſt Landgraviatus Brisgoviæ inveſtituram, de qua infra, Imperator Rupertus A. 1403. Privilegium ei dedit, nundinas

(*b*) Tschudi *Chron. Helv.* Tom. I. pag. 599.

(*c*) Ibid. pag. 637.

(*d*) *Zum Tolden*, Familia tum Baſileæ degens.

(*e*) Loca hæc Saufenbergicæ Dynaſtiæ ſunt, at Caſtri *Neue Stein* dicti memoria amiſſa. Videtur in illo loco fuiſſe, ubi nunc eſt villa *Schwarzenbach*, verſus *Dotmus*.

Ddd

Digitized by Google

hebdomadarias & annuas in vico Lœrrach celebrandi. Diploma datum Noribergæ, die Veneris ante feſtum Petri & Pauli. Has nundinas Fridericus III. Imp. in Coronatione Romana confirmavit.

An. 1404. affinem ſuum, Conradum de Friburg, ad tribunal Imperiale, quod Heidelbergæ erat, in jus vocavit, ob debitum 3000. marcarum argenti. Obtinuit etiam ab Engelhardo de Weinſperg, Judicii Aulici Præſide, ut in Dynaſtiæ Novi Caſtri, quæ in Comitis Friburgi manibus erat, immitteretur poſſeſſionem.

§ XVI.

Acta ab An. 1406.

An. 1406. occaſione cædis, prope vicum Huſen in Rœtelana Dynaſtia commiſſæ, inter Rudolphum Marchionem atque Schœnavios, Caſtrum Altenſtein (*f*) & vicum Zell poſſidentes, de Judicio capitali diſceptatum eſt. Cauſa hac ad arbitros, Rudolfum Vicedominum, Güntherum Mareſchallum, Milites, & Conradum à Lauffen delata, Marchio victor evaſit.

An. 1407. quinquennale cum urbe Baſil. fœdus percuſſit, hac lege, ut imminente hoſte alter alteri per decem circum urbem milliaria, urbs cum octo, Rudolfus cum quatuor equitibus lanciferis ſuccurreret. (*g*) Poſt hæc Marchio inter Baſileam & Auſtriacos non ſemel fuit pacis conciliator. (*h*)

(*f*) Altenſtein, Caſtrum montanum dirutum, feſquileuca diſtans Zella vallis Wieſanæ.

(*g*) Urstis. *Chron. Baſil.* pag. 212.

(*h*) Ibid. pag. 216. & 221.

An. 1409. Abbatiſſa Collegiatæ in Seckingen Rudolfi Marchionis jurisdictionem, *altam* quam vocant, in vico *Stetthein* agnovit.

An. 1414. circa feſtum S. Margarethæ a Sigismundo Imp. Argentorati **Landgraviatus** aliorumque Imperii feudorum inveſtituram, nec non juris conductus per Dynaſtiam Rœtelanam confirmationem obtinuit.

An. 1415. die Lunæ poſt S. Blaſii, datis Conſtantiæ literis, Rudolfo digredientes ex ditione ſua ſubditos perſequendi ac ubivis repetendi poteſtatem idem Cæſar conceſſit. Tunc vero Rudolfus noſter cum legatis urbis Baſilienſis & Argentinenſis Friburgum Brisgoviæ profectus erat, ut Papam Johannem XXIII. cum Concilio reconciliaret; ſed res caruit ſucceſſu. (*i*)

§. XVII.

Baſilienſis civitas ad Argentinenſis exemplum cum novum ſibi Magiſtratum, ſub nomine *Ammeiſter*, inſcio Epiſcopo creaſſet, ſine quo electiones Magiſtratuum tum non fieri ſolebant, hujusque ad Concilium Conſtant. querela fuiſſet delata: Rudolfus noſter Marchio conciliatoris partes in ſe ſuſcepit, remque eo perduxit, ut novus ille Magiſtratus Baſilienſium extingueretur. (*l*) Acta ab An. 1417.

(i) URSTIS. *Chron. Baſil.* pag. 225.

(l) URSTIS. *Chron. Baſil.* Lib. IV. Cap. XXII. & in *Epit. Hiſt. Baſil.* Cap. IX.

Digitized by Google

Anno 1419. navem, Butenhemio Sundgoviæ Briſacum deſcendentem cum avena, Rudolfus Marchio, quod naufragium paſſa erat, ſibi vindicavit, brevique poſt Walthero Militi de Andlau, ad quem illa ſpectabat, multorum precibus inductus reſtituit, ſalvo tamen ſuo circa bona naufraga jure. (*m*)

Anno 1420. ingens lues per Brisgoviam graſſata, Marchionis filium Rudolphum XXVII. annos natum, pietate & virtute inſignem, ut & tres ejus filias, Baſileæ in monaſterio S. Claræ degentes, abſtulit. (*n*)

Anno 1423. certam pecunia ſummam, poſt mortem ſolvendam, XXIV. Monaſteriis, Parochiis & Xenodochiis Rudolfus legavit. (*o*)

§. XVIII.

Rudolfi March. obitus.

Anno 1428. die dominica poſt feſtum Purificationis ex hac vita exceſſit Rudolfus III. cum LXII. annos regiminis, partim cum patruo, partim ſolus, vitæ autem circa LXXXIV. expleviſſet. Aliquot ante mortem annis cum Dieterico de Rathſamhauſen bellum ei fuit exortum, ob Sundgoviæ vicum Brunſtatt, prope Mülhuſium; poſtquam in judicio ter victor

(*m*) Vulgo *Grundruhr - Recht.*

(*n*) FOERSTERUS.

(*o*) Ibidem.

Digitized by Google

fuiſſet. Bello hoc vicus Feldberg combuſtus; ipſe autem ære alieno non modico obrutus eſt; ceterum pacificus Princeps, ad controverſias amice potius, quam bello componendas, proclivior. Arbiter etiam inter Auſtriæ Duces & Civitatem Baſilienſem, grave bellum, quod inter eos An. 1410. & 1411. geſtum eſt, bis amica compoſitione terminavit.

Prior ejus conjux fuit Adelheidis de Liechtenberg, cui ſecuritatem dotis quater mille florenorum Anno 1372. medio menſe Aug. daturus, Albertum & Leopoldum, Auſtriæ Duces, rogavit, ut ipſorum feuda, *Schopfheim* oppidum & vicos *Eichein, Gündehuſen, Mulberg & Wiechs* ad hunc uſum ei permitterent. (*p*) Uxores ejus.

Poſterior uxor Anna Friburgenſis erat, (*q*) ex qua ſuſcepit, I. OTTONEM An. 1388. natum, qui An. 1411. Epiſcopus Conſtantienſis (*r*) electus, reſignato propter incurabilem Liberi.

Ddd 3

(*p*) PISTORIUS Adelheydam hanc, Simonis a Lichtenberg filiam, mortuam circa 1387. refert.

(*q*) De Anna loquitur Charta Officialis Curiæ Baſil. Anno 1427. d. 25. Octob. ita: „Pernobiles & Generoſos D. Rudolphum de Hochberg, Dom. in Rœtteln „& in Suſenberg, & D. Annam de Hochberg ejus conthoralem, „oriundam de Friburg, nec non Marchionem Wilhelmum de Hochberg, „eorum filium legitimum.

(*r*) MANLII *Chron. Conſtant.* pag. 762.

Digitized by Google

S. Valentini morbum Epiſcopatu, An. 1451. defunctus eſt. (s) II. RUDOLFUM An. 1419. extinctum. (t) III. WILHELMUM in regimine terrarum ſucceſſorem.

Ex filiabus ejus Verena Henrico, Comiti Furſtenbergico, circa An. 1415. nupſit, in ſecuritatem dotis Caſtrum Neufurſtenberg & vallem Werræ accipiens. Quatuor alias monaſticæ apud S. Claræ Moniales in minore Baſilea vitæ conſecravit, Agnetem, Catharinam, Annam & Margaretham, quarum tres An. 1419. ut vidimus, peſte fuerunt ablatæ.

Rudolfus & Anna, conjuges, in eccleſia vici Rœteln, infra Caſtrum, quam ipſe A. 1401. exſtruxerat, (u) ſepulti ſunt. Annæ lapis ſepulcralis extat in ſacello retro chorum, ſed ſine die & Conſule.

W I L H E L M U S.

§. XIX.

Initia regiminis.

Wilhelmus Marchio viceſimo ſecundo ætatis ſuæ anno regimen adivit. Literas inveſtituræ a Sigismundo, Romanorum Rege, An. 1429. accepit, Poſonii datas die SS. Philippi & Jacobi.

(s) URSTIS. *Chron. Baſil.* pag. 64.

(t) Ibidem.

(u) Inſcriptio ſuperſtes id docet.

Initio regiminis Caſtrum Suſenberg, vetuſtate pene collapſum, quod Marchiones ultra centum annos ſemper Rœtelæ habitaſſent, reſtituit. Eodem anno 1429. a fratre Ottone, Epiſcopo Conſtantienſi, privilegium accepit, ut homines capite plexi in loco conſecrato poſſent ſepeliri. Tum quoque Jacobus, Badæ Marchio, oppidum Sulzberg ei oppigneravit.

Anno 1431. Wilhelmus Comitiis Imperii, Noribergæ habitis, interfuit. (x)

Anno 1432. Wilhelmus, Bavariæ Dux, Marchionem noſtrum Concilii Baſilienſis Defenſorem, in ſui locum, conſtituit. Baſilienſis Magiſtratus, ad promovenda hujus Concilii commoda, pontem ſupra Wieſam, prope Huningam minorem tum conſtrui fecit, de cujus pontis vectigali inter Marchionem & Baſilienſes transactum eſt.

Cum Wilhelmus noſter Fridericum, Auſtriæ Ducem, Vindobonam comitaretur, Adelbergium de Baden in abſentia ſua adminiſtratorem terrarum conſtituit, ſervatis tamen ſibi cauſis feudalibus.

§. XX.

Anno 1434. Johannes Comes Friburg. & Novi Caſtri ac Wilhelmus noſter Marchio, *Dom. de Rethelingen*, *Conſiliarii &* Acta ab An. 1434.

(x) WENCKER *de Uſsburg* pag. 191.

Cambellani Ducis Burgundiæ , ejusque *Ambaxiadores* ad Sigismundum, Regem Rom. conſtituti fuerunt. (*y*)

Anno 1435. Kal. Octobr. Eugenius IV. Papa, Florentiæ verſatus , Wilhelmo noſtro majores decimas parochiales in *Schopfheim*, *Tannenkilch*, *Wolpach* & *Oetlikon*, quæ ad 300. modios frumenti & 70. ſomas vini aſcendebant , prout eas progenitores ipſius perceperant , confirmavit. Eodem anno Eliſabethæ Montfortiæ , conjugis ſuæ , feuda , quæ ab Imperio pendebant, vicario nomine accepit. De Auſtriacis feudis vero , quæ ipſe poſſidebat , à Friderico Duce inveſtitus eſt ; cujus ſub auſpiciis ipſe in bello contra Turicenſes ductor exercitus fuit.

Anno 1439. Wilhelmus Marchio Auſtriacæ Alſatiæ Præfectus , inter eos, quibus Albertus II. Imp. tutelam Concilii Baſil. commendabat , nominatur. (*z*)

Anno 1440. cum Auſtriacis copiis Turici hærens , ut impenſis par eſſet, jus patronatus & decimas Schopfhemii in valle Wieſana monaſterio S. Albani Baſilienſi, poteſtate tamen reluendi ſibi ſervata , vendidit.

Idem

(*y*) SENCKENBERG *Select.or.* Tom. VI. pag. 479. & 485.

(*z*) *Alſat. Illuſtr.* Tom. II. pag. 597.

Digitized by Google

Idem Wilhelmus eo tempore cum Joh. Ludovico de Tullier ſuper Dynaſtiam *Froberg*, Ducum Auſtriæ nomine, tranſegit. (*a*)

Idem A. 1441. die Ven. ante Palm. Advocatiam monaſterii S. Petri in Nigra Silva ex Abbatis & Conventus manibus redemit atque Dynaſtiæ Badenvillanæ iterum conjunxit. (*b*)

§. XXI.

Anno 1441. die Merc. poſt feſtum Corp. Chriſti, debitorum, quæ ipſe & pater ejus contraxerat, gravitate compulſus, omnium in Brisgovia & Sundgovia bonorum ac terrarum ſuarum adminiſtrationem filiis ſuis, Rudolfo & Hugoni, qui nondum ephebos egreſſi erant, eorumve tutori, Johanni, Comit. Friburgenſi, reliquit, ut æs alienum ingens eo facilius diſſolveretur. (*c*) Ab eo tempore in aula Cæſarea utplurimum commoratus eſt Guilielmus noſter, maximi momenti negotiis adhibitus. Abdicatio regiminis.

Anno 1442. Wilhelmus noſter Cæſaris atque Imperii nomine ſententiam tulit pro Civitate Weiſſenburg in Alſatia,

(*a*) In Charta, quæ in tabulario Frobergenſi extat, vocatur Wilhelmus *Marquis, Seigneur de Rœtelin & Suſenberg, Baillif & Gouverneur de Ferrates & d'Aulxay.* Dominium *Froberg* in Chartis Latinis de *Montegaudio*, in Francicis de *Montjoye* vocatur.

(*b*) Archiv. Bada - Durl.

(*c*) Fridericus III. Imp. nonniſi An. 1457. Conventionem hanc ſuo conſenſu comprobavit Gracii.

Digitized by Google

contra Abbatem ejus loci, qui ſe *Dominum urbis* dicebat, & jusjurandum eo nomine a civibus exigebat. Judicatum eſt, cives Weiſſenburgenſes nequaquam poſſe Imperatoris Imperiique jura alienare, nec homagium, Imperio præſtari ſolitum, Abbati præſtare. Literæ, Imperiali ſigillo munitæ, hac ſuper re ſcriptæ ſunt Argentorati, die Saturni poſt Bartholomæi.

§. XXII.

Acta reliqua.

Eodem anno Fridericus III. Imp. Literis Enſishemii datis oppido Sulzberg duas nundinas annuas conceſſit, Wilhelmo rogante. Miſſus eſt circa hoc tempus ab Imperatore in Helvetiam Wilhelmus, ut Turicenſes, Auſtriacorum tum ſocios, contra reliquos Helvetios, ipſorum hoſtes, juvaret. Vicariam enim Domus Auſtr. poteſtatem in Alſatia, Sundgovia, Brisgovia, Nigra Silva, Hegovia, Turgovia, Suevia, Algovia, ad Lacum Bodamicum adhuc exercebat Wilhelmus; (*d*) nunc quoque belli Turicenſis dux, in quo duo conjugis ejus, Eliſabethæ Montfortiæ, Caſtra, Spiegelberg & Grieſſenberg, a Turgovienſibus combuſta ſunt an. 1444. menſe Apr. (*e*) Durante hoc bello gravem pecuniæ ſummam mutuo accepit Turici, ob quam lis deinceps exorta. (*f*)

(*d*) TSCHUDI *Chron. Helvet.* Tom. II. pag. 402.

(*e*) Ibidem pag. 11.

(*f*) Ibidem pag. 562.

Sigiſmundus, Auſtriæ Dux, Turicenſibus ut ſatisfaceret, Comitatum Kiburgenſem eis reddidit. (*g*)

Civitas Baſil. Wilhelmum, proelii ad D. Jacobum prope Birſam, inter Ludovicum, Franciæ Delphinum, & Helvetios, An. 1444. commiſſi, participem, cum multis aliis ex urbe ſua proſcripſit. (*h*)

Anno 1450. decimas vini in Crenzach Adelbergio de Berenfels pro 1100. aureis oppigneravit.

Anno 1459. d. 19. Jun. Vindobonæ Judicio Cameræ Imperialis, teſtibus literis Friderici Imp. præſedit.

Guilielmus, ut ex tabularii Badenſis Chartis apparet, Mors ejus
uſque ad A. 1473. minimum fuit ſuperſtes; (*i*) per XXXII. annos Marchia ſua voluntario exilio quaſi extorris; Princeps animo & manu fortis.

Præter duos, de quibus infra, ex Eliſabetha Montfortia Uxor & liberi.
filios, ſuſcepit quoque Urſulam filiam, quam Jacobus Truchſeſſius, Eques auratus & Advocatus provincialis Sueviæ, duxit uxorem.

Eee 2

(*g*) Herrg. *Geneal. Habsb.* Tom. I. Lib. I. Cap. IX. §. IV.

(*h*) Tschudi l. c. pag. 441.

(*i*) In Charta An. 1473. die Ven. poſt Cantate ſcripſit ad Cæſarem, ſe cum filio ſuo (Rudolpho) rediiſſe in gratiam. Tabular. Bada - Durlac.

Digitized by Google

RUDOLFUS IV.

AB ANNO 1444. USQUE AD ANNUM 1487.

§. XXIII.

Auſpicia fauſta.

Natu major Wilhelmi filius, Rudolphus quartus, legitimam cum attigiſſet ætatem, Dynaſtiarum adminiſtrationem a tutore ſuo, Comite Friburgenſi, Johanne accepit, una cum fratre Hugone; qui paulo poſt cælebs e vita migravit. Idem Johannes An. 1444. eidem Rudolpho & Hugoni fratribus, cognatis ſuis, Dynaſtiam Badevillanam, cum omnibus juribus, libera & gratuita donatione, in proprietatem tradidit; unde gentilitiis Sauſenbergæ Rœtelæque titulis atque inſignibus axioma quoque & ſcutum Badevillæ acceſſit.

Anno 1444. die Jov. poſt S. Nic. Rudolphus de Ramſtein, Dom. in Gilgenberg, cum a Johanne de Flachslanden Caſtrum Landscron & judiciariam vici *Leymen*, in Sundgovia ſiti, poteſtatem, Dynaſtiæ Rœtelanæ feuda, comparaſſet, Wilhelmo & Hugoni fratribus, Hachbergæ Marchionibus, jus aperturæ; Flachslandiis jus reluitionis ad quadriennium adſcripſit.

Anno 1445. die Sat. ante Lætare Rudolfus Marchio pro matre ſua, Eliſabetha de Montfort, Domina Bragantii, Caſtri Grieſſenberg, in Turgovia ſiti, inveſtituram ab Alberto Auſtr. Friburgi Brisgoviæ recepit.

Digitized by Google

Anno 1451. pater Wilhelmus eidem Rudolpho Marchioni Nigram Silvam & Hauenſteinii Dynaſtias, cum Schœnavienſi & Totnavienſi vallibus, quas ab Auſtriacis oppigneratas retinuerat, tradidit.

Anno 1452. Fridericum Cæſarem in expeditione Romana ſecutus, confirmationem omnium privilegiorum & inprimis nundinarum Lœracenſium Romæ obtinuit.

§. XXIV.

Anno 1457. Novum Caſtrum ad Rudolphum IV. pervenit jure cognationis, quod nepos eſſet Annæ Friburgicæ, quæ maternum genus ad Rolinum, Novo-Caſtrenſis feudi primum poſſeſſorem, retulerat. Rolini enim neptis fuit mater Annæ Verena. Annæ autem nepos fuerat Marchio Rudolphus. Nepos aviæ eodem jure, quo neptis avo Rolino, ſucceſſit. Ita ſane Novo-Caſtrenſes cum Bernenſibus, concivibus ſuis, ſtatuerunt; atque adeo Conradum Friburgenſem & Rudolphum Sauſenbergenſem ſucceſſores agnoverunt legitimos, illosque conſilio ſuo ſuffulſerunt & opibus.

Comitatus Neoburg. hereditas.

Rudolphum Johannes Friburg. Conradi filius, A. 1457. apud Helvetios ſine prole decedens, Comitatus ſui ſcripſit heredem; nepos quod fuerat Annæ, amitam quam colebat Johannes. Ita Novi Caſtri Comitatus An. 1397. per filium ſororis ad Friburgenſes, ab his ad

Sauſenbergenſes Anno 1457. per amitæ nepotem tranſivit, ut Stemma hic additum nos docet.

§. XXV.

Hereditas controverſa.

Teſtamentum in Archiepiſcopatus Veſontini Prætorio depoſuit Johannes; eoque mortuo Officialis Veſont. illud aperiens, declaravit, Rudolphum de Sauſenberg in Comitatus Novi Caſtri poſſeſſionem immitti debere. Homagium Ludovico Arauſionenſi An. 1458. obtulit Rudolphus. At ille feudalem Comitatum ſibi, Domino directo, devolutum eſſe contendit; quin & Burgundiæ Sabaudiæque Duces propoſuit arbitros. Res a Judicio Veſontino Romam, & hinc a Pio II. Anno. 1462. ad Imperatorem trantlata. Anno 1463. Fridericus III. ſcripſit Rudolpho, ſe cogniturum de cauſa, atque Arauſionenſi mandaturum, ne quid in negotio hoc innovet. (*l*) Imperator num ſententiam tulerit, non equidem reperio. Bernenſes pro Rudolpho ſteterunt, qui apud eos jus Civitatis Anno 1458. obtinuit, & a Salodurenſibus quoque receptus eſt Civis. (*m*) Marchio in poſſeſſione Novi Caſtri permanſit; plurium Helvetiæ Cantonum conſtans amicus. Unde

(*l*) *Reflexion ſur la Reponſe de Mad. de Lesdiguieres* pag. 38. ſq. ubi relatio ex ipſis actis deſumpta.

(*m*) Inſtrumentum in LEIBNITII *Cod. Jur. Gent.* Mantiſſæ Part. II. pag. 115. Conf. LEU *Lexic. Helvet.* Tom. XIV. pag. 42. ſqq.

II.

ad pag. 406.

U S
BURGENSES ET PER
-SAUSENBERGENSES.

ES. *MARCHIONES HACHBERGA-SAUSENBERGENSES.*

Rudolfus II. Marchio † 1352.

Rudolfus III. Marchio Landgraviatum Briſgoviæ Conrado III. Comiti Friburg. in feudum confert. † 1428.

elmus Marchio, filiis ſuis regimen An. 1441. tradit. poſt 1473.

A. 1444. & in Comitatu Novi Caſtri ſuccedit Cabillono-Araus. Johanni Comiti Friburg.

Hugo † 1444.

Digitized by Google

etiam ortis Carolum Audacem inter & Helvetios bellis, Rudolphus Novum Caſtrum, ut & Rœtelanam ac Sauſenbergæ Dynaſtias Bernenſium atque Salodurenſium tutelæ, cuſtodiæque A. 1474. commiſit; quin & admiſit, ut incolæ jusjurandum fidei Cantonibus præſtarent. (*n*) Inter præſidiarios hos quingenti erant Rœtelani, ſub Bernenſibus militantes Præfectis. Quin & maximam temporis partem, quo Burgundicum iſtud efferbuerat bellum, Marchio noſter Bernæ tranſegit. Id vero prorſus ſingulare, permiſiſſe Helvetios, ut Rudolphi filius, Philippus, in Caroli Burgundi caſtris militaret, (*o*) qui ob id ipſum Literas ſalvi conductus (*p*) pro Marchicis terris Rudolpho conceſſit; qui, durante ſuo apud Novo-Caſtrenſes regimine, privilegiis novis gratum ſe civibus reddidit

§. XXVI.

Eodem fere tempore, quo poſſeſſionem Novi Caſtri Rudolphus adierat, (*q*) litem cum Johanne Baſil. Epiſcopo, ob vicos Weil, Tüllicken, Riechen & Schliengen, diu agitatam, amica compoſitione terminavit. Acta ab A. 1458.

(*n*) Caroli Burgundi, præſidiarios quoque milites offerentis, oblata recuſavit Rudolphus. LEU *Lex. Helvet.* loc. alleg.

(*o*) Ex Actis Helveticis hæc omnia dilucidavit LEU Tom. XIV. pag. 42. ſqq.

(*p*) *Lettres de Sauvegarde.*

(*q*) A. 1458.

Digitized by Google

Anno 1464. a Monaſterio S. Georgii in Silva Nigra curtem in Kleinkembs, ut & aliam, ſitam in Blanſingen, coëmit.

Anno 1469. Sigismundus Auſtriacus, Helvetiorum hoſtis, hoſtem illis longe potentiorem oppoſiturus, quidquid in Alſatia, Brisgovia & Nigra Silva poſſederat, pro 80000. florenis aureis jure antichreſeos Carolo, Burgundionum Duci, vendidit. Carolus mox Rudolphum noſtrum March. conſtituit, ut Provincias has, earumque oppida & vicos, nomine ſuo in obſequium reciperet. (*r*) Petrus autem Hagenbachius, Eques Alſatus, Præfectus his Provincialibus datus, ob innumera ſcelera, A. 1474. ab Helvetiis judicibus, quibus ille ſubjectus non fuerat, damnatus ad mortem, percuſſus eſt enſe. (*s*)

In Literis Anshelmi de Maſonis Monaſterio & Rudolphi de Brunighoven A. 1471. *Ducatus Lucelburgici & Comitatus Chini Gubernator* Rudolphus noſter appellatur. (*t*)

A Berenfelſiis Nobilibus A. 1476. cenſum in Herticken & Ættickhen, iis oppigneratum, redemit.

Anno

(*r*) URSTISII *Chron. Baſil.* Lib. VI. pag. 433.

(*s*) *Alſatia Illuſtr.* Tom. II. pag. 598.

(*t*) *Mon redoubté Seigneur M. le Marquis de Hochberg, Gouverneur des Duchés de Luxembourg & Conté de Chini.* Cel. ISELIUS in notis ad TSCHUDII *Chron. Helvet.* Tom. II. pag. 710. ſq.

Digitized by Google

Anno 1483. habito in Caſtro Rœtelenſi judicio, Johannis Fœrſteri, parochi Haltingenſis & Capellani Rœtelani, ſpurio ſanguine nati, hereditas Rudolpho Marchioni, Germaniæ & ditionis ſuæ moribus, addicta eſt.

Anno 1484. Caſparus de Blumeneck, Miles, Rudolpho Marchioni literas antigraphas, de jure reluitionis vicorum *Thüngen* & *Mengen*, quos ab Antonii de Pforr heredibus emerat, exhibuit.

§. XXVII.

Anno 1487. deceſſit Rudolphus quartus, LX. circiter annos natus, quorum maximam partem felici terrarum ſuarum regimine, magna cum juſtitiæ & parſimoniæ laude, tranſegit; loca, quæ oppignerata fuerant, ſollicite redimens. Rudolfi mors.

Uxor ejus fuerat Margaretha de Vienna, Mariæ de Cabilone, quæ Johanni, Comiti Friburgenſi poſtremo, nupſerat, ex ſorore neptis. Margaretha hæc unica fuerat filia Guilielmi de Vienna, Domini de S. Georgio & S. Cruce, in Burgundiæ Ducatu; (*u*) ex qua filium ſuſcepit Philippum, ad quem ex Uxor & filius.

(*u*) Guilielmus hic ex Primoribus Aulæ ſub Philippo Audace & Johanne Intrepido, Burgundiæ Ducibus, fuit & quandoque exercitus dux. Frequens in Chartis Burgundicis ejus mentio apud Plancher *Hiſt. de Bourgogne* Tom. III. Prob. pag. 317. ſpeciatim in Charta A. 1424. Add. *Genealogies Hiſtor. des Souverains* Tom. IV. pag. 316. Comparet præcipuè ab A. 1379. uſque ad A. 1420.

Digitized by Google

paternis & maternis Burgundiæ bonis aliquid redundare debuerat. Cauſſa hæc eſt, ob quam Philippus in Caroli Audacis exercitu militavit; pater tranquillus dum apud Bernates ſederet.

STEMMA PATERNUM MARGARETHÆ RUDOLPHI IV. UXORIS.

WILHELMUS de Vienna, Dominus S. Georgii & S. Crucis, teſtamentum condidit A. 1434.

JOHANNES † improlis.	MARGARETHA uxor RUDOLPHI March. Hachberga-Sauſenbergici.

STEMMA MATERNUM MARGARETHÆ.

JOHANNES III. de Cabilone, primus ex gente ſua Arauſ. Princeps † 1418.

LUDOVICUS Bonus † 1463.	ALIX de Cabilone, ux. Guilielmi de Vienna, Domini de S. Georgio.	MARIA uxor Johannis, Comitis Friburg. & Novi Caſtri, qui † 1458.

MARGARETHA de Vienna, uxor Rudolfi IV. Marchionis Hachberga-Sauſenbergici, qui † 1487.

PHILIPPUS Marchio † 1503.

Digitized by Google

Rudolphus Marchio, quum Margarethæ frater Johannes de Vienna, moreretur improles, ex ſoceri hereditate partem aliquam ad uxorem ſuam devolutam eſſe arbitratus eſt. Lis itaque de Wilhelmiana hereditate exorta. Virtute teſtamenti Wilhelmi ſenioris, proximus ex ſubſtitutis heredibus ſuperſtes, Wilhelmus de Vienna, Dominus de Mombis, eam omnem poſtulabat. Res coram ſupremo Burgundiæ tribunali acta, donec An. 1467. tranſigeretur. Carolus Audax, Burgundiæ Dux, d. 25. Martii transactionem firmavit Bruxellis; vi cujus hereditas univerſa inter litigantes communis eſſe debuerat; niſi quod Rudolpho Marchioni uxoris nomine Dominium S. Georgii, *Seurre* (x) & *Louhan*, (y) ut & Dynaſtia *Joux* attributæ fuerunt. Hereditas

Rudolphus IV. tranquilli fuit animi Princeps, non ut pater bellator, nec ceteris ei dotibus par; niſi quod eum ſuperavit parſimonia, ſuperavit felicitate, opibus atque divitiis. Tanta fuit ejus fortuna, ut duas Dynaſtias, non mediocres, Badevillanam & Novo-Caſtrenſem Helveticam, intra XIII. annos, ſine armis, ſine bello, quin & absque labore, teſtamentis acquireret. Character.

Fff 2

(x) *Seurre*, oppidum, hodie *Bellegarde*, quod nomen ei a Ludovico XIII. impoſitum, cum An. 1620. titulo Ducatus condecoraretur.

(y) *Louhan*, oppidum quoque.

Digitized by Google

PHILIPPUS.

AB ANNO 1487. USQUE AD ANNUM 1503.

§. XXVIII.

Acta vivo patre.

Carolus Audax quum An. 1477. in prœlio ad Nancejum periiſſet, Philippus quoque interfuit prœlio. (z) Extincta cum Carolo Burgundica Domo, ad Galliæ partes ſe applicuit Philippus; non ſemel militans in acie Gallorum, qui Burgundiam ſuo regno junxerunt. Maximam dein temporis partem in Helvetica Novi Caſtri Dynaſtia tranſegit; ubi natus & educatus eſt Burgundicis moribus a matre Burgundica.

Patre adhuc vivo Philippus jam vocatus eſt *Dynaſta Badevillæ*. Hanc enim Dynaſtiam ei conceſſerat pater, quum An. 1476. Mariam Sabaudicam duxiſſet uxorem.

§. XXIX.

Mutuæ ſucceſſ. pactum.

Memorabilis in Hiſtoria Badenſi eſt Annus 1490. quo Philippus noſter, communium cum Badenſibus originum memor, cum Chriſtophoro, Badæ Marchione, mutuæ ſucceſſionis pactum his legibus inivit, ut Chriſtophoro ſine maſculis decedente heredibus, Hachberga-Sauſenbergicus Marchio, ejusve maſculi

(z) SCHILTER *ad Kœnigshov.* pag. 385. ubi: *der jung Margraff von Rœtel* dicitur.

Digitized by Google

heredes, Marchiam Hachbergicam, quam Badenſes jam A. 1415. emerant, cum Caſtris Hachberg & Hœhingen, cum oppido Sulzberg, aliisque inde pendentibus locis obtinerent. Decedente autem ſine maſculis heredibus Philippo, Chriſtophorus ejusque maſculi heredes, Rœtelenſe, Sauſenbergicum & Badevillanum Dominia, cum oppido Schopfen & aliis, nullo bonorum diſcrimine, ſive propria ſive feudalia ſint, acciperent.

In hæc pacta Marchiones, eorumque Conſiliarii & Officiales reliqui, ut & Dynaſtiarum incolæ jurarunt; Epiſcopi Baſilienſis ratione feudorum, ab eo pendentium, accedente conſenſu. Cumque Hachbergenſis Marchionatus feudum Imperii eſſet, Rœtelenſe Caſtrum autem & oppidum Schopfen Domus Auſtriacæ feuda reputarentur, (*a*) Marchiones Fridericum III. Imper. eoque mortuo Maximilianum I., ut Cæſares & Auſtriæ Duces, pactum iſtud ut confirmarent, rogarunt. Quamvis autem Maximilianus jam An. 1495. Philippo noſtro jurisdictionem criminalem per omnes terras ei ſubjectas, Literis Antwerpiæ d. 14. Octobris datis, in feudum conceſſerit; pacti tamen mutuæ ſucceſſionis confirmatio demum A. 1499. ſecuta eſt, quum nempe die 13. Aug. Imperator in Brisgovia verſaretur Friburgi. Confirmationi huic Cæſar inſeruit, Schopfhemium & Rœtelam eſſe Auſtriæ feuda; ſed

(*a*) Feudalis hujus nexus, qui A. 1741. ſolenni conventione cum Auguſtiſſ. Maria Theresia ſublatus eſt, ignoratur origo.

Digitized by Google

contra hoc aſſertum Chriſtophorus conſtanter proteſtatus eſt, nec de illis unquam inveſtituram accepit.

Pacti hujus Philippum deinceps pœnituiſſe, ex Maximiliani I. Imp. literis, die ult. Jun. An. 1503. Lindaviæ ad Rudolfum de Blumeneck, Advocatum Rœtelanum, datis, apparet, quibus eum hortatur, ut jus ſuccedendi Chriſtophori Badenſis ſtrenue defendat, atque Philippum Marchionem ejusque Miniſtros avertat, ne quid novi moliantur.

§. XXX.

Acta reliqua.

Ad Neocomum ſeu Novum Caſtrum quod attinet, Comitatenſibus illis libertates ſuas confirmavit, quin & Civitatis jus cum Berna & Friburgo, paulo poſt cum Lucerna, renovavit Philippus; (*b*) qui ſubodoraverat conſilia Cæſaris. Maximilianus I. enim, neſcio quam ob cauſam, infenſus Philippo, An. 1498. Neo-Comenſem Comitatum ad Imperium rediiſſe declarans, pro modica eum pecuniæ ſumma Bernenſibus obtulit, qui emptionem recuſarunt. (*c*)

In Suevico, quod inſecutum eſt, bello pro Helvetiis contra Cæſarem ſtetit Philippus; poſt extinctos Burgundiæ Duces Galliæ

(*b*) An. 1497. & 1499.

(*c*) LEU *Lexic. Helvet.* Tom. XIV. pag. 43.

Digitized by Google

quoque ſatis addictus; ſed præſertim Helvetiis, quorum auxilio ille contra Cæſarem, contra Arauſionenſes, contra Sabaudiæ Ducem, egebat.

Anno 1503. Philippus pro Johanna, unica ſua filia herede, quam ex Maria Sabaudica genuerat, Bernæ & Lucernæ jus Civitatis obtinuit.

§. XXXI.

Eodem anno vitam cum morte commutavit Philippus, Neo-Comi mortuus atque ſepultus, Sauſenbergici rami poſtremus; mutabilis ingenii Princeps; patri avoque impar felicitate, virtute. Philippi mors.

Johanna patris ſui cor, plumbea ciſta incluſum, equo, quem pannus ater operuit, imponi atque ex Novo Caſtro Rœtelam, comitantibus quatuor Nobilibus & aliquot Clericis, duci juſſit; ut ibi apud majores ſuos componeretur. Rudolphus de Blumeneck, a Chriſtophoro præfectus Rœtelæ, cum Sacerdotibus & Subpræfectis funus ad cœmeterium uſque comitatus eſt. Cœnam vero, quam Novo-Caſtrenſibus, Chriſtophori nomine, Præfectus obtulerat, illi ſuperbe aſpernati ſunt. (*d*) Sepultura.

(*d*) Foersterus adſcribit Mariæ matri, quod Johannæ filiæ tribuendum. Hæc enim cor patris ſui Rœtelam transmiſit. Maria jam An. 1500. deceſſerat.

Digitized by Google

Tituli ejus.

Titulos Philippi plenos GUICHENONIUS (*e*) exponit. Vocavit ſe Dynaſtam S. Georgii & S. Crucis, quæ Dominia, in Burgundiæ Ducatu Lugdunum inter & Cabilonem ſita, Margaretha, Rudolphi IV. uxor; de qua ſupra, ad filium Philippum neptemque Johannam transmiſit. Inſtrumento mutuæ ſucceſſionis, quod An. 1490. cum Chriſtophoro Badenſi Philippus inivit, additum eſt ſigillum, in quo legitur: „ S. Philippi Marchionis de Hachberg, „ Comitis Novi Caſtri, Domini de Rotthelin, Suſenbourg, de „ S. Georgio & S. Cruce.

§. XXXII.

Uxor ejus.

Uxor Philippi fuit Maria, Amadei IX. Ducis Sabaudiæ filia, Caroli I. Ducis ſoror, quæ An. 1476. ei deſponſata Lauſannæ. URSTISIUS (*f*) memorat, Rudolphum, Philippi patrem, in matrimonii hujus favorem ordinaſſe, ne Dynaſtiæ Rœteln, Sauſenberg & Badenweiler ad alios liberos, quam ex matrimonio hoc procreatos, unquam poſſent transferri.

Maria

(*e*) *Philippes Marquis d'Hocberg, de la Maiſon des Marquis de Bade, Comte Souverain de Neufchatel en Suiſſe, Seigneur de Rotelin, de Suſemberg, de S. George, de S. Croix & de Badenvilliers, Marechal de Bourgogne.*

(*f*) *Chron. Baſil.* pag. 64.

Maria d. 27. Nov. Anno 1500. deceſſit Divione, in Dominicanorum Eccleſia ibidem ſepulta. (*g*)

Dotem ei promiſſam quum nec Carolus frater, An. 1489. mortuus, nec Philibertus, Sabaudiæ Dux, ex Ludovici Ducis Linea juniore natus, ſolviſſet, Maria movit querelam, quæ eruptura videbatur in bellum. Res denique Berna, Lucerna, Friburgo & Saloduro intervenientibus, compoſita eſt. (*h*)

§. XXXIII.

Ex matrimonio Philippi unica prodiit filia, Johanna, quam Philippus deſtinaverat Philippo, Chriſtophori Marchionis Badenſis filio, atque hinc An. 1490. mutuæ ſucceſſionis pactum cum eo iniverat. Is in harum nuptiarum ſpem in Aula Philippi educatus eſt; gener & ſucceſſor futurus. At Ludovicus XII. Galliæ Rex, cum An. 1498. ſolium conſcendiſſet, Philippum induxit, ut ei promitteret, nemini ſe deſponſaturum Johannam, ſine ejus præſcitu. In Francica tum Aula vivebat Ludovicus de Johanna filia.

(*g*) Monumentum ejus GUICHENONIUS exhibet *Hiſtoire de Savoye* Tom. I. pag. 560. ſq. Inſcriptio hæc eſt: „ Cy giſt Marie fille du Duc Edme „ de Savoye & de Madame Yoland de France, Femme de haut & puiſſant „ Seigneur Meſſire Philippes de Hocberg, Marquis de Rothelin, Comte „ de Neufchatel, la quelle treſpaſſa le XXVII. de Novembr. MD.

(*h*) GUICHENON loc. alleg. pag. 560.

Digitized by Google

Longovilla, nepos Johannis, filii naturalis Ludovici, Ducis Aurelianenſis, qui Caroli V. Galliæ Regis filius erat, junior natu. Ludovico huic Longovillano, conſanguineo ſuo, Rex favens perſuaſit Philippo, ut matrimonium Johannæ cum Longovillano præferret.

§. XXXIV.

Matrimonium ejus

Enimvero in Burgundia Transjurana natus & educatus Philippus, linguæ & moribus aſſuetus Burgundicis, Sabaudicam quoque habens uxorem, Francico Principi maluit, quam Germanico, deſponſare filiam, a Germanicis quoque moribus alienam; accedente deſiderio placendi Regi Galliarum. Nuptias tamen nonniſi mortuo patre celebravit Johanna; (*i*) quæ ex paterna hereditate ſolum Neo-Comenſem Comitatum cum Dynaſtiis S. Georgii & S. Crucis accepit. Brisgovicæ terræ adChriſtophorum, Badæ Marchionem, vi pacti familiæ An. 1490. initi, tranſierunt. Lites ejus cum Johanna in Badenſibus rebus exponimus.

Maritus ejus, Longovillæ Dux, Magnus Franciæ Camerarius, Gubernator Provinciæ, inter præcipuos Galliæ Proceres reputatus, in prœlio contra Anglos An. 1513. in Picardia, An. 1515. ad Marignanum contra Helvetios captus, Anno 1516.

(*i*) Anno 1504.

Digitized by Google

deceſſit. (*l*) Titulo Marchionis *Rotelæ* uſus eſt, Dynaſtia hac licet careret. Johanna vero, per totos XXVII. annos marito ſuperſtes, nonniſi An. 1543. in Burgundia deceſſit. (*m*)

§. XXXV.

Ex matrimonio hoc notandus nobis eſt Franciſcus, Marchio de Rothelin, Novi Caſtri Comes, Gentis Longovillanæ continuator, natus An. 1513. in bellis Franciſci I. contra Carolum V. athleta ſtrenuus, qui quinquennio poſt matrem deceſſit. Heredes.

Perſtitit autem Novi Caſtri Comitatus in Longovillana Familia uſque ad ejus interitum. Enimvero Franciſcus, Novi Caſtri Comes, filium legitimum reliquit & ſpurium. Legitimus fuit Leonorus; cujus pronepos Johannes Ludovicus, Gentis ſuæ poſtremus, Novi Caſtri poſſeſſor, Anno 1694. cælebs deceſſit. Illegitimus autem Franciſci filius, Franciſcus, Marchionis Rothelini nomen & genus ad noſtrum uſque ævum propagavit. (*n*)

§. XXXVI.

Novi Caſtri Comitatus ergo, poſtquam Rudolphus & Philippus, Sauſenbergæ Marchiones, per XLVI. annos eum Succeſſio Neoburg. controverſa.

(*l*) ANSELME *Hiſtoire Genealogique de France* Tom. I. pag. 217.

(*m*) D. 21. Sept. in vico Burgundico *Epoiſſes*.

(*n*) ANSELME loc. alleg. pag. 224.

rexiſſent, ad Longovillanos tranſivit. Scriptores, qui Brandenburgica in Novum Caſtrum jura A. 1707. defenderant, LUDEWIGIUS (o) atque GUNDLINGIUS, (p) non-modo Friburgi Comites, ſed & Sauſenbergicos noſtros uſurpationis accuſant; injuriam Domui Cabilono-Arauſionenſi ab utrisque illatam fuiſſe, aperte profeſſi. Pro Sauſenbergicis tamen eadem militaverunt arma, quibus antea Comites pugnaverant Friburgi; (q) quod ultimo poſſeſſori, cognato ſuo, proxime juncti, Burgundico more proximi fuerint heredes feudales; per feminas licet, quas Burgundica feuda admittunt, ſuum genus ducentes; feudumque adeo femininum ad Cabilono-Arauſios, tanquam ad Dominos directos, non modo agnatis, ſed & cognatis extinctis, demum poſſent redire.

Neque profecto negandum eſt, extincta Rolini proſapia, quum collaterales cognati Comitatum Neo-Comenſem adiiſſent, contradixiſſe Arauſios, ad ſe tanquam Dominos directos pleno eum jure recidiſſe clamantes. Proteſtationem repetierunt Arauſii, quum Comites Friburgi, quum Sauſenbergæ Marchiones, quum Longovillani eundem Comitatum occupaſſent. Philibertus, Princeps Arauſionenſis, tum temporis minor cum fuiſſet ætate,

(o) JOH. PETR. de LUDEWIG in Libro, cui Tit. *Preuſſiſches Neuburg* p. 106. ſqq.

(p) *Hiſtoriſche Nachricht von Neuſchatel* pag. 15.

(q) Vide ſupra in Conrado, Comite Friburgi, pag. 258. ſq.

Digitized by Google

mater ejus Bernenſium contra Longovillanum imploravit auxilium. (r)

Verum enimvero irriti fuerunt omnes Arauſiorum ad ſeculum uſque noſtrum conatus. Poſtquam enim omnis Longovillana, & maſculina & feminnia, legitima ſoboles cum Maria, Henrici Ducis Nemoroſii vidua, Anno 1707. periiſſet, Brandenburgi Elector, Boruſſiæ Rex primus, per Ludovicam matrem, Henrici Friderici, Principis Arauſionis, filiam jurium Arauſionenſium heres, Novo Caſtrenſem Comitatum obtinuit & Brandenburgicæ ſuæ Genti vindicavit.

§ XXXVII.

Sauſenbergæ Marchiones, Anno 1503. extincti, quum Rœtelenſem Dynaſtiam An. 1315. obtinuiſſent, appellari voluerunt *Marchiones de Hachberg*, *Dynaſtæ in Rœteln* & *Sauſenberg*. (s) Rudolphus IV. Sauſenberg. Dynaſtiam Badevillanam An. 1444. atque deinceps Comitatum Novi Caſtri A. 1457. cum ſuis terris junxiſſet, *Marchio Hachbergæ*, *Comes Neoburgi*, *Dominus in Rœteln*, *Sauſenberg & Badenweiler*, vocari ſolebat. Titulum

Tituli Familiæ Sauſenberg.

(r) LEU *Lexic. Helvet.* Tom. XIV. pag. 43.

(s) TSCHUDIUS in *Chron. Helvet.* Tom. II. Add. Charta apud Perilluſtr. SENCKENBERG *de Jure ſucced. proximæ fœminæ Illuſtr.* Num. XVI. pag. 35.

Digitized by Google

hunc Dynaſtiis quibusdam ex materna hereditate Burgundicis, uti vidimus, auxit. Axioma *Marchionis de Sauſenberg* rarius occurrit. Legitur in Rudolphi & Ottonis Marchionum Charta An. 1336. in qua Marggravii Sauſenbergæ & Domini in Rœteln dicuntur. (*t*) Ab Erneſti Marchionis temporibus invaluit uſus tituli Landgravii in Sauſenberg.

Inſignia. Ceterum Marchiones Hachbergicæ pariter ac Sauſenbergicæ lineæ, & priores quidem conſtanter, uno eodemque cum Badenſibus uſi ſunt Inſigni. At Sauſenbergica ante interitum ſuum ſcuto ſuo areolam Novo-Caſtrenſem cum palo cantheriato adjecit.

Ita Hachbergicæ Periodo imponimus finem, eique appendicis loco ſubjungimus Brisgovici Landgraviatus Hiſtoriam, qui ſub hac præſertim Marchionum Periodo viguit. Landgraviatum excipient Rœtelæ & Uſenbergæ Dynaſtæ, quorum terræ Hachbergicis, ut vidimus, maximam partem acceſſerunt.

(*t*) *Wir Rudolf und Otte gebrudere, Margrafen von Suſenberg und Herren ze Rœtellein.*

LAND-

LANDGRAVIATUS BRISGOVIÆ.

§. I.

Indoles, migratio & fata Landgraviæ Briſgovicæ difficillimam Civilis Hiſtoriæ Briſgoviorum conſtituunt partem; id quod in Landgraviatibus Alſaticis quoque ſuo loco (*a*) annotavi. Argumentum hoc ex Scriptoribus nullum aut debile, ex Diplomatibus & Chartis, quas undiquaque collegimus, præcipuum accipit lumen. **Introitus.**

Comitivæ hæ Provinciales, Rheno tantum inter ſe diſtinctæ, ſimile exordium, ſimilia decrementa habuerunt; tanta decrementa, ut Landgraviatum Briſgoviæ in ipſo hodie Landgraviatu requiras.

Briſgoviæ Pagum ab Alſatia, Baſelgovia & Auguſtigovia Rhenus, ab Ortenavia amnis Bleicha, ab Alpigovia Silvæ Nigræ cacumina, apex denique ejusdem Silvæ ad Rhenum uſque proſiliens (*b*) a Baſilea minoris agro diſterminat. **Briſgoviæ limites.**

(*a*) *Alſatiæ Illuſtr.* Tom. II. pag. 12. & 126.

(*b*) Vulgo *Creuzacher Horn*, *Horn vom Schwarzwald.* Simili modo *Horn des Blauens*, apex Vogeſi dicitur apud URSTIS. *Chron. Baſil.* pag. 20.

Libertas

Briſgovia, ut omnis Suevia, libera ſemper fuit Imperii ſine medio provincia, Ingenuis, Militibus, Liberis Dominis, Dynaſtis, Civitatibus & ſacris Ordinibus plena. In ea plures erant Manſi, Curtes & Vici regales; ſilvæ, flumina, vectigalia, metallifodinæ; priſtina fiſci Cæſarei domania.

Magiſtratus.

Bellum adminiſtrare, pacem publicam conſervare, politiæ totius provinciæ quovis modo proſpicere, Ducis fuit officium, quem Briſgovia multis ſeculis cum Suevia & Alſatia communem habuit magiſtratum Imperii, non propria poteſtate pollentem. Jurisdictio autem commiſſa fuit Comiti, qui ab initio ſimpliciter *Comes*, inde *Comes Provincialis*, lingua patria *Landrichter*, frequentius *Landgrav*, dicebatur. Vir nobilis, pro arbitrio Regis conſtituendus & revocabilis Judex; donec temporis progreſſu Comitivæ illæ hereditariæ fierent, ab una ſtirpe vel linea tranſituræ ad aliam.

Periodi quinque Landgr.

Series Landgraviorum Briſgoviæ in V. Periodos opportune dividitur. *Vagam* appellamus eam, quæ omnium prima eſt, quod ab initio Comitiva certæ non inhæſerat Domui. Periodo vagæ *Zaringica*, *Hachbergica*, *Sauſenbergico - Friburgenſis*, *Badenſis* ſuo quæque ordine ſucceſſerunt. His enim quatuor Familiis, ex una Gente prognatis, Landgraviatus adhæſit.

EPOCHA

Digitized by Google

EPOCHA VAGA.

§. II.

In prima, quam novimus, Landgraviatus periodo San-Gallenſium traditionum Chartæ (*c*) Provincialium Brisgoviæ Comitum nomina ad primam uſque Carolingorum Franciæ Regum ætatem ſervarunt. Hujus generis memorias ſeculo VIII. vetuſtiores non offert Brisgovia. Comites ſec. VIII.

CHANCHARO.

Anno 758. ſub *Chancharone Comite* facta eſt S. Galli monaſterio traditio bonorum in Pago *Briſigaugenſi*, in villa *Mulinheimo*.

ADALARDUS.

Anno 765. Drutpertus quidam eidem monaſterio prædia & mancipia quædam in *Zarduna*, Brisgoviæ vico, (*Zarten*) ſub *Adalardo Comite* donavit.

(*c*) In *Genealogiæ Habsburgicæ* HERRGOTTI Diplomatico Codice.

Digitized by Google

UDALRICUS.

Anno 789. res quædam in Pago *Briſagauge*, in loco *Eboringa* (Efringen) ſub *Comite Oadalrico* San-Gallenſibus traditæ ſunt.

BERTOLDUS.

Anno 794. in pluribus Brisgoviæ locis, bona ſua *Berſtoldus Comes* iisdem Monachis conceſſit.

§. III.

WOLWINUS.

Comites ſec. IX.

Anno 805. enunciatur Wolwinus Comes in literis, quibus bona in *Priſigauge*, in marcis *Selidon* & *Antparinga* (Selden & Ampringen) San-Gallenſes dono acceperunt.

UDALRICUS.

Anno 806. Charta donationis bonorum, in Pago *Briſagauge* ſitorum, conſcripta in villa *Scrozzinga* (Crozzingen) *ſub Odalrico Comite.*

ARCHANGARIUS.

Anno 817. ſub Archangario Comite pars eccleſiæ in *Zartunu* (Zarten) cum aliis rebus S. Galli cœnobio tradita eſt.

Digitized by Google

K E R O L T U S.

Anno 837. Ramingus quidam in Pago *Priſſagaugenſe* quidquid in villa *Haholtinga* (Haltingen) alibique juris habuit, eidem monaſterio adſcripſit, *ſub Kerolto Comite.*

A L B E R I C U S.

Anno 856. alia ad Zartunam Abbatiæ San-Gallenſi facta eſt donatio, ſub *Albricho Comite;* quem plura S. Galli Inſtrumenta ab An. 862. ad 865. Pagi *Briſigauge* Comitem nobis manifeſtant, ubi *Albericus* & *Albarichus Comes* notatur.

C A R O L U S.

Anno 872. Remingus & Engelrammus fratres, quidquid in *Buabiliniswilare* habebant, San-Gallenſi Abbatiæ tradiderunt, „ anno XXXIII. Hludovvici Regis & ſub filio ejus Karolo, „ Rectore ejusdem Pagi, in quo præfatæ res ſitæ ſunt, id eſt, „ *Priſicowe.*

§. IV.

W O L W I N U S.

In loco *Tuomaringa*, in Pago *Priſahgewe*, *Wolwine exiſtente Comite* An. 890. facta eſt bonorum traditio, & octennio Comites ſec. X.

poſt *Rotileim* locus (Rœteln) in *Briſihgovve Comitatu Wolfuni*, qui idem ac *Wolwinus* eſſe videtur, ab Arnolfo Imp. ponitur; imo ſub *Wolfilino Comite* Luitfridiana S. Trudperti Charta donationis conſcripta eſt An. 903.

A D A L B E R O.

Sub Comite Adalberone S. Galli Abbatia res in Pago *Priſigaugenſe*, in villa *Witereswilare*, An. 909. dono accepit.

B E R N O L D U S.

Sub Bernoldo Comite in publico mallo, in oppido, quod dicitur *Chinichdorf* (Kinstorf) coram cuncta frequentia populi utriusque provinciæ, tam *Mortinove*, quam *Briſchgoviæ*, lis diremta eſt inter Monaſteria Etenheim & Waldkirch. Bernoldus itaque utrique provinciæ, Ortenaviæ & Brisgoviæ, præfuiſſe videtur Comes. Acta ſunt hæc An. 926.

L U D O L F U S.

Ottonis I. Regis Germ. filius Pago Brisgoviæ præfuit Comes, ut Ludovici Germ. filius, Carolus Craſſus, Imperator deinceps, eidem præfuerat. Teſtem hujus rei habemus ipſum Ottonem, in Diplomate An. 952. quo locum *Lielahe* in Pago *Briſachgowe*, in *Comitatu filii noſtri Liutolfi*, Einſidlenſi Abbatiæ

Digitized by Google

conceſſit. Ludolfus tum Alemanniæ & Alſatiæ Dux quoque erat. (*d*)

BIRTHILO.

Anno 968. *Pirihtilone Comite* Monaſterium S. Trudperti in Briſgovia cum San - Gallenſi concambium bonorum iniit. Prædium *Scaleja* ſive Schelingen in Pago *Briſiggowe* & in *Comitatu Birthilonis Comitis* ſitum, Otto III Imp. Anno 990. Wormatienſi Eccleſiæ donavit. Alias de Birthilonis hujus Comitatu probationes uſque ad An. 995. dedimus ſupra.

§. V.

BERTHOLDUS.

Anno 1004. Henricum II. Imp. Sulzbergenſi Cœnobio in loco Rincka, in Pago *Briſgowe*, *in Comitatu Bertholdi* mercatum conceſſiſſe, ſuperius quoque indicavimus. Comites ſec. XI.

ADELBERO.

Anno 1005. Henricus II. Rex Germ. prædium in Pago *Bryſichgowe* & *Comitatu Adelberonis Comitis* Præpoſito Eccleſiæ Baſil. donavit. Eundem Comitatum *Adalberonis Comitis* in Pago *Priſicheuue* Pirtelo in Charta Sulzbergenſi An. 1008. memorat.

(*d*) *Alſatiæ Illuſtr.* Tom. II. pag. 541.

Digitized by Google

EPOCHA ZARINGICA.

§. VI.

BERTOLDUS.

Bertoldus I. cum filio Hermanno.

Primum hunc Provinciæ Comitem in ſecunda, quam *Zaringicam* voco, Brisgovici Landgraviatus periodo reperimus.

Anno 1028. Conradus II. Imp. Eccleſiæ Baſil. mineras argenti dedit in Comitatu *Bertholdi* & in Pago *Briſichgowe*.

Ejusdem Comitatum in Pago *Bryſikegowe* prodit Diploma Henrici III. Imp. An. 1048. ut ſupra oſtendimus. Bertoldus hic brevi poſt, quam titulum Ducis ſumſiſſet, in filium ſuum Hermannum Comitis axioma transtulit; unde Heſſo Brisgoviæ Dynaſta An. 1052. domum & Cappellam fundaſſe legitur *Duce Bertoldo*, *Comite Herimanno.* Hermannus non ſuo, ſed paterno nomine, Comitatum adminiſtraſſe videtur, uti beneficio Cæſaris eum Bertoldus poſſedit, qui cum Henrici IV. Imp. gratia deinceps excideret, hoc quoque exutus eſt Comitatu. A. 1077. profectoCæſar „quendamComitatum ſitum inPago Brisgowe,Bertholfo „ jam non Duci, juſto judicio ſublatum, cum omnibus appenditiis „ legum, „ Eccleſiæ Argent. donavit. Cum vero Comitatus Brisgoviæ in poteſtate Zaringenſium, ut ex ſequentibus patebit, permanſerit, nec ullum veſtigium compareat, ex quo inferre

poſſimus, Argentinenſem Epiſcopum Comitivæ Brisgovicæ jura exercuiſſe, Cæſaream hanc donationem, aurea licet Bulla munitam, effectu caruiſſe cenſemus. (e)

§. VII.

HERMANNUS.

Anno 1087. locus, qui dicitur *Cella*, ſitus in Nigra Silva, *in Pago Brisgôwe, in Comitatu Herimanni Comitis*, Cluniacenſi Eccleſiæ a Burcardo Epiſcopo Baſil. per concambium traditus eſt. Chartam concambii teſtes ſignarunt *Bertolfus Dux*, *Herimannus Comes*, patruus & ex fratre nepos. Ita Hermannus II. Marchio Comitatu Brisgoviæ præfuit, ſub patruo Duce, uti Hermannus I. eundem rexerat ſub patre. **Hermannus II. Marchio.**

§. VIII.

BERTOLDUS.

Anno 1120. Bertoldus III. Dux Zaring. novæ ſuæ Civitati Friburgenſi privilegium dedit, ut omnis civis, volens inde recedere, rerum & corporis uſque in medium *Rhenum* & per *totum ſui Comitatus ambitum*, ſecuritatem habeat, Domino conducente. Comitatus hic intelligitur Provincialis Brisgoviæ. In *Comitatu* **Bertoldus III. Dux Zaring.**

(e) Vide ſupra in Bertoldo I. pag. 55.

Digitized by Google

Briſgaviæ cunctas venationes & argentifodinas Eccleſiæ Baſil. confirmat Innocentius II. Papa An. 1139. (*f*) ubi Clauſtrum de Sulzberg, Haltingen, Hyſtein, Chilchoven, Stouffen, Ampringen, Oeriſtetten, Opſingen, Zeringen, Biſchovingen, Briſach, aliaque loca Brisgoviæ commemorantur.

B E R T O L D U S.

Bertoldus IV. Dux.

Vivo patre Conrado, Duce Zaring. & Rectore Burgundiæ, BertoldusIV. inter Comites A. 1139. relatus, Brisgoviæ Comitatum adminiſtravit. Majoris placiti, in ipſa regione apud vicum Oſinennningen ab eo congregati, expreſſa mentio fit in Charta San-Petrina illius anni; cujus S. Petri in Nigra Silva Advocatiam, in Zaringica gente hereditariam, Bertoldus Comes tum quoque cum Landgraviatu poſſedit. (*g*) Idem poſtea, mortuo patre, An. 1169. cauſam de jure patronatus eccleſiarum aliquot Brisgoviæ judex decidit. (*h*)

(*f*) Herrg. *Genealog. Habsb.* Tom. II. num. 217.

(*g*) Vide in Bertoldo IV. Zaringiæ Duce ſupra §. II. pag. 124.

(*h*) Ibidem §. XVI. pag. 142.

EPOCHA

Digitized by Google

EPOCHA HACHBERGICA.

§. IX.

Tertia Periodus, quam *Hachbergicam* appello, Linea Zaringica Ducali extincta, ſuum capit initium. Tum enim Marchionum Bada-Hachbergenſium Linea, quæ junior fuit, in Landgraviatu Brisgoviæ, ut in Judiciario Imperii feudo, ad feminas non transeunte, ſucceſſit; quod Chartarum illius ævi nos docet auctoritas. Epochæ hujus initium.

In transactione cum Abbatia S. Blaſii ſuper montem Sauſenberg, quæ An. 1232. facta, Marchio Henricus junior jurato promiſit, „ ut nihil omnino preter ſervitium temporibus B. Ducis „ ſolitum per ſe vel per ſuos exigat vel percipiat de curtibus „ eccleſiæ S. Blaſii in Brisgaugia conſtitutis. „ Indicant hæc ſucceſſionem Badenſium Marchionum in Bertoldi V. Ducis Zaringiæ feudalia Brisgoviæ jura; quod allodialium hereditas ad Bertoldi ſorores omnis tranſivit. Non aliud profecto excogitaveris feudum, cui univerſæ S. Blaſii per Brisgoviam poſſeſſiones obnoxiæ fuerint,

Digitized by Google

præter Comitatum Provincialem, quem Hachbergenſes Marchiones conſtanter adminiſtrarunt. (*i*)

Videtur quoque huc referri debere ſententia Henrici Regis Rom. An. 1234. in Curia Principum Francofurti pronuntiata, qua Hermannus Marchio Eginoni, Comiti Friburg. de argentifodinis & cuſtodiis ſilvarum Briſgoviæ litem movens, cecidit cauſa. (*l*) Regalia iſta jura, quæ feudo ſuo Landgraviatus inhærere crediderat Marchio, Cæſarum liberalitate ad Epiſcopum Baſil. hujusque inveſtitura ad Friburgi Comites pedetentim pervenerant.

Comitatus autem Briſgoviæ, quamvis poſt Zaringiæ Ducum interitum ad Bada-Hachbergicos Marchiones ſpectaverit, nullius tamen Landgravialis eorum actus, ante Rudolfi I. Imp. ætatem, memoria extat. Turbatis toto fere ſec. XIII. Germaniæ rebus non judicio diſceptatum, ſed armis, donec ſolium Imperiale Anno 1273. conſcendit Rudolphus.

(*i*) STAPFIUS in *Vindiciis Superioritatis Auſtriacæ*, An. 1721. Friburgi editis, pag. 18. Landgraviatum Briſgoviæ a Zaringis ad Friburgi Comites, non ad Hachbergæ Marchiones, quos præterit ſilentio, perveniſſe ſcribit.

(*l*) GOLDAST *Catholicon rei monet.* pag. 101. DU MONT *Corps Diplom.* Tom. I. Part. I. pag. 173.

§. X.

HENRICUS II.

MARCHIO.

Anno 1276. die Merc. poſt S. Galli Marchio Heinricus de *Hahperg*, *Landgravius Brisgoviæ*, Judicio provinciali habito, cives Friburgenſes a jurisdictione ſua Landgraviali Cæſarum privilegiis immunes eſſe profeſſus eſt. Eodem anno die Merc. ante feſtrum Nativ. Mariæ, Brombaci, Dynaſtiæ Rœtelanæ vico, Henricus ille Marchio Judicium aliud provinciale in eadem cauſa habuit. *(m)* Judicia varia Landgr.

An. 1279. nobilis vir H. Marchio de *Hahper* a Rudolfo I. Imp. Vindobonæ pro tribunali ſedente, obtinuit decretum, ut in nulla *Comicia* ſive Landgraviatu absque Comitis ſeu Landgravii conſenſu caſtrum vel alia quævis munitio ædificari liceat. Uſos hac ſententia Marchiones Hachbergæ, ut Landgravios Brisgoviæ, exempla, quæ inferius produco, docent.

Anno 1289. Rudolſus I. Imp. Baſileæ commoratus, lites inter Eginonem, Comitem Friburg. atque civitatem hujus nominis agitatas componens, Argentinenſis & Baſilienſis Epiſcoporum,

Iii 2

(m) Tabular. Civit. Friburg.

Digitized by Google

nec non Heinrici, Marchionis Hachbergici, Judicis provincialis Brisgoviæ, (*n*) conſiliis uſus eſt.

§. XI.

HENRICUS III. ET RUDOLFUS I. FRATRES.

Judicia alia Landgr.

Anno 1296. Heinricus & Rudolfus, fratres, Marchiones Hachbergæ & Brisgoviæ Landgravii nominantur in Charta, in qua Ulricus de Eyſtatt, ipſorum nomine Teningæ pro tribunali ſedens, feuda intra anni ſpatium per inveſtituram non recepta, ad Dominum directum redire debere, pronuntiavit. (*o*)

Fratres hi, quorum ille Hachbergenſis, hic Sauſenbergicæ Lineæ ſator, conjunctim & indiviſim tum Landgraviatum poſſidebant.

(*n*) Rudolfus in Charta compoſitionis Henricum Marchionem vocat *des eidilne Herrin von Gottes gnaden Margravin Heinrichs von Hochperg der Lantrichter iſt in Brisgöwe.* Vid. LEX. BASIL. voce *Hachberg.*

(*o*) Charta hæc ad An. 1226. ponitur, errore 70. annorum. Unde Henrico patri & Rudolfo filio attribuere Scriptores, quæ attribuenda ſunt fratribus. Autographum Chartæ, ipſo Henrici Marchionis de Hachberg ſigillo firmatum, extat in Tabulario Bada-Durlac. Anachroniſmus iſte irrepſit in ſcriptum, cui Tit. *Oeſterreichiſche Beantwortung der Bayriſchen Ausführung, zweiter Abſatz* pag. 58. ſq.

An. 1398. Heinricus *Marcgravius de Hahperg, Lantgravius Brisgoviæ*, die Merc. poſt S. Mariæ Magd. judex ſedit in Waldkirch, quum Wilhelmus Dynaſta Schwarzenberg, una cum conjuge ſua & curatore ejus, Egone Comite Friburg. curiam ſuam in Teningen vendidit.

Anno 1305. idem Henricus Landgravius judicium & adventitios homines Tenzlingæ Rudolfo Turnero, Militi Friburg. ejusque fratri Johanni, in ſubfeudum Landgraviale contulit; annoque ſequenti judicio feudali, Burghemii ad Rhenum habito, Johannem de Spanegke, Spenlini filium, contumaciæ damnavit, accuſante eum Rudolfo Marchione, Henrici fratre.

Anno 1309. Walramus, Thierſteinenſis Comes, provinciale Judicium celebravit Sliengæ, nomine Rudolfi Marchionis, Landgravii Brisgoviæ, cui ipſi Walramus Caſtrum *Spanecge*, vicum Ychtingen, aliaque bona addixit. (*p*)

§. XII.

HENRICUS III. ET RUDOLFI I. FILII.

Caſtrum Schnefeld. extructum.

Anno 1314. Heinricus Marggravius, ſuo & Rudolfi, fratris ſui nuper defuncti, filiorum nomine, Landgravialem

(*p*) Confr. ſupra Hachberga - Saufenberg. pag. 378.

poteſtâtem exercens, Conrado Diet. Schnevelino permiſit, ut in omni Brisgoviæ parte, terris Marchicis tantum exceptis, vel in montibus vel in convallibus, planisque caſtrum exſtrueret. Charta data Friburgi. Schnevelinus, hac munitus Landgraviali licentia, Hachbergam inter & Emmedingam munimentum condidit *Schnefelden.* (*q*)

Poſt hæc ſolos Hachberga - Sauſenbergicæ Lineæ Marchiones, a Rudolfo I. ejus auctore, deſcendentes, excluſis Hachbergicis, Heinrici III. poſteris, Landgraviatum Brisgoviæ tenuiſſe reperio. Unde conjicimus, in diviſione Linearum Hachbergicos eum reliquiſſe juniori. Henricus junior certe, Rudolfi I. filius, Marchionis Hachbergici & Dynaſtæ Rœtelani nominibus titulum *Landgravii* conſtanter adjecit. Hic ipſe quoque Rœtelanam An. 1315. cum accepiſſet Dynaſtiam, Friburgenſibus primus Landgraviatum An. 1318. oppigneravit.

(*q*) Hod. *Weyer-Schloſs.*

EPOCHA

Digitized by Google

EPOCHA SAUSENBERGA-
FRIBURGENSIS.

§. XIII.

Quarta Periodus, quam *Sauſenberga - Friburgenſem* nominamus, cum Friderico I. Comite Friburgenſi incepit.

Rudolfus I. Marchio, Lineæ Sauſenbergicæ auctor, præter tres filios Henricum, Rudolfum, Ottonem, filiam quoque reliquerat Annam, quam Fridericus, Comes Friburgenſis, cum promiſſa 700. marcarum argenti dote An. 1318. duxit uxorem. Henricus, Annæ frater, parata pecunia dotem Friderico cum ſolvere non poſſet, Landgraviatum Brisgoviæ ei & patri ejus Conrado oppigneravit, & quidem antichretico jure. (*r*) Landgraviatus oppigneratio.

Oppigneratio ſacta I. conſenſu fratrum Henrici, Rudolfi & Ottonis, quin etiam patrui eorum, Henrici III. Hachbergæ

(*r*) Edita hæc Charta in Diatriba, cui Tit. *Oeſterreich. Beantwortung contra Bayern*, Part. II. pag. 59.

Digitized by Google

Marchionis, ac filiorum ejus. II. Oppigneratus eſt Landgraviatus Briſgoviæ cum vaſallis, judiciis, juribusque univerſis. III. Pretium pignoris fuerunt ſeptingentæ argenti mixti marcæ, Friburgenſis valoris. IV. Evictio promittitur Comiti, præſtanda per obſtagium in urbe Friburgo. V. Reluitio oppignerantibus ſolis eorumque heredibus, Landgraviatum ſibi ſervaturis, permiſſa. VI. Additur memorabilis conditio, ut vici Landgraviales, in Sauſenbergæ Marchionum poteſtate manſuri, ab Imperio, non a novo Landgraviatus poſſeſſore, Comite Friburgi, in poſterum acciperentur in feudum, iisdemque poſſiderentur juribus, quibus alii Briſgoviæ Nobiles à Landgraviatu vicos tenerent.

§. XIV.

Landgraviatus diviſus.

Apparet hinc, & ex ſequentibus luculentius apparebit, non omnem Landgraviatum, ſed illas modo ejus partes Comitibus Friburgi fuiſſe oppigneratas, quæ extra Hachbergæ & Sauſenbergæ Dynaſtias ſitæ fuerunt. Duas ergo ob cauſſas titulo Landgraviatus Briſgoviæ, poſt oppignerationem quoque, Sauſenbergici Marchiones utebantur. Primo, quod Landgraviatus oppigneratus modo fuerat, non alienatus. Secundo, quod jura Landgraviatus in terris ſuis ſibi ſervarunt Marchiones oppignerantes, adeoque in illis manſerunt Landgravii; ſolutis Comiti Friburg. 700. marcis argenti ad omne exercitium Landgraviale redituri.

In

In Charta An. 1327. data Gebvilæ in Alſatia, Rudolfus & Otto Marchiones, Annæ fratres, diſerte *Landgravii Brisgoviæ* vocantur. Henricus de Sliengen, Scultetus Baſil. in ſolenni quodam Inſtrumento An. 1333. eosdem hoc titulo fratres exornat.

§. XV.

Oppigneratus autem Landgraviatus feudum cum eſſet Imperii, opus erat confirmatione Cæſarea, quam Ludovicus Bavarus An. 1334. impertivit Uberlingæ, ubi Landgraviale judicium Comiti Friburg. Friderico exercendum tradidit, donec Marchiones Hachberga-Sauſenbergici debitas 700. marcas ei perſolverint. Anno ſequenti, mortuis jam Henrico oppignerante & Anna ſorore ejus, Rudolfus & Otto, fratres, promiſſam An. 1318. evictionem tertio, poſtquam moniti fuerint, menſe præſtituros ſe pollitici ſunt. Plenariam Landgraviatus Brisgovici ceſſionem ex evictione hac nemo eliciat. Oppignerationis confirmatio.

§. XVI.

Anno 1336. Fridericus, Friburgi Comes, patri ſuo Conrado partem ſuam (*s*) Landgravialis judicii per triennium reliquit, ita tamen, ut dimidiam emolumentorum ejus partem Friburgenſes Conradus & Fridericus.

(*s*) *Als verre als es mich anhöret.*

ſervaret, quam etiam conceſſurus erat patri, ſi forte hoc ipſe celebraret judicium.

Marchiones Rudolfus & Otto.

Anno 1346. Rudolfus & Otto Marchiones vicum *Nider-Eggenheim*, ad Barones de Krenchingen tum ſpectantem, in Dominio Sauſenberg. & Landgraviatu ſuo ſitum eſſe dicentes, judicia publica ibidem ſibi vindicarunt. Res ad arbitrum delata, Conradum a Berenfels, qui definito tempore probationem & teſtimonia a Marchionibus proferri poſtulavit. Decennio poſt Otto Domini in Suſenberg & *Landgravii Brisgoviæ ſuperioris* titulum aſſumſit; (*t*) quum juſſu ejus judicium provinciale Thannenkirchæ haberetur. (*u*) Sauſenbergicæ enim terræ in ſuperiore Brisgovia ſitæ ſunt.

§. XVII.

Egeno IV Friburg.

Anno 1359. in vigilia S. Ulrici Egeno Comes Friburg. & Landgravius Brisgoviæ, Friderici defuncti frater, Snevelinos, Valckenſteinios & Morſeros de vicis *Betzingen* & *Schaffhauſen* Friburgi inveſtivit. Charta munita fuit ſigillo *Egenonis Comit. in Friburg, Lantgravii Brisgaudie*; unde feuda hæc Landgravialia

(*t*) *Marggraff Otte von Hachberg Herr zu Suſenberg und Landgraf in Oberem Brisgouue.*

(*u*) An. 1356. *Ein offener Landtage zu Thannenkilche uffen der Herrſchaft eygen u.* [illegible] *ſime Landgericht.*

tum fuiſſe colligimus. Egeno enim, feuda Friburgenſia conferens, titulo *Landgravii* abſtinere ſolebat. Eodem anno, die Jovis ante Palmas, a Carolo IV. Imp. de Brisgoviæ inferioris Landgraviatu Moguntiæ inveſtitus eſt Egeno. (*x*) At anno ſequenti Landgraviatus univerſi inveſtituram obtinuit. (*y*)

Cæſar in concedendis privilegiis nimium, ut omnes norunt, liberalis, duas has inveſtituras, ſibi contrarias, dedit. Anno enim 1318. in Charta oppignerationis Marchiones Hachberga-Sauſenbergici Landgravialia, in terris ſuis Marchicis, jura ſibi diſerte reſervaverant, & ob id ipſum Landgravios ſe ſuperioris Brisgoviæ vocarunt. Diſtinctionis in ſuperiorem & inferiorem Landgraviam origo hinc prognata videtur. Antiquiora enim hujus diſtinctionis veſtigia nullibi occurrunt.

§. XVIII.

Anno 1368. Friburgum ſui juris factum libertatem accepit, jura ſua vendente Eginone IV. Comite, paucos poſt menſes tamen Auſtriæ Ducum ſubjicienda imperio. (*z*) LEXICI BASIL. auctores (*a*) Comitem Hugonem An. 1367. Brisgoviam Auſtriacis

Friburgum venditum, non Landgraviatus

(*x*) MALDONER in *Hiſt. Ms. Brisgoviæ*, ex Archivo Friburg.

(*y*) GLAFEY *Anecdot.* n. 205. HERRG. *Genealog. Habsb.* Tom. II. n. 817.

(*z*) Vid. in Comit. Friburg. ſupra pag. 252. ſq.

(*a*) In verbo *Brisgau.*

vendidiſſe ſcribunt. Scribere debuiſſent, Eginonem An. 1368. Friburgenſibus ipſis vendidiſſe Friburgum. Approbat tamen hæc verba anonymus Scriptor, (*b*) additque Imperio damnoſum tum fuiſſe creditum, ſi Landgraviatus Brisgoviæ a Friburgo diſtraheretur. Subjungit porro, Leopoldum Auſtr. An. 1370. Rudolfo Badenſi Advocatiam commiſiſſe Brisgoviæ. At Landgraviatus ab Advocatia ſemper fuit diverſus. Landgraviatum a Comitatu Friburgi diſerte diſtinxit, ſibique ſervavit Egino, quum valediceret Friburgo. (*c*)

Friburgenſes, empta a Comite ſuo libertate, Leopoldo Auſtr. ſeſe tradiderunt, qui jura Comitis Friburg. adeptus eſt, ſed non jura Landgravii, Landgraviatus cum non potuerit vendi; quem Comites jure antichretico a Marchionibus Hachbergæ, Marchiones ab Imperio jure feudi tenuerunt.

Anno 1379. Advocatus provincialis Auſtriacus Brisgoviæ, Waltherus a Dicka, Marchionis Hachberga-Sauſenbergici ſubjectos, in Keppenbacenſium Militum ditione habitantes, tribus ejusdem

---

(*b*) *Oeſterreich. Beantwortung contra Bayern* pag. 65.

(*c*) His verbis: „ *vorbehebt u. usgenommen die Landgraffſchafft in Brisgow* „ *mit der Mannſchaft u. mit allen iren Rechten.* „ Anonymus allegatus pag. 62. exceptionis hujus verba ſequentia omiſit: *in Brisgow mit der Mannſchaft.*

Marchionis Judiciis annuis Provincialibus obnoxios eſſe pronuntiavit. (*d*)

§. XIX.

Anno 1395. memorabilis illa Landgraviatus Briſgoici in ſubſeudum converſio contigit. Pridie Kal. Aug. Conradus, Comes Friburgi, ſororis ſuæ Annæ maritum, Rudolphum, Marchionem Hachberga - Sauſenbergicum, Landgraviatus, a majoribus ejus, titulo pignoris, ut ipſe fatetur, ad ſe delati, heredem abſque ullo onere inſtituit, ſi poſt mortem ſuam nullam prolem reliquerit. Paulo poſt (*e*) Conradus, ſecum ipſe mente revolvens, quod ſeptingentæ illæ marcæ, pro quibus facta Landgraviatus oppigneratio, ex diuturna ejus poſſeſſione abunde perceptæ ſint, in judicio Civitatis Neoburgenſis ad Rhenum pignus iſtud Rudolfo Marchioni ſponte ac libere reddidit. Rudolfus eadem die & loco viciſſim Landgraviatum in ſubſeudum contulit Conrado. Ita oppigneratio in feudum converſa eſt; eo forte conſilio, reditum ejus ad ſe ſuosque certiorem ut redderet Marchio.

Landgraviatus in ſubſeudum mutatus.

Kkk 3

(*d*) Mentio hac in Charta fit ſuppliciorum, quæ in terris Sauſenbergicis de damnatis ad mortem ſumebantur, tribus in locis, *zu dem Geſint*, *zu der Hartcichen*, *zu dem Kefferholz*.

(*e*) Septembris initio.

Digitized by Google

Conventum eſt etiam, ut ſingulis annis die S. Jacobi coerulei coloris accipitrem (*f*) Domino directo offerret Vaſallus.

§. XX.

Inveſtituræ Marchionum. Anno 1401. Rupertus Imp. eundem Marchionem Rudolphum de Landgraviatu Brisgoviæ cum Judicio Provinciali, banno ſanguinis, vaſallis ac reliquis juribus, in quibus jus retinendi ac perſequendi eccleſiarum & monaſteriorum homines proprios, rite inveſtivit. (*g*) Similem inveſtituram Marchioni Sigismundus Imp. An. 1417. trienniოque poſt Marchio Conrado Comiti ejusdem Landgraviatus ſubinfeudationem conceſſit. Sed & An. 1429. à Sigismundo idem Marchio Rudolfus cum filio ſuo Wilhelmo novam inveſtituram obtinuit.

Hæc omnia facta ſunt vivis Friburgi Comitibus, qui vendito Friburgo Landgravii inferioris Brisgoviæ permanſerant. Landgraviam enim a Marchionibus in ſubfeudum tenuere.

§. XXI.

Lites. Anno 1424. inter Marchionem Hachberga-Saufenberg. ac vicos nonnullos alienæ ditionis, in ſuperiore Brisgovia ſitos, lite

(*f*) *Einen blauen Habbich.*

(*g*) Schilteri *Inſtitut. Juris publ.* Tom. I. pag. 81.

exorta, conſtituti ſunt arbitri, Burcardus Munch de Landscron, Dietericus de Amplo Molendino, Ulmannus de Pfirt, aliique; qui auditis teſtibus ſtatuerunt, judicia capitalia intra ſepta (*h*) vicorum *Schliengen* & *Steinenſtatt* ad ſcultetos eorum & incolas; extra ſepta vero ad Marchionem ſpectare, ut Landgravium Sauſenhartæ, (*i*) id eſt, ſuperioris Brisgoviæ; imo damnatos a ſculteto & incolis eidem Marchioni ad ſupplicium tradendos. Renovata deinceps controverſia, ſententia hæc a Senatu Baſil. An. 1458. ut arbitro firmata eſt.

§. XXII.

Hoc ipſo anno inferioris quoque Brisgoviæ Landgraviatus morte Johannis, Comitum Friburg. poſtremi, ad Marchiones Hachbergenſes, dominos directos, redierat. Recapitulatio.

In quarta iſta periodo, quæ *Sauſenbergo-Friburgica* eſt, quæque ab Anno 1318. uſque ad Comites Friburgenſes An. 1458. extinctos, adeoque per 140. annos duravit, tria temporum annotamus momenta.

(*h*) Germ. *Etter*.

(*i*) In Actis hujus litis Marchio ſæpius *Landgraf am Sauſenhart* dicitur. Brisgoviæ ſuperioris & inferioris collimitium ad Augenam vicum eſt. Quæ infra hunc limitem, ſimpliciter *Hart*, quæ ſupra, *Sauſenhart*, id eſt, Harta meridionalis dicitur. Acta hæc Ms. in Tabulario Bada-Durlacenſi extant.

Digitized by Google

Primum eſt Landgraviæ oppigneratio, quod Anno 1318. evenit.

Secundum eſt An. 1395. quo oppigneratio Landgraviatus inferioris a Marchionibus in ſubfeudum mutata.

Tertium eſt An. 1458. quo, extinctis Friburgi Comitibus, Landgraviatus inferior, illis in ſubfeudum conceſſus, ad dominos directos, Marchiones nempe Sauſenbergicos, rediit. Sauſenbergicis autem An. 1503. extinctis, ad Badenſes Marchiones, proximos nempe agnatos, cum Sauſenbergicis, quibus adhæſerat, terris tranſivit.

§. XXIII.

Epocha Badenſis. Itaque ab Anno 1503. quo Landgraviatus ad Badenſes pervenit, conſtituenda foret ejus periodus quinta, niſi omnis ejus vis & auctoritas ſub hac ipſa periodo pedetentim exſpiraſſet; quod & Alſaticis antea Landgraviatibus, aliisque apud Germanos evenit. (*l*) Creſcente enim Statuum illius Regni potentia, jurisdictio ad Proceres translata & nova Imperii Tribunalia inſtituta ſunt; unde Landgraviales malli paulatim neglecti, denique omnino conciderunt.

Nec ſilentio tranſeundum, quod An. 1478. Sigismundus Archidux a Rudolpho, Hachbergæ Marchione, petiit, ut oſtenderet, quo

(*l*) De decrementis & extinctione Landgraviatuum Alſatiæ vide *Alſatia Illuſtrat.* Tom. II. pag. 127. & 133.

quo jure Landgraviatum Briſgoviæ & Dynaſtiam Badevillæ poſſideret. Utrumque Rudolphus demonſtravit Friburgi. (*m*)

Quum extinctis Hachberga-Sauſenbergicis, agnatis ſuis, ſucceſſiſſent Badenſes, Chriſtophorus omnes Badenſium terras poſſidens ſolus, tres Domus ſuæ Lineas condidit, quæ morte Philippi redactæ ad duas; quarum ſatores erant Bernhardus atque Erneſtus. Hic Lineæ Bada-Durlacenſis auctor *Landgravii in Sauſenberg* titulo primum uti cœpit in Literis, quas ad Carolum V. Imp. An. 1522. ſcripſit, in quibus contra Enſisheimenſe Regimen querelas inſtituit. (*n*) Ab hoc tempore continuatus eſt hujus tituli a Badenſibus uſus. Ferdinandus Archi-Dux nomine fratris ſui Imperatoris reſpondit, atque in Literis (*o*) eodem titulo ornavit Erneſtum. Poſtea temporis tamen Auſtriaci Marchionibus hac ſuper re litem moverunt.

Ceterum Briſgovia a ſeculi XIV. temporibus in Auſtriacam & Badenſem cœpit diſtingui. Poſtquam enim Habsburgici in

(*m*) Reperiuntur hæc in Codice Tabularii Bada-Durlacenſis, cujus rubrum: *Acta die Landgrafſchaft im Brisgau betreffend.*

(*n*) Formula hæc erat: *Marggraf zu Baden und Hachberg, Landgraf zu Sauſenberg, Herr zu Rœteln und Badenweiler.*

(*o*) Literæ ſcriptæ ſunt Moguntiæ d. 5. Maji 1522.

Digitized by Google

Alſatiæ, Helvetiæ & Auſtriæ partibus opes ſuas immenſum extenderant, in Brisgoviam denique ſeculo XIV. ex Alſatia transgreſſi, Briſaco, Friburgo, Neoburgo, aliisque oppidis, caſtris & terris ſuæ Domui adquiſitis, conſanguineos ibi ſuos repererunt Badenſes.

§. XXIV.

Landgraviorum jura.

Synopſis rerum, quas ex monumentis chronologico ordine huc usque protulimus, docet, fuiſſe tempus, quo Brisgoviæ Landgravius, uti Landgravii Alſatiæ, jurisdictionem civilem, capitalem, (*p*) atque feudalem (*q*) exercuit. Malli Landgraviales habiti ſunt Brombaci A. 1276. Tenningæ A. 1296. Waldkirchæ A. 1298. Burghemii ad Rhenum A. 1306. Sliengæ A. 1309. Tannenkirchæ A. 1356. & alibi, prout opportunum videbatur Landgravio. In ſuperiore Brisgovia Sauſenbergici Marchiones judicium Landgraviale ante caſtrum Rœtelenſe in area ſubdivali frequenter habuerunt, quod a loco *Kapfgericht* fuit nuncupatum.

Extinctis Sueviæ Ducibus, ſecuritatis publicæ cura quoque commiſſa Landgraviis; ſine quorum conſenſu nullum in

(*p*) Vid. ad An. 1424.

(*q*) Ad An. 1296. & 1309.

Digitized by Google

Briſgovia caſtrum ædificare licebat, ut Rudolphus I. peculiari Diplomate Anno 1279. ſtabilivit.

Landgravio inſuper Jus conductus per provinciam, jus naufragas in Rheno naves cum mercibus ſiſco addicendi, (r) aliaque jura competebant.

Qualiscunque autem fuerit Landgraviorum veteris ævi poteſtas, illa ſane progreſſu temporis iisdem gradibus pedetentim deſcendit, quibus Principum, Comitum, Nobilium atque Civitatum Germaniæ ſuprematus, ſuperioritatem territorii quem vocant, aſcendit; poſtquam nempe ſinguli Status in terris ſuis devenere Landgravii.

Pro Inſignibus Landgraviatus Briſgoviæ a multis habitus fuit leo ruber cum aurea corona in argenteo campo. Sed Inſignia Land-grav.

L l l 2

(r) Jus hoc Anno 1419. exercitum eſt in naufraga bona navis Waltheri de Andlau; & agnitum ab arbitris inter Epiſcopum Baſil. & Marchionem Hachbergæ Anno 1424. Germani jus hoc *Strandrecht*, *Grundruhr-recht* & ſimpliciter *Grundruhr* vocarunt; quod non in Germania modo, ſed & apud alias invaluit gentes.

Digitized by Google

erronea opinio hæc eſt. Leo enim primum fuit Zaringorum Inſigne. (*s*) Chriſtophorus ex Marchionibus primus Inſignibus ſuis Badenſibus hunc leonem adjecit, poſtquam Sauſenbergicam hereditatem adierat. (*t*) .

(*s*) Vide ſupra in Zaringicis pag. 195.

(*t*) Leo in Inſignibus Badenſibus primum occupat locum ; Uſenbergica autem ala ſecundum.

DYNA-

Digitized by Google

Digitized by Google

S

DYNASTA

TIETERICUS I. de I

THEDE

LUTOLDUS Epiſcopus Baſil. 1191. † 1213.

CONRADUS de Rotinlein 1229. 1233. 1258. ux. Ulrici Comitis de Novo Caſtro filia.

WALTHERUS 1262.

OTTO Dom. de Rœtenlei 1287. † poſt 1303.

WALTHERUS 1290. † circa 1310.

Digitized by Google

DYNASTAE ROETELANI.

§. I.

In ipſo fere Wieſanæ vallis aditu, ad latus ejus boreale, mons amœnus & fertilis, altitudinis modicæ, rudera Caſtri maximæ molis oſtentat, quod pulcherrimam illam vallem viatoribus olim clauſit & aperuit. Rœtela (*a*) ejus nomen eſt. Quinquies mille paſſibus diſtat Baſilea. Dynaſtis illa Rœtelanis eorumque Dynaſtiæ ſuum nomen impreſſit. Caſtrum Dynaſtis ſub conditoribus modicum, ſub Marchionibus amplificatum, in bello Gallico An. 1678. una cum Badevillano & Sauſenbergenſi Caſtris deſtructum eſt. Dynaſtia hæc ſeculo XI. ſuos jam habuerat Dominos, qui & in valle & extra vallem ad Rhenum uſque dominati ſunt.

Caſtrum Rœteln.

(*a*) *Ræteln*, in Chartis veteribus *Rætenlein*, *Rotinleim*.

§. II.

Tieterieus I.

De origine Gentis eorum nihil certi cognoſcimus. Antiquiorem Dynaſtam nobis Chartæ non produnt, quam Tietericum illum de Roetinlleim, quem Burcardus, Baſilienſis Epiſcopus, An. 1083. Cœnobii S. Albani in Civitate Baſilea Advocatum conſtituit. Monaſterii Charta hæc habet; „Advocatum „ ſuper prædictas curtes (Cœnobii S. Albani) inſtitui nobilem „ virum, videlicet Rudolfum de Hornberg Comitem ex iſta parte „ Rheni; in ulteriori vero parte Rheni, T. de Rœtinlleim &c. (*b*)

Tieterieus II.

Anno 1114. Thedericum de Rœtelein Traditioni cuidam bonorum, Abbatiæ S. Blaſii factæ, interfuiſſe, Bulla Innocentii Papæ An. 1138. (*c*) nos docet.

Anno 1135. Theodericus de Rœtenlein Chartam inſtitutionis Monaſterii Canonicorum Regular. in Goldbach vallis S. Amarini, inter *Liberos* primus teſtis ſignavit. Idem *Teodericus de Rœtenlein* in Traditione Eccleſiæ de Wolvenuuilare, Abbatiæ S. Petri An. 1139. facta, memoratur; (*d*) adeoque ſub Conrado, Zaringiæ Duce. Quin & ſub Bertoldo IV. Conradi filio, *Dietherieus de Rotinleim* in ſimili donationis Charta occurrit.

(*b*) URSTISIUS in *Epitome Hiſt. Baſil.* pag. 123. nonniſi excerpta hujus Chartæ dedit.

(*c*) HERRG. *Genealog. Habsb.* Tom. II. pag. 157.

(*d*) Rotulus S. Petri in Cod. Dipl. ad h. an.

Digitized by Google

Anno 1185. Ludovicus (forte Lutoldus) de Rotenleim Chartæ, Turici conſcriptæ, nomen dedit. (*e*)

Anno 1187. *Tietricus de Rotenlein* in Diplomate Bertoldi, Zaringiæ Ducis, Eccleſiæ Turicenſi dato, allegatur, (*f*) qui Tietricus III. fuiſſe videtur, ab illis diſtinctus, qui in ſuperioribus Chartis memorantur. Tietericus III.

§. III.

Anno 1191. Lutoldus de Rœtenlein, Eccleſiæ Baſil. Præpoſitus, Henrico Epiſcopo, qui cum Friderico I. Imp. in Oriente extinctus eſt, in Epiſcopatu hoc ſucceſſit, uſque ad An. 1213. ſuperſtes. (*g*) Epiſcopi Baſil.

Secutus eſt eum in Epiſcopatu Baſil. Waltherus, alias dictus Waldricus, a Rœtelen, qui artibus magis, quam legitima electione ad hanc dignitatem pervenit. Waldricus, Baſilienſis Epiſcopus electus, An. 1214. ſubſcripſit Diplomati Friderici II. Imp. pro Eccleſia Viennenſi, dato Baſileæ. (*h*) Idem vero Waldricus auctoritate Concilii Romani brevi poſt ſede Epiſcopali dejectus eſt. (*i*) Vixit deinceps in Eccleſia Conſtantienſi Canonicus, una

(*e*) HOTTING. *Hiſt. Eccleſ.* Tom. VIII. pag. 1180.

(*f*) TSCHUDI *Chron. Helv.* Tom. I. pag. 92.

(*g*) URSTIS. *Chron. Baſil.* pag. 115. ſqq.

(*h*) CHIFLETIUS in *Veſont.* Part. II. pag. 255. *Baſilea ſacra* pag. 218.

(*i*) URSTIS. l. c. pag. 118.

cum Lutoldo fratre, ut ex Conradi Epiſcopi Conſtant. Chartis An. 1229. apparet; in quarum altera *Walterus* & *Lutoldus fratres de Rotenlein;* in altera *Clericus W. & L. fratres de Rotinlein* inter Canonicos Conſtant. leguntur. In poſteriore quoque inter ſeculares C. de Rotinlein allegatus eſt teſtis. (*l*)

§. IV.

Dieterieus IV. Septennio poſt *Dietricus de Rotinlein*, *nobilis*, Conſtantiæ decreto ſynodali Henrici Epiſcopi ſubſcripſit. (*m*) Lutoldus II. Epiſc. Baſil. qui ſucceſſit Henrico, An. 1238. defuncto, non Rœtelenſis, ſed ex Comitibus fuit Arburgi. Trithemius tamen & Stumpſius volunt, eum fuiſſe Rœtelenſem. NICOLAUS GERUNG, dictus *Blauuenſtein*, rem in dubio relinquit. (*n*)

Ad Dietericum hunc referri procul dubio debent, quæ in *Chronico Burglenſi* (*o*) his verbis leguntur: „ Dietericus in „ Rotenleim dedit S. Johanni (in Burglen) unam ſcopozam in villa „ Gupha. (*p*)... Cum licentia Domini ſui Tieterici Anna de „ Scopheim

(*l*) HERRG. *Genealog. Habsburg.* Tom. II. pag. 237. ſq.

(*m*) Ibid. pag. 251.

(*n*) In *Chronica Epiſcopor. Baſil.* quæ extat in *Scriptorib. Rer. Baſil. minor.* Lib. II. Cap. XVIII.

(*o*) Cap. XVII. in RUST. HEER. *Anonymo Mur. denud.* pag. 382.

(*p*) *Gupf* prope Tannenkircham.

Digitized by Google

„ Scopheim (Schopfheim) dedit, unum mannwerc vineæ
„ apud Tanninchilcha.

§. V.

Haud dubie Rœtelanæ Gentis propagator fuit Conradus ille, in Charta Conſtant. An. 1229. ſuperius laudata, ut & Phirretenſi An. 1233. (*q*) teſtis memoratus. Occurrit etiam in Charta An. 1258. qua Conradus a Roſenberg pro 21. marcis argenti emit Efringam. Conradus

Ex Ulrici, Comitis de Novo Caſtro, filia tres filios ſuſcepit; Waltherum, Ottonem atque Lutoldum, quorum extat Charta, Abbatiæ S. Blaſii An. 1262. data, quibus damnum a ſe illatum reparaturos ſe ſpondent. In hac patris Conradi, jam defuncti, atque matris, tum præſentis, faciunt mentionem. (*r*) Fratres hi in bello Nobilium Baſileæ a parte factionis, cui Pſittacus fuit inſigne, ſteterunt, & A. 1272. cognato ſuo, Henrico ex Comitibus Neuenburgicis Baſilienſi Epiſcopo, in bello contra Rudolfum Habsburgicum Comitem, mox Romanorum Regem, adſtiterunt; unus etiam ex iis in Caſtro Nigræ Silvæ Werra a Rudolfo captus eſt. (*s*) Uxor & filii.

(*a*) HERRG. l. c. pag. 244. ubi *Conradus de Rœtenſein* inter Liberos primus teſtis ponitur.

(*r*) Cod. Diplom.

(*s*) GUILLIMANNUS *Habsb.* Lib. VI. Cap. IV. & URSTIS. *Hiſt. Baſil.* Lib. II. Cap. XXI. eum Theodoricum vel Dietericum vocant.

Digitized by Google

§. VI.

Otto.

Anno 1287. Otto Dom. de Rœtenlein Hugoni dicto *Kinde*, Militi Baſil. prædium in Augſt, quod a ſe in feudum tenuerat, in proprium tradidit, ut illud Abbatiæ Olſpergenſi venderet.

Anno 1290. ipſe & filius ejus Waltherus feria ſecunda poſt feſtum Mich. cum Præceptoria Ord. Teut. in Baden & Bückein de Advocatia & Curia in Fiſchingen, intercedentibus Rudolfo, Conſtantienſi Epiſcopo, & Lutoldo, Præpoſito Baſilienſi, tranſegerunt.

Anno 1296. *Ote de Rotenlen;* (t) Anno 1303. *Otte de Rœtelein* (u) in Chartis Baſilienſibus laudatur teſtis. *Otto Dominus de Rœtenleym* conſenſu filii ſui *Waltheri*, Domicelli de Rœttenleym, renuntiavit bonis, quæ ſacerdos, dictus de Kandera, Præpoſituræ Bürglenſi dederat in villis Kander & Rütlicken. Actum prid. D. Barthol. 1297.

Waltherus filius.

Mortuo patre Waltherus filius An. 1309. Judicio provinciali interfuit, quod Walravus Comes de Thierſtein nomine Rudolfi Marchionis de Hachberg Schliengæ habuit.

(t) HERRG. *Geneal. Habsb.* Tom. III. pag. 559.

(u) *Merckwürdigk. der Landſch. Baſel*, Part. X. pag. 1053.

Anno 1310. Petrus de Spechtbach, Miles, bona nonnulla in Cappel, Sundgoviæ vico, Walthero noſtro refutavit. Waltherus Ulrico II. Phirret. Comiti ea conceſſit, (*x*) brevique poſt obiit improles.

§. VII.

Anno 1271. *Lutoldus de Rotelnheim, Canonicus Baſil.* teſtis eſt in Literis, quibus Ulricus, Phirretti Comes, terras ſuas Eccleſiæ Baſilienſi obtulit in feudum. (*y*) Lutoldus

Anno 1281. idem Lutoldus, Archidiaconus Eccleſiæ Baſil. ab Epiſcopo ſuo datus eſt ſponſor Theobaldo Comiti Phirret. in Literis, quas ipſe quoque ſigillo ſuo munivit. (*z*)

Anno 1295. *Luitoldus de Rœtenlein, Præpoſitus majoris Eccleſiæ Baſil.* tabulas Lutoldi de Regenſperg, in Clauſtro monaſterii S. Blaſii datas, primus teſtis ſignavit. (*a*)

Anno 1313. Conradus Schaler de Benkon, Miſes Baſil. juſſu Aulæ Imp. Lutoldum de Rœtenlein, Præpoſ. Baſil. & Marchionem Rudolfum de Hahberg, reduxit in poſſeſſionem oppidi Schophein & Caſtri Rœtenlein atque bonorum, in quæ Ulricus de Butikon, dictus *Liebeloſe*, fuerat immiſſus.

Mmm 2

(*x*) Cod. Feud. Ms. Regim. Enſisheim.

(*y*) STEYERER *Hiſt. Alberti II. Ducis Auſtr.* in Addit. pag. 209.

(*z*) HERRG. Tom. III. pag. 497.

(*a*) Ibid. pag. 558.

Digitized by Google

§. VIII.

Dynaſtiam Rœtelanam Hachbergicis donat.

Anno 1315. Lutoldus de Rœtenleyn, quondam Præpoſitus Eccl. Baſil. debilis corpore, mente tamen ſanus, donatione inter vivos Heinrico, Domicello, Margravio de Hahperg, Lantgravio Briſigougiæ, præſenti & recipienti, univerſas muniтiones, caſtra, villas - - - omniaque bona ſua ac poſſeſſiones & jura tradidit; ſervato tantum ad dies vitæ ſuæ Dominii hujus Rœtelani uſu fructu. Act. Baſileæ feria V. ante S. Thomam.

Donationi faciendæ propinquitas ſanguinis occaſionem dedit Lutoldo. Henricus enim, cui partem hanc ſuam Dynaſtiæ donavit, haud dubie nepos ejus ex ſorore extiterat. Henricus ſane, cui donatio facta, Lutoldum hunc de Rœtenlein, in Charta, Schopfheimenſibus An. 1316. Baſileæ data, ſuum avunculum beatæ memoriæ appellat. (*b*) Unde concludimus, matrem Heinrici fuiſſe Rœtelanam vel ſororem Lutoldi. Concludimus, porro, Lutoldum hunc die Jovis poſt feſt. Pentecoſt. dicti A. 1316. quo Henricus Sauſenbergicus Chartam memoratam conſcripſit, non inter vivos, adeoque brevi poſt donationem fuiſſe extinctum.

§. IX.

Interitus Gentis.

Ita cum Lutoldo interiit Familia Liberorum Dominorum de Rœteln, quæ ab An. 1083. uſque ad An. 1315. in Baſilienſibus

(*b*) *Unſer Oehein ſelige, Herr Lutolt von Rœtenlein der Tuomprobſt.* In Charta hac Henricus montem & ſilvam *Entegaſt*, Schopfhemio vicinam, civibus ejus donavit.

& Briſgovicis monumentis occurrit; quæque non alium, quam Imperatorem & Imperium, habuerat Dominum. Caſtrum illa Rœtelæ cum oppido Schopfheim, ceteriſque ad Dynaſtiam pertinentibus locis liberum ab omni nexu feudali, propriumque poſſedit allodium, Franci quod appellitant *Francum.* Dynaſtiam ad Marchiones Sauſenbergæ in hoc ſtatu tranſiiſſe, ex Chartis eſt evidens.

Rœtelanorum Miniſterialibus vel Caſtellanis procul dubio accenſendi ſunt inferioris Nobilitatis Milites nonnulli, quos inter Johannes de Rœtelen, Armiger, qui a Johanne Habsb. Comite An. 1362. Heinrico de Sliengen datus eſt ſponſor. (*c*) Egonem de Rœtelen Liberum proelio Sempacenſi An. 1386. periiſſe TSCHUDIUS (*d*) refert. Otto de Rœtelen Caſtro & Dynaſtiæ Badevillanæ ab A. 1456. ad A. 1464. præfuit, ut Chartæ illius ætatis nos docent.

§. X.

Roetelanum Inſigne SPENERUS (*e*) ita deſcribit: „ Area inferiori ſui parte quinis fluviis vel faſciis undoſis argenteis „ & cyaneis exaratur, ex quibus in ſuperiori parte aurea „ leo coccineus exoritur. Inſignia.

Mmm 3

(*c*) HERRG. *Genealog. Habsb.* Tom. III. pag. 706.

(*d*) *Chron. Helvet.* Tom. I. pag. 527. Conf. *Orig. & Hiſt. Archid. Auſtr.* ap. SENCKENBERG *Selectar.* Tom. IV. pag. 139.

(*e*) *Op. Herald.* Part. ſpec. pag. 383. ſq.

Digitized by Google

At contrarium docent monumenta antiqua Rœtelenſium Dynaſtarum. Primo ſigillum ſubjunctum Chartæ Olſpergenſi An. 1287. ubi leo exſurgit non ex undis, ſed ex quadrupla ſerie pellium variarum, (*f*) quarum ſumma quatuor, ſecunda tres, tertia duas pelles, quarta unam continet pellem. Secundo Monumentum ſepulcrale Marchionis, uti nobis videtur, primi Sauſenbergicæ Lineæ Rudolphi, cujus uxor Rœtelana. Ibi pelles variæ quoque in Inſignibus lapidi inſculptis, uti in ſigillo Olſpergenſi, comparent. Tertio URSTISIUS (*g*) Inſignia Rœtelana variis quoque pellibus, non fluviis undoſis, delineat; optimus hac in re judex, quod ex Rœtelanis Dynaſtis Epiſcopi & Præpoſiti Baſilienſis Eccleſiæ deſumpti fuerunt.

(*f*) *Vair* Gallis, Germ. *Eiſenhütlein.*

(*g*) *Chron. Baſil.* Lib. I. Cap. XX. pag. 62. & Lib. II. Cap. XVI. pag. 115.

DYNA-

Digitized by Google

Digitized by Google

STEMMA DY

B

Burcardus Nobilis de U
A. 1231. † 1245.

Hesso Dom. de Uſenb. A. 1248.

Burcardus Dom. de Uſenberg A. 130

Anna uxor Heinrici Marchionis de Hachberg A. 1316.

Hugo de Uſengen A. 1331. † 1

Johannes Dom. de Uſenb. A. 1354. 1386.

An

Burcardus A. 1379.

Anna, ux. 1. G
heri de Ho
Urſelingen

Digitized by Google

DYNASTAE USENBERGICI.

§. I.

Caſtrum Uſenberg, a quo Dynaſtis nomen, ut antiquum, ita breviſſimæ durationis fuit. „ Caſtrum de Uſenberg cum tota augia & „ montem Eggehardi „ Innocentius II. Papa inter Eccleſiæ Baſil. poſſeſſiones An. 1139. recenſet. (*a*) Mons Eggehardi ad Briſacum ſupereſt, paulo ſupra urbem; infra eam Iſenberga viſitur mons in Rheni inſula ſitus, ita ut urbs inter Eggehardi & Iſenbergæ montes ſit media. (*b*) Uſenbergam inconſtantia & impetu Rheni (*c*) periiſſe novimus. Nulla ſane ſec. XII. arcis hujus, niſi in Dynaſtarum nomine, occurrit

Caſtrum Uſenberg

(*a*) Herrg. *Geneal. Habsb.* Tom. II. num. 217.

(*b*) Situm hunc exprimit Meriani *Topograph. Alſat.* pag. 8.

(*c*) De hac Rheni inconſtantia, ad Briſacum præſertim, Vid. *Alſatiæ Illuſtr.* Tom. I.

Digitized by Google

memoria. Ante ducentos hos annos Badenſes Uſenbergam a Briſacenſibus vaſtatam, pœnæque loco Caſtrum Höhingen ab iisdem ædificatum fuiſſe retulerunt.

Dynaſtia. Dynaſtia Uſenbergica pluribus caſtris, oppidis ac vicis, per omnem fere Brisgoviæ tractum Rhenenſem diſperſis, conſtitit, ita ut quæ infra Briſacum, inferior, quæ ſupra Briſacum ſita ſunt, ſuperior Dynaſtia dicerentur.

Ad inferiorem ſpectarunt *Kenzingen* & *Endingen*, oppida; Caſtrum *Kürnberg;* vici *Huſen*, ſuperior & inferior, *Weisweiler*, *Bleichen*, *Nortweil.*

Superiorem Dynaſtiam compoſuerunt *Sulzberg* oppidum, Caſtrum *Höhingen*, vici *Riegel*, *Biſchoffingen*, *Eichſtatt*, *Ihringen*, *Hochſtatt*, *Nider-Rimſingen*, *Hugelnheim*, *Mauchen*, *Schliengen*, *Steinſtatt.* Locis his dominium directum Caſtri *Stauffen* non immerito addas.

Nunc ex iis Domus Badenſis Höhingen, Weisweiler, Leiſelheim, Biſchoffingen, Eichſtatt, Ihringen, Sulzberg, Hugelheim; Epiſcopus Baſil. Mauchen, Schliengen, Steinſtatt; Dux Wirtenbergenſis Nortweil; reliqua Domus Auſtriaca poſſidet.

§. II.

Heſſo. Anno 1052. Heſſo quidam Dynaſta Domum in honorem S. Mariæ, S. Petri & Omn. Sanctor. poſteaque mortuo ſuo fratre Lamberto

Digitized by Google

Lamberto Cappellam in honorem S. Nicolai prope Eichſtatt fundavit, ut ipſius atque uxoris ſuæ Goutæ anniverſarius dies in ea celebraretur. Heſſonem hunc Uſenbergicis Dynaſtis facile adſcribimus, quod nomen Heſſonis in Dynaſtis his obvium fuit, quodque jus patronatus eccleſiæ Eichſtadienſis ad eosdem Dynaſtas deinceps ſpectavit.

Anno 1111. Heſſo de Uſenberg Ottonem, Comitem Habsburg. in Butenheim interfeciſſe ſcribitur. (*d*)

Anno 1161. Burchardus de Uſenberc inter teſtes comparet emtionis fundi; Tennibach, a nobili viro, Cunone de Horwin, per Abbatem Heſſonem de Frienisberch, in Caſtro Hahberc, factæ. Burcardus.

Anno 1171. Burchardus de Uſemburch in Diplom. Friderici I. Imp. Noviomagi pro Bertoldo Duce Zaring. dato, teſtis legitur. (*e*)

Anno 1181. Burchardus de Uſenberg iterum teſtis eſt in Charta Udalrici de Novo Caſtro. (*f*)

(*d*) HERRG. *Genealog. Habsb.* Tom. I. pag. 140. ex Charta Murenſi.

(*e*) HONTHEIM *Hiſt. Trevir.* Tom. I. pag. 603.

(*f*) TSCHUDI *Chron. Helvet.* Tom. I. pag. 90. HERRG. *Genealog. Habsb.* Tom. II. num. 244.

Digitized by Google

§. III.

Rudolfus

Anno 1219. Rudolfus de Uſenberc agros & prata, a Jo. de Kencingen, proprio Milite ſuo, nec non ab Henrico de Valckenſtein, ſibi reſignata, Abbatiæ Tennebacenſi pacto emphiteutico tradidit. Sed & Rudolphus *Nobilis de Uſenberch* Miniſterialibus & hominibus ſuis univerſis, ut donationibus quibuscunque monaſterium illud locupletarent, permiſit.

Filii ejus.

Circa An. 1231. Rudolfi hujus filii, Burcardus & Rudolfus, fratres de Uſenberg, villam Muosbach, quæ patri ipſorum oppignerata fuerat, Abbati Tennebacenſi redimendam dederunt.

Anno 1244. iidem fratres, *Nobiles de Uſenberg*, in literis Hartmanni Comitis de Kiburg pro Eccleſia Argent. teſtes, (*g*) cum Abbatia Tennebac. convenerunt, ut a telonio pontis in Riegol immunis eſſet, niſi quod malterum ſiliginis ad illum ſuſtinendum quotannis præſtare debeat. Sed & curtim ſuam Hugelnheim cum jure patronatus ibidem Abbatiæ huic vendiderunt. Actum in Caſtro *Stouphen*.

(*g*) TSCHUDI *Chron. Helvet.* Tom. I. pag. 140. & HERRG. *Geneal. Habsb.* Tom. II. pag. 277. literam initialem B. Burcardum quæ indicat, male Bertholdum ſignificare crediderunt.

Digitized by Google

Anno 1245. Rudolfum Nobilem de Uſemberch & Burcardum, fratrem ejus, nuper defunctum, eccleſias ditionis ſuæ, quas ipſi vexaverant, Sultzbergenſem præcipue, ab omni damno liberas pronuntiaſſe, Friburgi conſignatum eſt literis. (*h*)

Rudolfus ille, poſtquam graves cum Ludovico, Dynaſta Lichtenbergenſi, diſcordias aluiſſet, extinguendis illis fratris ejus Henrici defuncti filiam, quarto gradu ſibi cognatam, ducturus uxorem, Pontificis Rom. diſpenſationem petiit. Innocentius IV. Papa, Nonis Jan. Pontificatus ſui anno quarto, poteſtatem hanc diſpenſandi Henrico, Epiſcopo Argent. conceſſit. (*i*)

Anno 1248. Hermannus & Rudolfus fratres, Marchiones de Baden, feodum in Eiſtatt, quod R. & B. fratres de Uſenberch ab ipſis tenuerant, filio Burcardi Uſenbergici conceſſerunt Heſſoni. Literæ in Mulenberc datæ Nonis Aprilis. Sexennio poſt Rudolphus de Uſenberg cenſum quendam vini Tennebacenſibus apud Endingam donavit.

Anno 1256. Rudolfus Nobilis de Uſenberch ſuperarbiter conſtitutus eſt litis, quæ inter monaſterium Tennebac. & inter advocatos villæ Wiscewil, Hermannum & Johannem, Milites, ſuper ſilvas & paſcua banni ejusdem villæ vertebatur. Res acta

(*h*) In feſto S. Dominici. Tabular. Bada - Durlac.

(*i*) Ex Archivo Vaticani.

IV. Nonas Octobr. in coemeterio S. Petri in Endingen. Eodem anno, curante Rudolſo hoc Uſenbergico, Parthenium Wohnental in Brisgovia Ciſtercienſium ordini a Pontifice Alexandro IV. traditum fuit. (*l*)

§. IV.

Heſſo & Rudolfus patrueles

Anno 1271. Heſſo, Dom. de Uſemberg, monaſterio Sulzbergenſi univerſos ex jure mortuarii per vallem iſtam reditus donavit.

Anno 1279. Heſſo & Rudolfus, Domini de Uſenberg, ſigilla ſua appendent Chartæ, quæ de juribus curiæ dictæ *Fronhof* in Biſchoffingen agit. *S. Heſſonis Nobilis de Vſenberg. S. Rudolfi Nobilis de Vſenberg.*

Anno 1284. Heſſo & Rudolfus hi curiam ſuam in Eiſtat pro 60. marcis argenti vendunt, jus patronatus tamen, advocatiæ & banni ibidem ſervantes.

Anno 1285. Ruodolfus de Uſemberg literas Heinrici March. de Hahberg, quibus Abbatiæ Tennebac. reditus in Malterdingen venditi, teſtis ſignavit.

Anno 1294. IV. Kal. Sept. Heſſo illuſtris *de Öſemberch* Miles, Advocatus vallis in Sulzberg hereditarius, Conventuali

(*l*) PETRI *Suevia Eccleſ.* pag. 907. Comes de Iſenburg Rudolfus hic per errorem ſcribitur.

Eccleſiæ S. Cyriaci in Sulzberg jus aſyli aliaque privilegia conceſſit.

Anno 1300. Heſſo & Rudolfus, Nobiles de Uſenberg, literas transactionis Comitum Egenonis & Conradi cum Civitate Friburg. ſignarunt teſtes & ſigillis ſuis munierunt.

Anno 1302. Heſſo ille Johanni, Hildebrandi Spenlin Militis filio, duas partes decimæ frumenti in Biſchoffingen eodem, quo pater ejus utebatur, jure feudali confert. Dat. in Caſtro Riegel die Jovis ante S. Cathar.

Anno 1304. Hugo (forte Heſſo) Dom. de *Iſſenberg*, cum ſculteto & ſenatu Kentzing. in ſuis cum monaſterio Schutterano diffidiis, in Heinricum March. Hachberg. & Waltherum de Geroldſeck compromiſit. *(m)*

Anno 1306. Heſſo de Uſenberg & filius ejus Burcardus conſenſerunt, ut Ruolandus, Miniſterialis eorum in Höhingen, reditus feudales in Üringen venderet.

§. V.

Anno 1308. Civitas Briſacenſis tranſigit cum Nobili Domicello Burchardo, Domino de Uſenberg, ſuper cenſus & Burcard. & Gebh. fratres.

Nnn 3

(m) Schannat *Vindem. liter.* Collect. I. pag. 23.

mulctas civium ſuorum in vico Üringen, qui ditionis Uſenbergicæ erat, habitantium.

Anno ſequenti (*n*) idem Burcardus de Uſenberg judicio provinciali in Schliengen interfuit, ibique vicos Mauchen, Schliengen, Steinenſtatt, quos in feudum tenuerat, Marchioni Hachbergico reſutavit.

Anno 1311. idem decimas vici Ror in Sundgovia Burcardo de Kageneck, Henrico Wezelio &c. Militibus in feudum contulit. Wezelii id a Marchionatu Hachbergico hodieque tenent.

Anno 1315. Ulricus de Eiſtatt & filius ejus Rudolfus Burcardo & Gebhardo fratribus, Dominis de Uſenberg, caſtrum, homines & univerſa jura ſua in Eiſtat pro 140 marcis argenti vendiderunt.

Anno 1316. Burcardus & Gebhardus, fratres de Uſenberg, Heinrico Marchioni de Hahberg, Burcardi genero, caſtrum & oppidum Burgheim, bona & jura in Rotwiler & Bergenſi valle, nec non vicum Ütingen, quæ ipſis oppignerata erant, ſe reſtituturos promiſerunt, poſtquam Judæo Briſacenſi de pecunia, cujus prædes erant, ſatisfactum fuerit.

Anno 1317. Burcardus Nobilis de Uſenberg & Gebh. de Uſenberg, *Rector Eccleſiæ in Eiſtat*, ut ſigilla ferunt, incolis

(*n*) *Am guten Tag* ante S. Galli.

vici Ihringen, gabellam vini ibidem pro centum libris denar. vendiderunt. Eodem anno, die Sat. ante S. Nicolai, ſcultetus & ſenatus Briſacenſis cum Nobili viro Burcardo de Uſenberg, qui cives quosdam eorum captivos tenuerat, in gratiam ſe rediiſſe, teſtantur.

Anno 1321. Comes Conradus de Friburg ſententia ſua Burcardum de Uſenberg, ob bellum Falckenſteiniis Nobilibus, cum quibus de vico Bickenſol certaverat, illatum damnavit.

Anno 1324. vigilia S. Matthiæ Conſul & ſenatus Friburg. de damno 1200. marcarum argenti, quod Burcardus Uſenbergicus ipſis in bello, pro Endingenſibus contra Conradum Comitem de Friburg geſto, intulerat, ſatisfactum ſibi eſſe, profeſſi ſunt literis. Eodem anno (o) Wernherus Gutmannus de Hadeſtat a Burchardo de Uſenberg Caſtrum Höhingen & vicum Riegel, ſeptingentis marcis argenti ponderis Colmar. redimenda, ſeſe emiſſe teſtatur.

Anno 1326. die Ven. poſt feſtum Aſcenſ. Albertus, Dux Auſtriæ, Burcardum de feudis Auſtriacis inveſtiens, filias ejus, deficientibus filiis, ad ea quoque ſe admiſſurum declarat. Datum in monaſterio Schwarzach.

Anno 1327. Johannes Werre dictus Stecher, civis Friburg. vicum Biſchoffingen cum hominibus, dictis *Kænigsleute*, ibidem &

(o) Die Martii *nach der alten Vaſenacht.*

Digitized by Google

in Waſenweiler a Burcardo noſtro in feudum, octoginta marcis argenti redimendum, accepit; ea lege, ut nullum judicium ſanguinis inſcio & invito Domino directo habeatur.

Anno 1330. die Sixti Ludovicus Imp. homines & bona Imperii in Rimſingen, Höchſtat, Achtkarle, Lüſſelheim, Biſchoſſingen, Üringen, Merwingen, Waſenweiler, in valle Rotwil & Bergen Burcardo huic pro ducentis marcis argenti ponderis Friburg. Hagenoæ oppigneravit.

§. VI.

Hugo & Fridericus fratres.

Anno 1314. Domicellus Hugo de Uſenberg & uxor ejus Sophia de Horburg, Conrado & Johanni, Colmanni filiis, curiam vendunt.

Anno 1313. Hugo de Uſenberg, Dominus in Kürnberg & Kentzingen, conſenſu fratris ſui Friderici, volente affine ſuo Heinrico de Rappoltſtein, Domino de Hohenack, curiam in vico Bleichen vendidit.

Anno 1337. Hugo Dom. de Uſenberg cenſus & jura ſua in Eſpach, Ywa, Rore & in valle Gloterana Johanni de Keppenbach, Armigero Friburg. in feudum pignoratitium dedit, decem marcis argenti redimendum.

Anno

Digitized by Google

Anno 1343. Hugo Dom. de Uſenberg feuda quædam in Biſchoffingen confert. Eodem anno Albertus Dux Auſtr. Fridericum de Uſenb. de oppido Kenzingen & jure patronatus ibidem, de Caſtro Kürnberg, vicis Bleicha, Nortweil, Huſen utroque inveſtivit. Dat. Vindob. die S. Ulrici. In vigilia S. Nicolai idem Fridericus Meinwartum de Totighoven vicum Biſchoffingen & homines in Waſenweiler a Dynaſtia Uſenberg. tenere in feudum profitetur.

Anno 1345. Adelheidis de Uſenberg venditionem villæ Nider-Eggenheim, a marito ſuo Lutoldo, Barone a Krenchingen, Baſileæ Henrico de Walpach pro 175. marcis argenti factam probavit.

Anno 1349. Bertoldus Epiſc. & Capitulum Argent. permittunt, ut Fridericus de Uſenberg uxori ſuæ Suſannæ, Waltheri ſenioris de Gerolzecke, dicti de Lare, filiæ, quadringentas marcas argenti in caſtro & vico Wiswiler, feudo Argent. vidualitii loco adſcribat.

Anno 1352. Marchio Heinricus de Hachberg Friderico huic vicum Nortweil pro 140. marcis argenti cum pacto reluitionis in feudum contulit Friburgi.

§. VII.

Anno 1358. Rudolſus, Auſtriæ Dux, litem intulit Henrico IV. Hachbergæ Marchioni de Caſtro Kurnberg & oppido *Friderici hereditas*

Digitized by Google

Kenzingen, ceu locis, quæ feuda Auſtriaca Friderici Uſenbergici, qui improlis deceſſit, morte ad Rudolphum, ut dominum directum, redire debuiſſent. Inſtituto hac ſuper re Judicio feudali, Immerius, Strasbergæ Comes, delegatus Judicii Præſes, pronuntiavit pro Rudolpho Seckingæ, in campo juxta Crucem, in agro ad Auſtriæ Ducem pertinente, die Veneris poſt Agnetis An. 1358. (*p*) Marchio cum Rudolfo tranſegit, vicies mille marcas ei pro redemptione vinculi feudalis promittens. Quum autem non perſolveret ſummam, Rudolphus Auſtriacus apud Carolum IV. Imp. An. 1265. queſtus eſt. Hic Pragæ judicium conſtituit, cui Cæſaris nomine Fridericus Teccenſis Dux præſedit. Henricus Hachbergicus cecidit cauſa. Auſtrius non modo in Kurnbergæ & Kentzingæ, ſed & in Hachbergæ poſſeſſionem immiſſus eſt. (*q*)

§. VIII.

Johannes & Heſſo fratres.

Anno 1354. Johannes de Uſenberg Petro Schallerio de Benckon, Militi, feuda, quæ antea a Friderico Uſenbergio tenuerat, de novo conceſſit. Eodem anno die lunæ ante S.

(*p*) Inſtrumentum vide apud HARPPRECHT *Staats-Archiv des Cammergerichts* Tom. I. pag. 37.

(*q*) Sententiam vide apud HARPPRECHT. loc. alleg. pag. 104. ſq.

Digitized by Google

Matthæi curtem dictam Göttinshof in Eiſtat & caſtrum dirutum ibidem a Friderico, Friburgi Comite, in feudum accepit, fratri vero Heſſoni oppidum Endingen, vicum Ihringen, homines in Baldingen & locis vicinis, tractum Kaiſerſtuhl & bannum ferarum, jus reluendi vicos Höhingen, Biſchoffingen, & Leuſelheim dare promiſit.

Anno 1356. Johannes & Heſſo, Domini de Uſenberg, Comiti Friderico de Friburg, Landgr. Brisgoviæ, vicum Eiſtat cum jure patronatus refutant, ut Gerhardo Schultheiſſio, Militi, & Jo. Krüſchli, civi Ending. conferatur. Appenſa Chartæ ſigilla *Johannis nobilis de Uſenberg* & *Heſſonis Dom. de Uſenberg.*

Anno 1357. Johannes Dom. de Uſenberg conſenſu Claræ de Friburg, Comitiſſæ Palat. Tubingenſis, ut Dominæ directæ, ut & fratris ſui Heſſonis vicum Eiſtat cum omnibus bonis & juribus ei adſcriptis Johanni Malterer, Jo. Schnewlino, Militibus, & Diet. de Valkenſtein pro 500. marcis argenti cum pacto reluitionis Friburgi vendidit.

Anno 1360. Egeno Comes Friburg. vicum Eiſtat cum judiciis, cenſibus, vectigalibus univerſisque juribus, excepto caſtro diruto, jure patronatus & duabus curtibus, prævio Johannis & Heſſonis fratrum de Uſenberg conſenſu, Schnewelinis aliisque in feudum confert.

Digitized by Google

Anno 1361. Johannes & Heſſo fratres (Brien) judicia & alia jura in vico Weil, quæ Conradus Munch de Munchenſtein ab ipſis tenebat, Ottoni & Rudolfo Marchionibus de Hachberg reliquerunt.

Anno 1365. Johannes & Heſſo fratres cenſum vini in Biſchoffingen Sigſteiniis fratribus, civibus Friburgi, vendiderunt.

Anno 1368. uterque hic frater nominatur in Charta compoſitionis inter Egonem Comitem & Civitatem Friburg. (*r*)

§. IX.

Heſſo ſolus.

Anno 1371. Heſſo Dom. de Uſenb. Ulricum, Weltinum & Ottonem fratres de Stauffen juſſit oppidum Sulzberg ab Egone Com. Friburg. in feudum recipere, in quem nempe dominium ejus directum transtulerat.

Anno 1376. Heſſo de Uſenb. (ein frier Herre) uxori ſuæ Agneti, Heinrici de Gerolzeck filiæ, 600. marcas argenti in vico Eyſtat, 200. in vicis Nider-Rimſingen, Hochſtatt & Luſſelnheim pro dotalitio aſſignat. Acceſſit conſenſus Conradi Com. de Tubingen, Heſſonis & Agnetis generi; acceſſere teſtes Comes Symon de Thierſtein, Marchio Johannes de Hachberg & Waltherus a Dicka,

(*r*) WENCKER. *de Uſsb.* pag. 71.

Digitized by Google

Advocatus provinc. Briſgoviæ, appenſis ſigillis ſuis literas has firmantes.

Anno 1377. Leopoldus Dux Auſtr. permittit Heſſoni de Uſenb. ut filiæ ſuæ Annæ, Conrado Comiti Tubing. nuptæ, 500. marcas argenti ex dimidia oppidi Endingen, feudi Auſtr. parte pro dote adſcribat.

Anno 1378. Heinricus Epiſc. Conſtant. Clingoviæ hærens, Decano in Endingen mandat, ut propoſitum ab Heſſone Uſenbergico parochum Eiſtadii inſtituat.

Anno 1379. Parochus iſte Eiſtadienſis, Albertus de Ettelingen, beneficiorum ab Heſſone de Uſenb. nuper defuncto, cujus Capellanus fuerat, acceptorum memor, ob grave, quod ille contraxerat, æs alienum, liberis ejus & Burcardo, Johannis p. m. Dom. de Uſenberg filio, eorumque heredibus emolumenta eccleſiæ Eiſtad. reſignat, præter 5. carratas vini, 80. quartalia frumenti & decimas dictas *Etterzehnden* &c. quæ ſibi atque ſucceſſoribus ſuis nutriendis ſervavit. Dat. in vigilia S. Martini.

§. X.

Anno 1381. Marchio Heſſo de Hachberg, tutor liberorum Heſſonis de Uſenb. cum Johanne de Mulnheim, dicto de Richenberg, Milite, vicum Ihringen ut feudum ſuum Metenſe Liberi ejus.

poſtulante, armis congreditur. Mulnhemio ex arce Limpurg ejecto res ad arbitros delata eſt, Johannem Ducem Lotharingiæ, Fridericum Epiſc. Argent. & Martinum Maltererum, Brisgoviæ Advocatum provincialem.

Anno 1382. Walravus Comes de Thierſtein, ſenior, Waltherus a Dicka, Judex provinc. ſuperioris Alſatiæ, Martinus Malterer, Advocatus Brisgoviæ, Nicolaus de Domo, Miles, & Burcardus Munch de Landskron ſenior, litem de vico Eiſtatt inter Egonem Com. Friburg. & Heſſonem March. ut liberorum Heſſonis Uſenbergici tutorem, componunt.

Anno 1384. March. Hachb. Heſſo, Dom. in Höhingen, conſenſu fratrum ſuorum de feudo quodam Uſenbergico, ut Dynaſtiæ hujus tum temporis poſſeſſor, Druchſeſſios de Blankenmoſſe inveſtivit.

Anno 1393. Marchio Heſſo de Hachb. Annæ de Uſenb. & marito ejus Wernhero de Hornberg vicum Broggingen confert, deficiente ipſorum progenie ad Marchiones rediturum.

An. 1400. Dux Reinoldus de Urſelingen, conſenſu Heſſonis March. de Hachberg, conjugi ſuæ Annæ de Uſenberg omnia

Digitized by Google

ſua bona legat, eique mortuæ ſubſtituit ſororem ſuam Annam, Duciſſam Urſeling. Conrado de Geroldſeck nuptam. Actum in Judicio aulico Rothvillenſi.

§. XI.

Heſſo itaque Annam & Agatham filias reliquit, quarum hæc ſanctimonialis primo in Kœnigsfeld, dein in Waldkirch facta, illa ter quidem nupta, Conrado primum Comiti Tubingenſi, inde Wernero de Hornberg, denique Reinoldo Duci de Urſelingen, ſed ſterilis carensque liberis. Succeſſio Marchionis Hachberg.

Anno 1400. omnia ſua bona Heſſoni Marchioni de Hachberg, ex matre Uſenbergia nato, partim vendidit, partim teſtamento legavit. Agatha etiam ſanctimonialis An. 1420. omnia ſua jura in Marchionem Bernhardum Badenſem, qui A. 1415. Hachbergicas terras emerat, tranſtulit. Hoc modo allodialia Uſenbergiorum bona ad Hachbergenſes, & ab his ad Badenſes tranſiere Marchiones.

§. XII.

Ad feuda vero quod attinet, Baſilienſia quidem Marchio Hachbergæ Heſſo cum Walramo de Thierſtein ab Epiſcopo Baſilienſi Imberone accepit. Uſenbergenſes autem Epiſcopatus hujus fuerunt Pincernæ. Feuda Eccleſiæ Baſil.

Digitized by Google

In veteri Codice feudali membranaceo Brundruti (s) legimus: „ Hi ſunt Officiati principales Domini Epiſcopi „ Baſilienſis & ejus Eccleſiæ: Item Comes Pherretarum „ Marſchalcus. Item Dux de Tecke Camerarius. Item de „ Oeſemberg Pincerna. Item de Haſemberg Dapifer.

Auſtriaca De feudis Auſtriacis bellum inter Heſſonem prædictum & Auſtriæ Ducem exarſit, quorum hic Kentzingam, Kirnbergam atque Endingam, ut feuda aperta, ſibi vindicabat. De Endinga, quod feudum Auſtriacum fuerit, plane non conſtat; Kentzinga autem & Kirnberga feuda quidem fuere, ſed feminina, ex privilegio Alberti, quod Burcardo Uſenbergio An. 1326. dedit, ut ad eum annum diximus. Heſſo igitur, Hachbergæ Marchio, jure ea poſtulabat, quippe Uſenbergia matre, Burcardi filia, natus. Bellum, quod hanc ob rem exortum eſt, ſtudio Nobilium utriusque partis ita in caſtris compoſitum eſt, ut Dux oppida, Marchio vicos retineret, & controverſia in judicio componeretur. Judicium autem habitum paulo poſt, cum partium ſtudio judices nimis abriperentur, a Marchione deſertum, resque in ſtatu, quo tum fuit, ad hunc uſque diem manſit.

(s) pag. 172. ſq.

§. XIII.

§. XIII.

Anno 1425. Sigiſmundus Imp. Bernhardo, Marchioni Badenſi, ut Hachbergicæ Dynaſtiarum poſſeſſori, bannum ſupra & infra Briſacum conceſſit Inveſtituræ Imp.

Anno 1475. Fridericus III. Imp. Chriſtophoro & Alberto, Marchionibus Badæ, una cum ceteris ipſorum feudis Cæſareis Dynaſtiam *Tſenberg* Francofurti contulit. (*t*) Nec inſequentes Imperatores in recenſione feudorum & regalium Imperii Domus Badenſis unquam obliti ſunt Dynaſtiæ Uſenbergicæ, quam Badæ & Hachbergæ Marchionatibus & Eberſteinenſi Comitatui Carolus V. An. 1530. ac Rudolfus II. An. 1582. in Diplomatibus ſuis junxerunt.

Auſtriacis, de Inſignium Uſenbergicorum uſu litem moventibus, An. 1550. reſponderunt Badenſes, negari non poſſe, ſeſe Dynaſtiæ Uſenbergicæ fuiſſe heredes, ejusque titulum ab Imperio accepiſſe in feudum.

(*t*) Charta in append. *Hiſtoriæ Friderici III. Imp.* per Æneam Sylv. pag. 101.

Digitized by Google

Inſignia. Inſignia hæc ſunt: ala duplex argentea, in areola cyanea, ſemicirculo foliato aureo impreſſa. (*u*) Galea Uſenbergica coronata hermam virilem oſtentat, cœruleo amictu ornatum, qui thorace alam argenteam ſcutariam defert; pileo turbinato cœruleo, cum argentea ora reducta inſtructus. Uſenbergicum deigma pro Hachbergenſi receperunt Marchiones juniores. Veteres enim balteo quoque Badenſi ſunt uſi.

Uſenbergica Tomo primo colophonem imponunt.

(*u*) SPENER. *Op. Herald.* Part. ſpec. Lib. II. Cap. IV. §. IV.

A01 1475364

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google